Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
X
A
38
NAPOLI

X.
A.
38.

LYDIVS LAPIS

INGENII, SPIRITVS, AC MORVM GASPARIS SCIOPPII,

AB

ALBERTO DE ALBERTIS,
E SOCIETATE JESV TRIDENTINO, ET IN MEDIOLANENSI COLLEGIO, SACRARVM LITERARVM PROFESSORE

CONFORMATVS.

Permiſſu Superiorum.

MONACHII,
Formis LVCAE STRAVBII.

ANNO M. DC. XLIX.

FERDINANDO III.

AVGVSTISSIMO IMPERATORI,

GERMANIÆ, HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ, &c.

REGI,

ARCHIDVCI AVSTRIÆ,

DVCI BVRGVNDIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, ET VVIRTENBERGÆ, &c.

COMITI TIROLIS.

QVVM immortalia tua facinora, FERDINADE AVGVSTISSIME, animo, & cogitatione percurro, nihil ego cunctos mortales in admirationem æquè rapere animaduerto, quàm quòd Te potiùs, quàm Tua, quicunque Nomen Tuum laudibus ad Cælum efferre, cupiunt, laudare neceſſe habent. Nimirum plerique Principum, Regum, atque Imperatorum, etſi glorioſis titulis in Hiſtoriarum monumentis ambitioſè circumſonant, potentiâque, opibus,

dominatu, armis, milite, auro, gem
miſque abundare dicuntur; fucati
tamen elogijs non tam ornantur
quàm onerantur; ac niſi quæ eos ex
trinſecus circumſtant, laudentur, lau
dari ipſi verè non poſſunt, aut ſi ni
hilominùs fortè laudantur, laudato
ris affectata fallaxque adulatio illic
proditur, ſimulque ludibrio ab omni
bus iure habetur.

Tu verò, tot bellicoſarum gentiu
RECTOR MAXIME, clariſſimarum ex
ercitatione, & contentione virtutun
eam Tibi Gloriæ Lauream iamdu
dum meritiſſimò aſſeruiſti, vt quam
uis Tuo in cenſu tot Regiones, to
Prouincias, tot Regna, Imperium
ipſum, & Imperatoriæ dignitatis po-
tentiam, ſplendorem ac magnificen-
tiam numeres; hæc tamen omnia lon-
giſſimo interuallo infra Te poſita ſint,
& Tu Ipſe, dum alijs bonis multo
præſtantioribus circumfluens, iſta al-
to animo deſpicis, minora Te haud
inu-

iniuriâ reputes, ſimulque oſtendas; ſed tanto magis Te ipſum idcirco Terrarum orbis ſuſpiciat, ac venere-tur. At ego nimis planè hîc longus ſim, ſi vniuerſam Tuorum pompam Honeſtamentorum in Theatrum euocare adoriar, neque vllo modo mihi iam integrum eſt, eorum amplitudinem in has exiguæ paginæ anguſtias compingere. Vnum proinde, alterumque dumtaxat ex illis nunc delibo, ſed eiuſmodi, quæ agmen ducant, neque ſolitaria eſſe, aut aliter, quàm reliquorum omnium comitatu ſtipata, poſſe conſiſtere, extemplo demonſtrent.

Nam, vt ſilentio in præſens reliqua Tua immortalia facinora prætercam, hinc ego Tuum illud Catholicæ Religionis propugnandæ, & propagandæ ſtudium incredibile, illinc parem conſtantiam, & fortitudinem cum eo coniunctam, dumtaxat appello, quæ vt Oratorum diſertiſſimi extollere

operosè nitantur, numquam tamen ſatis digne eloqui poſſint. Magnifica quippe Templa condere, Sacella ſumptuoſa inædificare, gentilitia Sacerdotia conſtituere, Religioſis Ordinibus ædes extruere; Dei miniſtros alere, aliaque id genus munia rei ſacræ obire, diuinæ quidem Religionis argumenta ſunt omnino illuſtria, ſed in Tuæ Auguſtiſſimæ Familiæ morem iam pridem inducta, dudumque in eâ vſitata. At Tu RELIGIOSISSIME FERDINANDE, nimis contractos, nimis arctos hos Religionis fines Religioni Tuæ, & Pietati exiſtimâſti. Tametſi enim multo auro, & opulentiâ Delubra diuina inſtruere, lautaque Sacerdotibus ſtipendia dependere Regiæ eſſe liberalitatis, & Religionis non ignorabas; nihilominùs certò etiam tenebas, non cunctis Regibus, & Principibus, qui huiuſmodi liberalitatis, & Religionis monimenta quoque reliquerunt, Religionem ipſam Regno,

ac Principatu fuiſſe cariorem, ſed politicis commodis, inhoneſtoque præpoſteræ rationis, quam Status vocant, famulitio ab aliquammultis turpiter ac flagitiosè ſubinde mancipatam.

Quid tu porrò IMPERATOR GLORIOSISSIME meditatus es? Quid excogitâſti? quam Tuæ Religionis teſſeram, quod inſigne, aut pignus Chriſtiano Orbi præbuiſti, & etiamnum præbes? abſoluam verbo, Paternum; hoc eſt, pulcherrimum, ampliſſimum, locupletiſſimum. Pro Catholicæ fidei cauſsâ tutandâ, atque ab omni detrimento ſincerâ integrâque conſeruandâ, eadem prorſus RELIGIOSISSIMI PATRIS Tui veſtigia inſiſtens, Imperatoriam Tuam gazam exinaniſti, æraria effudiſti, omnem pecuniæ vim dilapidâſti: quàm raro exemplo? Prouincias Tuas pro eiuſdem Religionis incolumitate exhauſiſti, cuncta Tua Regna in periculum præſentiſſimum

arceſſiuiſti, Fortunas Tuas omnes alliſiſti, ac pene funditus euertiſti. Quàm admirabili documento? Bellum iuſtiſſimum pro eâdem ab iniurijs vindicandâ Hæreticis perduellibus indixiſti, infeſta arma ab ijſdem hoſtibus nefariè illata propulsâſti, ſeditiones, & tumultus ijſdem incendiarijs concitatos compreſſiſti. Quàm heroicâ ſtrenuitate?

At nondum hactenus Religioni à Te ſatis litatum putâſti. Cæſareum Tuum Sceptrum, & Diadema, ipſumque Imperium Tuum vniuerſum quoties in vltimam aleam eiuſdem Religionis gratiâ dediſti? Quid Tuum Imperium dicô? Tuam ipſam Vitam, quâ nihil Tibi pretioſius, vel antiquius natura ipſa eſſe voluit, vnaque cum Tuâ Vitâ Vitam quoque Tuorum FILIORVM, totamque Auguſtiſſimam Tuam Familiam, quâ nihil tibi in Viſceribus magis hærere poteſt, quoties pro Chriſtianâ fide neglexi-

ſti? quàm ſæpe dubijs caſibus obiecisti: quàm frequenter ruinæ propemodum ſubdidiſti: In acie, & ſpeculâ peruigil ſtetiſti, belli labores atque incommoda non ſecus ac quiſque de grege miles, exantlâſti, quamcunque prælij dimicationem nihil penitùs timuiſti. Quo vltra iam FERDINANDE RELIGIOSISSIME, ac FORTISSIME Tua Religio, ac Fortitudo progredi queat?

At enim neque dum hiſce tam multis tamque præclaris Imperatoriæ Tuæ Virtutis ac experimentis modum ponis, neque tot laboribus fractus, aut feſſus, eaſdem Religionis, & Fortitudinis palmas vel Tuo etiam cruore, ne dum ſudore, cotidie Te ipſo Religioſior, & Fortior, inſtaurare, amplioremque ad gloriam æterni Numinis educare perpetuò contendis. Vtcunque autem Religioſiſſimis Tuis conatibus peruicaces Hæretici reflauerint, nihil tamen ijs Catholicæ

Fidei aduerſum à Te eblandiri potuerunt, neque Te quibuſcunque machinamentis eò adigere, vt illam Regnis, Imperio, aut Vitæ Tuæ, ac Tuorum poſthaberes : vel ſi quid fortè expreſſerunt, ab inuito prorſus per vim omnino ineluctabilem, quo grauiorem diuini cultus plagam auerteres, extorſerunt.

Si animum Tuum flexiſſes, aut induxiſſes, vt Hæreticorum poſtulatis annueres, vt eorum amentiæ indulgeres, vt Religionem Catholicam ipſorum furori ac ludibrio vexandam, peſſumque dandam permitteres, nihil profectò moleſtiæ Tibi exhibuiſſent, ſed oppidò fauiſſent, ac fauerent porrò, ſedulam nauarent operam, ſuppetias curriculo aduenirent, Te ſoſpitem, atque immortalem, quem iam Chriſtianæ rei omnibus neruis patrocinantem è numero viuorum remis veliſque exturbare nituntur, maximè exoptarent. At tu, cui incor-

rupta Religio, quàm vita, ſemper potior fuit, compertiſſimis omnino teſſeris Orbi vniuerſo palàm feciſti, malle Te Regnis, quàm Religione; Imperio, quàm Dei obſequio; vitâ ac filijs, quàm Catholicæ Fidei tutelâ orbari. Hæc enim Tua Laus tota, & ſolida; hæc Tua Gloria maxima, & ſumma eſt (nec quicquam hinc liuor, aut malignitas decerpere poteſt, vel quomodocunque deterere) ſimul ac Imperatorio Sceptro potitus es, Te actutum totum Imperium, tuasque Fortunas omnes vnà cum Vitâ ipsâ, & Tuâ, & Tuorum pro Chriſtianæ Religionis conſeruatione fortiſſimè oppigneràſſe eidemque aſſerendæ Te, & Tua omnia nunc etiam non minùs fortiter, quàm continenter deuouere. Neque hîc vllum ego Momum, vtcunque etiam procacem, vereor, qui huiuſmodi decus, ac palmam Tuæ MAIESTATI detractum eat, mihique aſſentationis dicam idcirco iure queat impingere.

Quo ſanè Tuo admirabili exemplo, RELIGISISSIME FERDINANDE, cunctos futuri æui Principes, Reges, atque Imperatores exertiſſimè, ac luculentiſſimè docuiſti, & hodie quoque indeſinenter doces, in politicâ gubernandi diſciplinâ illibatam Religionem primam habere, docuiſti, ac doces, Cœleſte Regnum terrenis præferre; docuiſti ac doces Machiauelli impia dogmata Euangelio ſacroſancto non anteponere, ſed dirâ imprecatione defigere, rationem dictionis ad diuinæ legis normam ſemper exigere, nullisque calamitatibus, aut incommodis ab Æterni Numinis iuſſis Fideique Catholicæ præſcriptis vnquam abduci; docuiſti denique, ac doces quaſcunque tempeſtates, aduerſos caſus, atque infortunia pro eâ ſubeundos adeò à te minimè reformidari, vt in totidem Tuæ Catholicæ Fidei, & Imperatoriæ Fortitudinis Lydios lapides abs Te pariter mirè vertantur.

At

At ex geminâ hac Tuâ Virtute quanta cæterarum quoque lux, Deus immortalis, emicat? Quantus Chriſti Domini, ſempiterni Imperatoris amor? quantum diuinarum rerum ſtudium? quanta precandi bonas preces cura? quanta tolerantiæ ſeges? quanta appetitionum moderatio? quanta humanæ felicitatis, fucatæ nimirum, & bracteatæ deſpicientia? vnde quicunque TVAM MAIESTATEM curioſiùs paulò contemplantur, ac vtramque iſtam Tuam laudem libratâ decempedâ metiuntur, Te Ipſum ſcilicet multo magis, quàm Tua, vt initio denuntiaui, laudare coguntur.

Quamobrem quum ego quoque Te, FERDINANDE GLORIOSISSIME, non ſolùm circumſpicerem, ſed etiam introſpicerem, è vestigio Sacrum Tuarum Virtutum chorum vidi, admiratusque ſum, præcipuè autem Catholicæ Religionis à Te fortiſſimè propugnatæ Lydios tuos lapides, à

quibus & hunc etiam meum *Lydium*, quo ego multiplicem inſaniam Hæreticam, Hæreticumque hominem detego, ac reuinco, ad Te allici, trahique ſenſi. Quò enim, niſi ad Te, qui acerrimum Catholicæ Fidei Vindicem, maximum aduersùs iuratos eius hoſtes præſidium, Te præſtas; rapetur? vt propterea Tuos ego Religionis vindicatæ lapides non ſolùm Lydios, ſed Magneticos etiam planè expertus ſim, neque TVA MAIESTAS mihi, quòd homo prorſus incognitus hunc *Lydium* Tibi deſpondere non dubitem, iure ſuccenſere poteſt, quum Tu Ipſe, eum ad Te pellaci Tuâ Virtute inuitâris, vocaueris, traduxeris. Vel certè ſi quod audaciæ crimen meum iſtuc eſt, ambigere nullo modo poſſum, quin eâdem inuictâ Tuâ Patientiâ, quâ infinita incommoda pro Catholicâ Religione alacriter deuorâſti, & hanc quoque moleſtiam à me Tibi conflatam æqui, bonique facturus ſis.

Quare

Quare MAIESTATEM Tuam enixè rogo, atque obſecro, vt hunc meum qualemcunque laborem eidem Catholicæ fidei tuendæ ſtudiosè impenſum, pro quâ etiam Tu Ipſe ne propriæ quidem Vitæ peperciſti, læto vultu pro Tuâ ſumma Humanitate, Clementiâ ſuſcipere, Tuoque Imperatorio patrocinio ab aduerſarijs non paucis illæſum præſtare digneris. Mediolani anno CIƆIƆCXLVIII. Kalen. Iulij.

AVGVSTISSIMÆ MAIESTATI TVÆ

Deuotiſſimus,

Albertus de Albertis è Societate IESV Sacerdos.

LAVRENTIVS KEPPLER
Societatis IESV in Prouincia Superioris Germaniæ Præpoſitus Prouincialis.

CVM *librum, qui inſcribitur* Lydius Lapis Scioppiani ingenij Spiritus, *à P. Alberto Alberti Societatis noſtræ compoſitum aliqui eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, poteſtate ad id factâ ab Adm. R. P. Vincentio Carrafa Præpoſito Generali, facultatem concedimus, vt typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Monachij die 15. Decembris Anno 1648.*

Laurentius Keppler.

INDEX CAPITVM LAPIDIS LYDII.

DIVISIO TOTIVS OPERIS.

PARS PRIMA.

CAP. I. *Explorata de Hæreſi, atque Hæretico ſumptiones.*

CAP. II. *Hæreticos clam venena Hæreſis inhalantes multo eſſe nocentiores, quàm manifeſtò bacchantes.*

CAP. III. *Hæreſis, Hæreticiq; cognitio, ac iudicium ad quem pertineat.*

§. I. *Iudicium de Hæreſi, Hæreticiq; forenſe & contentioſum ad Concilium Generale, Sedemq; Apoſtolicam, & Summum Pontificem dumtaxat ſpectare.*

§. II. *An Iudicium priuatum de Hæreſi, atque Hæretico nondum à Sede Apoſtolica damnato viris doctis facere, ac peruulgare liceat.*

§. III. *Fas eſſe priuato Doctori certum hominem Titium ex grauibus argumentis Hæretici nomine, ac notâ, emiſſo etiam in lucem libro, commaculare, idq; primo veterum Patrum exemplo.*

§. IV. *Eiuſdem doctrinæ ſecundùm firmamentum à communi Theologorum decreto*

§. V. *Tertium fulcimentum eiuſdem doctrinæ à legitimo Hiſtoricorum vſu.*

§. VI. *Quartum fulcimentum eiuſdem doctrinæ à legitima Catholicæ religionis defenſione.*

§. VII. *Quintum fulcimentum eiuſdem doctrinæ ab auxiliari, ac neceſſaria operâ Eccleſiæ ipſi nauatâ.*

§. VIII. *Sextum firmamentum eiuſdem doctrinæ ab obligatione deferendi Hæreticos ad Sacræ Fidei Quæſitores.*

§. IX *Septimum firmamentum eiuſdem doctrinæ à ſacra Scriptura interpretanda experimento.*

§. X.

§. X. *Octauum firmamentum eiuſdem doctrinæ ab oſtentorum miraculorum priuatâ narratione.*

§. XI. *Nonum firmamentum eiuſdem doctrinæ à B. Gelaſij Summi Pontificis teſtimonio.*

§. XII. *Decimum firmamentum eiuſdem doctrinæ à remotione cuiuslibet interdicti.*

§. XIII. *Vndecimum firmamentum eiuſdem doctrinæ à contraria lege, ſi quà fortè ſciſceretur, omnino irritâ.*

§. XIV. *Duodecimum firmamentum eiuſdem doctrinæ à fideli operâ ipſi Apoſtolicæ Sedi impensâ.*

§. XV. *Tertiumdecimum firmamentum eiuſdem doctrinæ à probabilitate vel dubio, tum à Doctorum auctoritate.*

§ XVI. *Allata hactenus firmamenta in Hæreticos, qui Catholicorum quoque filij ſunt, ſuâ vi ac robore potiri.*

§. XVII. *Expoſitis firmamentis locum quoque eſſe, quum Hæreſis palàm damnata non eſt.*

CAP. IV. *Apologetica Catholicæ Religionis vel innocentiæ aduersùs Hæreticos, aut Calumniatores ſcripta, non eſſe famoſos libellos, conuincitur.*

§. I. *Famoſi libelli infamiam Apologeticis inuſtam perperam, ipſâmet famoſi libelli definitione aboleri.*

§. II *Famoſi libelli labem arcent obiecta crimina, quæ non ignorari Reipub. intereſt, & Principi vel Iudici probantur, aut Apologetica ipſa, quæ ab Auctore extra ſuſpicionem iniqui animi poſito elucubrata eſſe, conſtat.*

§. III. *Famoſi libelli probro Apologetica præ ſola verborum ac ſententiarum aſpredine ac vehementiâ, non eſſe obnoxia.*

§. IV. *Interceſſiones initio paratâ, molli brachio abijciuntur.*

CAP. V. *Apologetica in crimen temerè vexata innocentia fruſtra vocantur.*

CAP. VI. *Prætextum, ne Calumniatoris aut Hæretici fama Apologeticis lædatur, inanem eſſe, neque ijs obſtare.*

CAP. VII. *Apologeticis libris nullam remoram à prænia explorati Hæretici interrogatione, ac monitione fieri.*

CAP. VIII. *Nullam tragulam in Apologetica ab vllo Reipub offenſaculo, vel incommodo inijci.*

CAP. IX. *Sacrorum Canonum Sanctionibus Apologetica nequaquam aduerſari.*

CAP. X. *Apologetica neque in Pij V Pontificis Maximi diploma, neque in Regulas Indicis quicquam delinquere.*

CAP. XI. *Exemplum à Iureconſulto petitum Apologetica non oppugnat, ſed propugnat.*

PARS SECVNDA.

CAP. I. *Quanti Chriſtianæ Reipub. interſit, Gaſparis Scioppij artes ac fraudes detegi, ac reuinci.*

CAP. II. *Gaſpar Scioppius Hæreſis iam pridem manifeſtò infamatus.*

CAP. III. *Prima Scioppiana Hæreſis teſſera, Apoſtolica Romana Sedes impuratu, patuliſq; pulſata cornibus.*

CAP. IV. *Secunda Scioppiana Hæreſis teſſera, corrupta doctrina de Summi Pontificis in Bona Eccleſiaſtica iure.*

CAP. V. *Tertia Scioppiana Hæreſis teſſera, nefaria, veſanaq; doctrina de totius Eccleſiæ in honore cultuq; viris Sanctis decernendo lapſabundâ auctoritate.*

CAP. VI. *Quarta Scioppiana Hæreſis teſſera, impia Sanctorum virorum Ignatij, ac Franciſci Societatis Ieſu ludificatio.*

CAP. VII. *Quinta Scioppiana Hæreſis teſſera, S. Thomas Aquinas, S. Auguſtinus, alijq; Sancti ludibrio habiti.*

CAP. VIII.

CAP. VIII. *Sexta Scioppiana Hæreſis teſſera, dementiſſima Inſtituti Societatis Ieſu vituperatio.*

CAP. IX. *Septima Scioppiana Hæreſis teſſera, peruerſa doctrina de votu Obedientiæ, & Caſtitatis.*

CAP. X. *Octaua Scioppiana Hæreſis teſſera, ſtolidiſſima doctrnina de Paupertate Patrum Franciſcanorũ.*

CAP. XI. *Nona Scioppianæ Hæreſis teſſera, noua, ac temeraria doctrina de Epiſcoporum paupertate.*

CAP. XII. *Decima Scioppianæ Hæreſis teſſera, falſa doctrina de precibus ac meritis contemplantium.*

CAP. XIII. *Vndecima Scioppiana Hæreſis teſſera, impia atque execranda doctrina de diuiduo Religionis ac virtutis à Politicis contubernio.*

CAP. XIV. *Duodecima Scioqpiana Hæreſis teſſera, librorum ab Apoſtolica Sede proſcriptorum iterata editio, ac patrocinium fraudulenter arreptum.*

CAP. XV. *Tertiadecima Scioppiana Hæreſis teſſera, Hæreſeon, errorumq; cum veritate conglutinandi, permiſcendiq; conatus, & fraus impudentiſſima.*

CAP. XVI. *Quartadecima Scioppiana Hæreſis teſſera, communium inter omnes Catholicos ſententiarum oppugnatio, nec non ScholaſticæTheologorum, & Philoſophorum in docendo, diſſerendoq; normæ irriſio.*

CAP. XVII. *Quintadecima Scioppiana Hæreſis teſſera, ſcelerata diuinarum literarum deprauatio.*

CAP. XVIII. *Sextadecima Scioppiana Hæreſis teſſera. Sacri Concilij, Catholicorumq; Doctorum doloſa obtruncatio, nec non complures aliæ in afferendis, explicandisq; Scriptoribus fraudes ad calumnias, aut errores creandos nequiſſimè conſuta.*

CAP. XIX. *Septimadecima Scioppiana Hæreſis teſſera, generalis Hæreticorum defenſio.*

CAP. XX. *Octauadecima Scioppiana Hæreſis teſſera, aperta Hæretici hominis, abiecta tandem Catholici larua, profeſſio.*

PARS

PARS TERTIA.

CAP. I. *Verruca prima Scioppiana Hæreſis, portentoſa arrogantia, atque ſuperbia.*
§. I. *Scioppij in honoribus ac titulis iactandis ſuperbia.*
§. II. *Ingens Scioppij in ſui ingenij ac literarum prærogatiuis recenſendis arrogantia.*
CAP. II. *Verruca ſecunda Scioppianæ Hæreſis, Phariſaica hypocriſis, abditum ſuperbiæ cubile, ac locuples auctarium.*
CAP. III. *Verruca tertia Scioppianæ Hæreſis, Talenta Ieſu Chriſti impudenter à Scioppio ſibi arrogata.*
§. I. *Talenta Scioppianæ Caſtitatis.*
§. II. *Talentum Humilitatis Scioppianæ.*
§. III. *Talentum Scioppianæ Paupertatis.*
§. IV. *Talenta infamiæ ac mortis à Scioppio coëmpta.*
§. V. *Alia Scioppij Talenta expenſa.*
CAP. IV. *Verruca quarta Scioppianæ Hæreſis, Principum literæ commendatitiæ, inſigniumq; virorum teſtimonia inſolenter iactata.*
CAP. V. *Verruca quinta Scioppianæ Hæreſis, effrænis omnium Ordinum maledicentia.*
§. I. *Scioppius omnium Religionum cœtus maligno dente ferit.*
§. II. *Scioppiana maledicentia in Sacerdotes, & Clericos furit.*
§. III. *Scioppij maledicentia ſacros Præſules, Epiſcopos, &* Cardinales *exagitat.*
§. IV. *Scioppius maledicentia ipſum quoque Pontificem Maximum lacerat.*
§. V. *Maledicentia Scioppij profanos etiam Principes, Reges, Cæſares Regiones, ac Reſpublicas mordet.*
§. VI. *Maledicendi palma Scioppij propria.*
§. VII. *Scioppianæ maledicentiæ alexipharmacum.*
§. VIII. *Scioppianæ maledicentiæ Epilogus.*
CAP. VI. *Verruca ſexta Scioppianæ Hæreſis, prodigioſa mendaciorum, & calumniarum textrina.*

CAP. VII. *Verruca ſeptima Scioppiana Hæreſis, ſupina ignorantia atque inſcitia.*

§. I. *Scioppiana Grammatices imperitia.*

§. II. *Scioppius Logices, Rhetorices, atque Eloquentiæ ignarus.*

§. III. *Scioppij in Phyſicis, Metaphyſicis, atque Ethicis hebetudo.*

§. IV. *Alia Scioppiana in Moralibus inſcitia documenta.*

§. V *Scioppij in Politicis, ac rebus ſacris deliramenta.*

§. VI. *Scioppiana ignorantiæ atque inſcitiæ coronis.*

CAP. VIII. *Verruca octaua Scioppiana Hæreſis, inconſulta dictorum, ac ſententiarum inconſtantia, & repugnantia.*

CAP. IX *Verruca nona Scioppianæ Hæreſis, verſuta Catholicæ religionis ſimulatio.*

CAP. X. *Verruca decima Scioppianæ Hæreſis, multiplex variorum ſcelerum infamia.*

PARS QVARTA.

CAP. I. *Qualis Hæreticus Scioppius ſit, quo iure appellatus, & publicatus Hæreticus*

CAP. II. *Scioppius non minùs fruſtra, quàm fraudulenter ſuos errores, atque Hæreſes excuſat.*

CAP. III. *Gaſparis Scioppij germana effigies ſuis expicta coloribus*

CAP. IV. *Totius Operis ad Gaſparem Scioppium peroratio.*

AVCTORIS

Lectori omnino animaduertenda.

Qvod in mearum *Vindiciarum* veſtibulo monui, neceſſe planè habeo hîc etiam totidem ferè verbis monere. Quum Gaſpar Scioppius ſuos in Societatem Iesv famoſos libellos in Germaniâ edi curauerit, ego quoque hunc meum *Lydium Lapidem* in eâdem typis imprimendum, vt vbi venena potiſſimùm graſſantur, ibi etiam antidota maximè præſto ſint, meritò exiſtimaui. At quia per locorum intercapedinem prelo ego ipſe præeſſe non potui, permultos errores in librum irrepſiſſe animaduerto, non ſine ingenti animi mei moleſtiâ; qui tamen, ne cuiquam fraudi ſint, Lectorem ego etiam atque etiam obteſtor, vt antequàm *Lydium* huiuſmodi inſpiciat, quoniam plura in iſto, præter mentem meam, ac voluntatem, præterita, vel addita, vel tranſpoſita ſunt; hæc, quæ præcauenda ſunt, diligenter obſeruet.

I. Si qua verborum conſtructio vitioſa, aut vox importuna, aut ſenſus impeditus, vel abſonus occurrerit, tabellam ad calcem Operis adiectam illicò conſulat, eâque remoram omnem tollat.

II. In eandem tabellam non omnia Typographi menda ego retuli, ſed ea tantùm, quæ minùs attento Lectori, vel etiam perſpicaci faciliùs poſſunt imponere: cætera

verò,

verò, quæ ab imperitioribus quoque nullo negotio diſcerni queunt, vt ſunt accentus penitùs omiſſi, aut perperam appicti, inconſtans orthographia, puncta interrogationis vel prætermiſſa, vel malè adiecta, vnum characteris genus pro alio, atque alia id genus non pauca, omnino neglexi, ac Lectoris eruditioni, & prudentiæ emendanda reliqui.

III. In Auctorum locis citandis vti ſoleo ad numerum indicandum veteribus Romanorũ characteribus, quos Typographus, quia totidem fortè in promptu nõ habuit, in barbaras notas Arithmeticas, quæ iam dudum ſunt vſitatæ, commutauit. In quâ commutatione quàm ſit procliue, vnam notam pro alterâ ſubſtituere, errorem que improuidè admittere, nemo non videt. Vnde ſi qui fortè admiſſi ſunt, ij certè mihi adſcribi non debẽt.

IV. Quanquam infra in *Præfatione num.* 7. denuntiaui, nonnulla ex verbis Auctorum à me recitatis, quoties, quæ interiacent, ad rem meam non faciunt, de induſtriâ à me omitti; atque ad id detegendum Lectori lineolam antecedentibus, & conſequentibus interponi: nihilominùs Typographus hanc meam accurationem penitùs neglexit; quod mihi ſane inacuit valde. Tametſi hoc eo leuiùs fero, quò ex iſtâ verborum mediorum diſſimulantiâ nullus ſenſus à mente Auctoris alienus, aut loco diſſentaneus à me elicitur, omniſque fraus ac fallacia omnino procul habetur.

CHRI-

CHRISTIANO LECTORI.

I.

QVVM incorruptam Chriſti Domini Sponſam Eccleſiam multiplici fraudium genere à verſipelli præſtigiatore fœdè infici ac labefactari non ſine acri ſenſu doloris, Chriſtiane Lector, animaduertiſſem; nec propinatum ab eo venenum, quanquam aptis librorum antidotis à P. Laurentio Forero, & P. Henrico Wangnereckio tempeſtiuè admotis, ſatis dilui, egeriq́ue intelligerem; honeſtiſſimâ quadam adeò turpium facinorũ indignatione meritò commotus, exarſi equidem & ego, exitiabilis iſtius peſtis, quoquo poſſem modo compeſcendæ cupiditate. Quocirca *Lydium* hunc *Lapidem* diſcolorem ac varium, quem tibi hîc exhibeo, ad ſimplicem veritatem à doloſo mangone infucatam explorandam exprimendamq́; peropportunum elaboraui. Quamuis enim Fo-

rerus, & Wangnereckius iam laudati totum illum planum ac veteratorem ſuis coloribus luculenter expinxerint; tamen, quia eum per diuerſos mendaciorum, & calumniarum Mæandros temerè quærentem diuerticula, errabundis, vt fit, veſtigijs, neque alio ferè ordine, quàm quem inſita aduerſario obtrectandi libido præſcripſit, inſequi neceſſe habuerunt; neſcio quomodo lucifugi iſtius calumniatoris lineamenta minùs adhuc bono in lumine collocata, neque dum tam probè cunctis nota, quàm par eſt, viri ſapientiſſimi iure arbitrantur.

II. Quamobrem quum huius tenebrionis ſpiritum, atque ingenium nemini Catholicorum eſſe incompertum, Chriſtianæ Reipubl. haud mediocriter intereſſe perſuaſiſſimũ habeam, *Lydium* hunc tempori adornaui, in quo ſingula eiuſdem tenebrionis deliramenta certam in formam redacta, totumque monſtrum ex his

conflatum quouis monſtro defor-
mius oculis omnium expono.
III. Verùm quia is ipſe ærуſca-
tor, & circumſcriptor in ſuâ *Anato-
miâ, pag. vlt.* ad Sedem Apoſtolicam
fraudulenter omnino, vt deinde li-
quebit, prouocat, ego è regione ſyn-
cerè & candidè ad eandem illam Pe-
tri inconcuſſam petram, meum iſtum
Lapidem excutiendum, probandum-
que lubens, atque oſculabundus ſiſto:
Illius cenſuræ quicquid in medium
affero, ex animo ſubijcio: illi teſſeras
omnes, & verrucas, quibus ego ad-
ductus, aduerſarium vel certâ Hære-
tici notâ, vel grauiſſimâ minimum
ſuſpicione aſpergendum exiſtimo,
examinandas porrigo: ad illam, va-
dimonium, vel nutu euocatus, obitu-
rus, de ſubito conuolabo. Nomen
meum proprium libro appoſui, lo-
cumque, vbi nunc dego, Mediolani
nimirum, de induſtriâ iam indico, vt,
ſi quid opus ſit, acciri extemplo poſ-
ſim; ſecus prorſus, ac vitilitigator iſte

 præ-

præſtitit, qui Pontificium tribunal ita appellauit, vt ſuo, & loci, in quo tum hærebat, nomine ſuppreſſo, in cœcas penitùs tenebras, ne deprehendi poſſet, ſeſe abdiderit. At ſi is probus vir eſt, ſi verè Catholicus, ſi Romanæ filius Eccleſiæ, ad eandem Petri Cathedram iam properet; & tum, ſi cunctas, quas promo, teſſeras, & verrucas ritè induxerit, atque eliſerit, erit ille inſons, ego calumniator. Sin autem neque has diffiteri, aut reijcere; neque tot ac tam grauia præiudicia diluere poterit; vel certè ſi auguſtiſſimum illud æquitatis tribunal declinauerit; tum enimuerò palàm erit, vter meliore iure, egòne ipſum in Hæreſis crimen toto hoc *Lydio* vocem, qui quod aio, tot documentis vinco: an contra ipſe Ieſuitas generatim Hæreticos, Phariſæos, *Atheos*, & Turcis peiores aſſeueret, qui hæc in nos probra ſine vllâ probatione, mero ex odio, ac furore per calumniarũ ſaturam inſanè congerit: ſimulque

Orbi

Orbi vniuerſo erit perſpectum, ab iſto ſeditioſo capite non tam id ſanè actum, vt Societati noſtræ tantummodò incommodaret, aut ægrè faceret, quàm vt ingentem plagam Apoſtolicæ Sedi, Eccleſiæque Catholicæ per latus noſtrum infligeret, eamque, dum laudatum ab ipsâ Religioſum Ordinem, eidemque peculiari ſacramento authoratum Orco deuouet, nec non Cœlites quoque ab eâdem Sede in Sanctorum cœtum cooptatos expungit, per ſummum nefas ſubrueret. Sed quî tandem, aut quando vnquam Aduerſarium, tametſi audaciæ columen eſt, auſurum Romæ apparere quæſtioni, non temerè quis credat, quum illam ipſam *Anatomiam* à ſe concinnatam, quam nonniſi ab Apoſtolico Senatu, aut à Pontifice Maximo iudicari poſtulauit, ab eodem Pontifice, ac Senatu ceu improbam, & flagitioſam iam pridem damnatam, vnaque cum eâ alios famoſos libellos à ſe pariter fabricatos eâdem

lege proſcriptos, atque in vetitorum codicum tabellas relatos, probè ſciat? ſed vt vt eſt, ſiue ſubterfugiet iudicium, cadet, ſiue ad hoc aderit, multò magis cadet.

IV. Reliquum eſt, vt præmoneam, ne quis à me euibratos ſenſiculos, delicatáſue acuminum quaſi punctiunculas, ſtatas hoc æuo ſermonis blanditias, acida videlicet ſtomachi faſtidientis embammata, aut ſollertes palati iam ſtupeſcentis illecebras à me expectet. Nihil enim iſtorum in hoc *Lapide*, & lapis, aut ſtipes ſit, ſi quis in eo quærat. Ego verò hîc meum omnem conatum eò maximè collineo, vt fucum à circumforaneo circulatore factum depellam, Lectoremque in perſpicuæ ueritatis cubile, expeditâ, minimeque ieiunâ oratione perducam. Hanc qui amat, & nôſſe cupit, *Lydium* hunc etiam amabit, facileque perleget; ſin autem, ne quidem, ſi me audit, attingat.

V. Ad ſtylum autem, & Latinita-

tem

tem quod attinet, eadem omnino, quæ in meis *Vindicijs Societatis* IESV principio Lectori denuntiaui, multoque copioſiùs in meâ *de ſcitis, & placitis Latinæ Linguæ diſſertatione* explicaui, hoc loco repetita, ac denuò inculcata cupio; diſerteque moneo, falli eos pueriliter, turpiterque allucinari, qui Latinitatis amplitudinem, atque elegantiam ſolo Cicerone anguſtant, & circumſcribunt; vel extra Calepinum, Nizolium, & Theſaurum nihil Latini patrimonij ſupereſſe arbitrantur, aut quæ non intelligunt ipſi, vel ignorant, obſcuritatis illico damnant, inſcitię potiùs ijdem à cunctis eruditis iure optimo damnati; quemadmodum in eâdem *diſſertatione de Scitis Latinæ Linguæ*, nec non in meis *Sicilimentis* eiuſdem linguæ manifeſtò reuici.

VI. Porrò ne quis in contentioſis hiſce ſcribendi, criminandique cauſſis parum verſatus, ſtyli modum carpat, leunioremque deſideret; huc ego

longam meam hac de re diſputationem *Vindicijs* meis *cap. 9. 10. 11.* & *12.* inſertam commodùm aduoco, in quâ compluribus tum rationibus, tum exemplis quà Prophetarum, quà Apoſtolorum, quà ſanctorum Patrum, quà ipſius etiam Chriſti Domini, ſolidè oſtendi, procacitatem, atque inſolentiam calumniatorum, pręſertim Hæreticorum, in primis verò Momi iſtius, acri, & pertriſti orationis, cenſurâ eſſe, refrænandam; quam tu diſputationem, Lector, antè, quàm de ſtyli acerbitate conquereraris, vt oculis luſtrare ne graueris, te ego per tuam humanitatem etiam atque etiam obſecro. Eam quippe vbi vel primoribus labris deguſtaueris, mox Lydium hunc nimis potiùs indulgentē, quàm auſterum, haud dubiè pronuntiabis. Nempe *ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam reſpondendū ne ſibi ſapiens videatur*, diuina oracula ſanciunt, *a* & à Mimographo memoriæ ſapienter ita proditum

eſt;

a *Prouerb. 26.*

eſt; *Crudelem medicū intemperans æger facit:* recteque S. Iſidorus hoc pacto ſubſcribit: a *Qui blando verbo non corrigitur, acriùs neceſſe eſt, arguatur: & cum dolore ſunt abſcindenda, quæ leniter ſanari non poſſunt.* Quid quòd Apoſtolus quoque *vaniloquos, & ſeductores durè increpandos* docet? b quid quod Eccleſia Catholica etiam D. Hieronymum ſingulari eapropter commendat elogio, c quòd *Hæreticos acerrimis ſcriptis exagitauerit?* quid quòd S. Gregorius Nazianzenus, quum aliter aliquando ſenſiſſet, & Apollinariſtas Hæreticos ſuâ lenitate mitigandos ſibi perſuaſiſſet, experimento ipſo poſteà ſe deceptum cernens, fateri coactus eſt, d illos *per imprudentiam ſceleratiores* à ſe *redditos, & Eccleſiam intempeſtiuâ hac Philoſophiâ detrimento affectam; neque peruerſos homines lenitate, atque humanitate flecti?* quid

a *Lib. de ſummo bono cap. 46.* b *Ad Tit. 1.* b *In Breuiario pridie Octob. Lect. 6.* d *Epiſt. 77.*

quod *aduerſùs tam impium, & mordacem Hæreticum*, qualem meus *Lydius* delineat, ac redarguit, *verba temperare*, vt in Lutherum doctiſſimus Albertus Pius, Carporum Princeps, meritiſſimò dixit, *a contra modeſtiam, non ſolùm contra pietatem eſſe videtur.*

VII. Nihilominùs ita mihi in tam impotente obtrectatore euerberando moderabor, *vt foris* quidem *terribilis increpatio*, velut ſuadet Auguſtinus, *b perſonet*, at *intus lenitatis correctio* à me *teneatur*; & quanquam *protacis hominis erectam ceruicem oportet durâ increpatione ferire*, vt enucleatè tradit S. Bonauentura: *c Non tamen amari cordis odio* (quod à me, Deo auſpice, procul aberit) *ſed tranquillæ mentis æmulatoriâ caritate*, quam ſemper etiam atque etiam cordi habebo.

Poſtremò illud etiam Lectorem monitum volo, ſolere me in verbis alio-

a *In fine reſponſionis ad Epiſtolam 1. Eraſmi.* b *De verbis Domini.*

c *In Prologo Apologiæ pauperum.*

aliorum Auctorum ſyllabatim recitandis pleraque intermedia, quæ ad rem non faciunt, prætermittere, atque huiuſmodi prætermiſſionem interpoſitâ lineolâ deſignare, fideliter tamen, & ſine vllâ fraude ſententiæ, quam refero. Cuiuſmodi compendijs eo libentiùs, ac rectiùs vtor, quò & Apoſtolis ipſis olim fuiſſe vſitatam, quum in veteris Teſtamenti teſtimonijs recenſendis media ſubinde omittebant, animaduertit Origenes in *Epiſt. ad Romanos*, & ex eo notat Salmeron *Tom. 1. Prolegom. 4. pag. 42.* longè ſecus tamen, ac Aduerſarius, cæteríque falſarij, qui eò truncant media, antecedentia, & conſequentia, vel certè diſſimulant, vt fallacias, & dolos cudant, quod piaculum ab iſto tenebrione fuiſſe non ſemel commiſſum, infrà ſuo loco, ſicut etiam eiuſdem nomen & cognomen monſtrabo.

LAPIS LYDIVS

SCIOPPIANI INGENII, SPIRITVS, AC MORVM.

DIVISIO TOTIVS OPERIS.

LYDIVM *hunc Lapidem ad Hæretici Grammatici doctrinam & mores periclitandos, diſcernendoſq́ ex deſtinato adornatũ, quatuor ego in partes ſeco, ac diuido. In quarum primâ de Hæreſi, atque Hæretico nonnulla vniuersè in anteceſſum delibo, quæſtionemq́ hactenus nec ſatis excuſſam, neque datâ operâ propoſitam explico copioſeq́ illuſtro. Porrò quum vitia, quæ Hæreticis hærent, duplicis omnino ſint generis, alia quæ orthodoxæ fidei è regione aduerſantur, eosq́, qui illis laborant, Hæreticos propriè conſtituunt; alia, quæ in pleriſque etiam Catholicorum, vt ſuperbia, maledicentia, mendacium,* hypocriſis, *& ſimilia, reperiuntur; ſed quia in Hæreticis potiſſimùm regnant, hæreticamq́ doctrinam, atque perfidiam, ceu quædam mancipia à pedibus conſectantur, hæretica nihilominùs, quanquam minùs propriè appellantur: eodem modo Hæreſis quoque atque Hæretici notæ ac teſſeræ duplicis formæ ſunt: nonnullæ, quæ Hæreſim ipſam, atque Hæreticum planè deſignant, de quibus diſſero hîc in alterâ Lydij parte; aliæ verò, quæ Hæreſis Hæreticiq́ bullas tantummodò, ac luxuriantes veluti capreolos indicant, de quibus diſputo in tertiâ parte, Hæreſisq́ verrucas, quò à prioribus ſecernantur, appellare placet. In quartam denique reijcio quædam eiuſdem literatoris corollaria, de quibus ſingulis partitè nunc enucleateq́ diſceptandum.*

LA-

LAPIDIS LYDII PARS PRIMA.

Quoniam de Hæretico Grammatico, variaq́; eius Hæreſi multus mihi hoc in Lydio *ſermo futurus eſt, ne qua deinceps remora proferendis paulò pòſt teſſeris inijci queat, pauca hîc maturè hoc de ſcelere, ſceleſtiuq́; hominibus generatim in hac primâ parte ſunt perſtringenda.*

CAP. I.

Exploratæ de Hæreſi, atque Hæretico ſumptiones.

I. DISPVTATIONEM de Hæreſi, atque Hæreticis ex profeſſo, hoc loco inſtituere, quum ea huic *Lydio* minimè neceſſaria ſit, conſilium mihi non eſt; ſed potiùs, quæ à Theologis de huiuſmodi materiâ probè iam ſunt conſtituta, pro operis, quod aggredior, fulcimento carptim dumtaxat legere, Lectorique non tam probare, quàm ab alijs iam ſatis probata in mentem reuocare. Quo in argumento admodum videlicet, ſpinoſo, minimeque florido, vt vocabulis, Theologorum ore dudum iam vſurpatis ac tritis, ſine Latinitatis fraude, vti mihi integrum ſit, & iure meo poſtulo, & ipſa etiam Latinæ linguæ ſcita, vt alibi docui, a vltro largiuntur. Iam mora nulla eſt.

II. Ordior ab ipſâ Hæreſis definitione, quam Alphonſus à Caſtro *lib.1. de iuſtâ Hæret. punit. cap.1.* Azor *par.2. Inſtit. lib.8. cap 9 q.1.* Sanchez *lib 2. Decal. cap.7.* Becanus 2. 2. *de fide cap. 14. q. 1. num. 2.* Ferdinandus à Caſtro Palao *Tom. 1. Tract. 4. Diſp. 3.*

 so.1.

a *In Menſuris Latinitatis cap.26.*

to.1 num.1, vnà cum Cano, Coninck, Farinacio, Bonacinâ, & alijs, quos refert, tradunt, aiuntque eſſe *voluntarium, & pertinacem errorem intellectus contra aliquam fidei Chriſtianæ veritatem* : ſeu *propoſitionem falſam*, vt habet Alphonſus, *fidei Catholicæ repugnantem*, vel, vt docet Suarez *de fide diſp. 19 ſect. 5. num. 13.* probatque Cardinalis de Lugo *diſp 20. de Fide, ſect. 1. num. 31. Hæreſis eſt voluntarius, & pertinax error in materiâ fidei Catholicæ contrariâ, in homine, qui ſe Chriſtianum eſſe profitetur.* Quam definitionem latiùs explicans idem Alphonſus *cap. 4.* & cum eo Arnoldus Albertinus *de agnoſcendis Aſſertionibus, quæſt. 5.* ſancit Hæreſim eſſe, *quod eſt contra Scripturam; vel definitionem Concilij generalis; vel totius Eccleſiæ conſenſum, ſeu traditionem; vel Sedem Apoſtolicam, vel concordem omnium Doctorum ſententiam.*

III. Diuiditur porrò Hæreſis latè ſumpta in Hæreſim materialem, ſeu *obiectiuam*, vt vocant, & in Hæreſim formalem. Illa eadem omnino eſt, ac propoſitio hæretica, quæ cum quacunque ignorantiâ, culpæ etiam omnis experte poteſt conſiſtere; hæc perfidiam ſemper inuoluit. Hinc Caſtro Palao accommodatè ad hanc rem loco iam laudato: *Materia*, inquit, *& obiectum Hæreſis eſt, quod obiecto fidei immediatè repugnat. Quum enim D. Thomas communiter receptus 2 2. q. 11. a. 2. dixerit Hæreſim eſſe, quod fidem corrumpit, infertur ſanè, obiectum Hæreſis obiectum fidei corrumpere, eſſeq; illi contrarium.* (Sic enim legendum, non autem *eſt*, vt mendosè editum legimus.) *Ex quo fit, quamlibet propoſitionem ex diametro oppoſitam propoſitioni fide diuinâ credenda* (ita rurſum lego, non *credendam*, quæ Typographi oſcitatio fuit) *Hæreſim eſſe, quia eſt propoſitio deſtruens obiectum fidei, & fidem corrumpit.* Neque aliter Albertinus loco iam appellato, *quæſt 4 num. 4 & ſeqq.* Alphonſus item *cap. 1. cit* &

Suarez *de Fide, diſp.*19 *ſect.*2.*num.*22.ſentiunt,quorum poſtremus enucleatè *ſolam propoſitionem Hæreticam, materiam Hæreſis propriam & adæquatam eſſe* decernit Vnde, quid Hæreſis materialis, ſeu *obiectiua* ſit, perſpicuè ſatis dilucet.

IV. Quid verò Hæreſis formalis? Audi quid Palao inibi ſtatim ſubijciat. *Aliquibus*, inquit, *placet, non ſufficere hanc directam contradictionem fidei, vt propoſitio Hæretica ſit, niſi accedat pertinacia in proferente, eo quod contradicere quis poteſt fidei obiecto ignoranter, quâ ignorantiâ poſitâ Hæreticus non eſt. Sic docuit Caiet.* 2.2.q.11.a.1 *& ibi Bannes* a. 2. *Sed laborant ij in æquiuoco: aliud enim eſt loqui de propoſitione Hæreticâ formali, aliud de obiectiua, & materiali. Fateor ergo ad propoſitionem Hæreticam formalem, quæ idem eſt ac Hæreſis, requiri pertinaciam; at ad propoſitionem Hæreticam obiectiuam, ſeu ad obiectum Hæreſis, pertinacia non requiritur, quia hoc obiectum in ſola contradictione cum obiecto fidei conſiſtit* Quo etiam modo philoſophatur Alphonſus *Cap* illo 1. ſuprà relato.

V. Cæterum ad ignorantiam quod attinet, etſi me non fugit, Sotum, Palacium, & Lopez apud Suarez *diſp.*19. *cit ſect.*3. *num.* 2. quibus ſubſcribit etiam Lorca 2 2.*q.*11.*d.*41.*num.*15. cenſuiſſe, Hæreſim ex ignorantiâ qualibet grauiter culpabili committi; alios verò, vt Valentiam, & Sayrum ab eodem Suarez adductos, tum Felinum, Zabarellam, Ancaranum, Butrionem, Io. Andream, ac Toletum à Sanctarello *lib de Hæreſi, cap.*1.*dub.*5. *nũ.*12. commemoratos, ignorantiam minimùm craſſam Hæreſi conflandæ neceſſariam exiſtimare; alios demum, vt eundem Felinum, Tuſcum, Illyricum, Hondedeum, Nauarrum, Canum, Cordubam, Zumel, Torres ab eodem Sanctarello ibidem appellatos ignorantiam affectatam requirere: nihilominùs mihi longè communior Theologorum, Iuriſ-

que

que Pontificij Interpretum ſententia, multo magis arridet, quæ formalem abſolutamque Hæreſim, niſi cum pertinaciâ coniuncta ſit, negat exiſtere, quemadmodum apertè docent Suarez *ſect.3. cit.* Alphonſus *lib.1.aduersùs Hæreſes, cap 9.* Albertinus *loc.cit. quæſt.9 num.9.10.* & *quæſt.3.* & *29.* Coninc.2.2. *de Fide, diſp.18 dub.7. num.76.* Azor, Arragon, Bannes, Farinacius, quos producit, & ſequitur Palao *Puncto 2. num.1.* & *3. cit.* recensque approbat etiam Cardinalis de Lugo l.c. *ſect.5.n.154.*

VI. Quanquam autem ignorantia, quæ antecedens dicitur, à formali Hæreſi ex horum Doctorum placito vindicet, non tamen ea, quæ *concomitans* appellatur, vt rectè idem Suarez illic *num.16.* auctor eſt; *quia tunc illa ignorantia talis eſt, vt ſecum admittat, imò requirat voluntatem non mutandi ſententiam, etiamſi conſtet Eccleſiam aliud docere; nam ab hac voluntate habet illa ignorantia, quòd ſit concomitans, & conſequenter non eſt cauſſa errandi, nec excludit contumaciam.*

VII. Verùm ſi quis *errans in fide*, ex antecedente, inculpatâque ignorantiâ ſe erraſſe cauſſetur, in foro externo ei non creditur, inquit Palao *loc. cit. nũ.5. Si error commiſſus ſit, in his, quæ quis ex officio ſcire tenetur; vel quæ paſſim & communiter omnes illius qualitates ſciunt. Vnde Sacerdotes, Epiſcopi, & alij viri docti errantes in articulis fidei, & præceptis Decalogi, ex malitiâ præſumuntur errare, & non ex ignorantia. Sic* Menoch Conſ.82. *num.175.* Farinacius de Hæreſi *q.179. num.27.* & *28.* Simancas de Cathol. Inſtit. tit.27. rubr. de fide Cathol. num.13. Decianus in Tract. Crimin. lib.5. cap.37. num.15. *Pegna,* Direct.1. par. q.7. comment.22. verſ. Sit ſecunda regula.

VIII. Sed quum ad formalem Hæreſim conſummandam pertinacia, vt dixi, neceſſaria ſit, ne cui aqua hæreat, obſcurumque ſit, quæ huiuſmodi pertinacia eſſe debeat, aut vnde coaleſcat, recito

hîc,

hic, quæ Suarez *ſect.* illâ 3. iam laudatâ, ex communi Sapientum decreto appoſitè ita animaduertit: *Ad pertinaciam requiritur voluntas reſiſtendi Catholicæ doctrinæ, ſeu Eccleſiæ illam docenti; & cognitio ſufficiens auctoritatis Eccleſiæ, & quod doceat, ſeu proponat veritatem illam, contra quam aliquis errat.* Quam doctrinam priùs explicauerat etiam, ſuoque munitam ſuffragio vulgauerat Alphonſus à Caſtro *lib. 1. de Iuſtâ Hæret punit. cap. 9.* vbi huiuſmodi regulam hoc pacto defigit: *Quiſquis ſcit aſſertionem ſuam eſſe contra ſacram Scripturam, aut alicuius Concilij Generalis decretum, aut Papæ legitimam definitionem, aut contra communem omnium Catholicorum Doctorum ſententiam, aut contra tacitum Eccleſiæ conſenſum, errat, & peccat. Is, qui ſic ſciens errat, ſtatim ſine vlla vlteriori monitione eſt pertinax cenſendus.* Eidemque ſcientiæ percelebratæ Durandus, Gabriel, Corduba, Caietanus, Valentia, Vaſquez, Turrianus apud Sanctarellum, *de Hæreſi, cap. 1. dub 4. num. 18. num. 96.* & 78. & 93. nec non Sanchez, & Bonacina à Palao *puncto 2. cit. num. 1.* allati, & probati adſtipulantur.

IX. His de Hæreſi leui brachio perſtrictis, procliue erit, & de Hæretico breuia pſephiſmata inſtituto meo accommodata è Doctoribus excerpere. In primis Hæreticus ille eſt, diciturque, qui *committit Hæreſim*, vt ex communi Auctorum calculo Suarez *diſp.* 19. iam commemoratâ *ſect.* 5. *num.* 13. planum facit; quò etiam it Albertinus *loc. cit. q. 2. num. 1.* Hæreticum eum definiens, qui ſemel Catholicus, *aliquam opinionem contrariam Catholicæ veritati, pertinaciter tenet, & ſequitur.* Vnde fit, vt quemadmodum alia eſt Hæreſis materialis, ſiue *obiectiua*, alia formalis, ſicut expoſui; ita quoque alius ſit Hæreticus materialis, ſiue *obiectiuus*, is nempe, qui Hæreſim materialem, vel *obiectiuam*, ſeu propoſitionem Hæreticam profert;

alius

alius Hæreticus formalis, ille videlicet, qui Hæreſim formalem, ſeu cum pertinaciâ copulatam enuntiat. Quæ Hæretici duplex ratio valde notanda. Quin etiam *in ſacris Canonibus Hæretici nomen varium eſſe & multiplex* iam pridem Alphonſus à Caſtro *lib. 1 de iuſta Hæret. punit cap. 7.* monuit. *Nam aliquando*, inquit, *extensâ nimis eius ſignificatione, Hæreticus dicitur, quiſquis quomodolibet in Hæreſim lapſus eſt* (hoc eſt, ſeu in Hæreſim materialem tantùm, ſeu in propoſitionem Hæreticam inculpatâ, vel culpabili ignorantiâ, abſque pertinaciâ tamen, comitatam) *aut qui apertam, & vehementem de Hæreſi ſuſpicionem dedit.*

X. At vbi quis de Hæreſi, à quo debet, monitus non reſipiſcit, ſed mordicus eam tenere pergit, haud dubiè pertinax formaliſque Hæreticus iudicandus, quemadmodum magnus Theologorum Sol Auguſtinus *lib contra Manichæos*, ab omnibus receptus, referturque *cap.* Qui in Eccleſiâ, 24. *q.* 3. pronunciat. *Qui in Eccleſia*, inquit, *morbidum aliquid, prauumq́; quid ſapiunt, ſi correcti, vt ſanum rectumq́; ſapiant, reſiſtant contumaciter, ſuaq́; peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolint, ſed defenſare perſiſtunt, Hæretici ſunt.* Quocirca Alphonſus *lib.* 1. *de iuſta Hæret. punit. cap* 10. *Qui incidit*, ait, *in Hæreſim apertè damnatam, ſat eſt ei oſtendere expreſſam Eccleſiæ definitionem, aut contradictoriam eius in Scriptura expreſſam, vel immediatâ, & euidenti conſequentiâ deductam:* & ſi adhuc peruicaciter ei adhæreſcat, Hæreticus formalis reputandus eſt.

XI. Sed quis ille, inquiet aliquis, à quo eiuſmodi admonitio fieri debet, vt qui erroris Catholicæ fidei aduerſantis commonitus, niſi eum expectoret, ac deteſtetur, Hæreticus pertinax actutum euadat? Certum eſt, ſatis eſſe, ſi quis à Summo Pontifice, vel à Concilio generali moneatur. Quid ſi ab Epiſcopo, vel ab Inquiſitore,

vel

vel ab alijs viris doctis de Hæreſi meritò appellatus, & prolatis Chriſtianæ veritatis oraculis planè conuictus perfidiæ, adhuc pugnaciter reſiſtat? Hunc in Hæreticorum album, tametſi errorem ſuum Eccleſiæ ſcito non repugnare autumet, omnino referunt Bartolus, Vgolinus, Alphonſus à Caſtro relati à Sanchez *lib.2.Decal. cap.7. nũ. 25.* Eiuſdemque mentis Ferdinandus à Caſtro Palao eſt *puncto* 2. ſæpius teſtato, *num.6.* valideque cunctos, qui diſſentiunt, refellit. At Suarez *diſp.19. cit. ſect.* 3. *num.*20. & 21. fatetur in primis hanc communem eſſe Iuriſperitorum opinionem; deinde quantum ad forum externum talem ſententiam certam & iuri *Canonico cap.* ad abolendam, *de Hæreticis*, conſentaneam à ſe exiſtimari; demum quantum ad forum internum eandem quoque ſibi probari, quoties admonitio decretum Eccleſiæ monito ponit ob oculos.

XII. Quid verò, ſi quis propoſitionem non quidem *de fide*, ſed Theologicam tantummodò neget? Hæreſis etiamnum à Cano, à Valentiâ, & à Bonacinâ apud Ferdinandum à Palao *puncto* 2, jam indicato *num* 18. poſtulatur, ſed intercedit idem Ferdinandus, inibi *num.* 19. vnà cum Arragon, Sanchez, & Suarez, probatque *non eſſe Hæreticum, bene tamen præſumi.*

XIII. Quod ſi quis fidem externis ſeu verbis, ſeu factis neget, etiamſi intrinſecus credat, neque aſſenſum amittat, ſeque erraſſe ſine animi deliberatione dicat; in foro externo credulas aures minimè reperit, *quia ſtat aduersùs illum præſumptio, quum nemo ſeriò præſumatur dicere, vel facere; niſi quod ſentit. Aliàs ſi excuſatio hæc hæreticis prodeſſet, omnes impuniti euaderent, ſiquidem facillimo negotio hanc poſſent excuſationem aſſumere*; vt eodem loco Ferdinandus, laudatis Simanca, Roia, & Farinacio, commodùm differit.

XIV. Denique, qui *in vno articulo Hæreticus eſt*, dici poteſt *verè propriè, & ſimpliciter Hæreticus in omnibus*, vt Farinacius *q.178.de Hæreſi §.2. nu.64.* & *66.* cum omnibus Theologis, & pluribus alijs, quos illic recitat, apertè docet.

Cap. II.

Hæreticos clam venena Hæreſis inhalantes multo eſſe nocentiores, quàm manifeſtò bacchantes.

I. VErùm cuncti Hæretici, quibus in Chriſti Domini Eccleſiâ ad animarum perniciem graſſari ſolemne, & ſumma votorum eſt, duplicem in phalangem ſeu agmen diuiduntur. Nam alij palàm impudentiam profeſſi, nudatis perfidiæ impietatiſque mucronibus Catholicam fidem inuadunt; alij ex inſidijs & cuniculatim eandem per varias fraudes, vt conſtat, adoriuntur. Quod geminum Hæreticorum genus illis Cantici Salomonis verbis: *a Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas:* graphicè adumbratum D. Bernardus exiſtimat; ſiquidem nonnullæ vulpes vulgo ſatis compertæ, & notæ: aliæ clancularię, & tectæ. Illæ minùs infeſtæ, iſtæ multo perniciosiores. Haud ſecus Hæreticorum alij, luce palàm Eccleſiæ Dei bellum indicunt, alij tantùm diſſimulanter, ſed hi longè exitiabilius, quàm illi. Vbi enim Hæreſis ſignis in propatulo collocatis, caſtra mouent Hæretici, atque in aciem prodeunt, nullo negotio obſeruantur, repelluntur, profligantur. Quippe *quum Eccleſia ſemper ab initio ſui vulpes habuerit*, vt ſapienter idem Bernardus, *b citò omnes comperta, & capta ſunt. Confligebat Hæreticus*

a *Cant.2.* b *Serm.65. in Cant.*

ticus palàm. Nam inde Hæreticus maximè, quod palàm vincere cupiebat, & ſuccumbebat. Ita ergo facilè illa capiebantur vulpes. Quid enim ſi poſitâ in lucem veritate, Hæreticus in ſua pertinacia tenebris remanens, ſolus foris relegatus areſceret? Nihilominùs capta reputabatur vulpes, condemnatâ impietate, & impio foras miſſo, oſtentui vtique iam victuro, non fructui. Ex hoc iuxta Prophetam erant illi vbera arentia, & venter ſterilis; quia non repullulat error publicè confutatus, & falſitas aperta non germinat.

11. At vbi Hæretici laqueos, decipula, ac peſtem artificioſis technis defodiunt, tum enim verò ægrè deprehenduntur, tum incautis facilè imponunt, tum antiquos maximè homines inſiciunt ac perdunt. Idcirco eorum è grege quàm plurimi *nihil magis curant*, vt cordatè Tertullianus *a quàm occultare, quod prædicant, ſi tamen prædicant, quod occultant.* Hi ſunt, *qui linguis ſuis*, vt canit Regius Vates, *b doloſè agunt.* Hi qui *aliud in corde tenent*, vt bellè exponit D. Hieronymus, *c aliud in ſermone pollicentur. Pietatem loquuntur, & occultant Antichriſtum.* Hi amicis S. Iobi pares omnino, *d* qui *quaſi dum conſulunt, inuehuntur.* Hi, qui *ſub ſpecie conſulendi*, vt pulchrè interpretatur Gregorius Magnus, *e agunt negocium ſeducendi.* Hi, quibus *moris eſt*, vt egregiè Ioannes cognomento Chryſoſtomus obſeruat, *f ſeipſos occultare in principijs, quouſque maiorem fiduciam capiant, & quodam fauore multitudinis iuuentur. Tunc enim contagioſa venena intrepidi effundunt.* Vulpes nimirum ſunt poſterioris generis, ex fraudibus præſtigijsque totæ conſutæ, *quæ*, vt D Bernardus ſuprà laudatus acutè expendit, *g nocere, quàm vincere malunt, & ne apparere quidem nolunt, ſed ſerpere.*

Quod-

a Lib. aduerſus Valentinianos cap. 1. b *Pſalm. 5.* *c Ibi.* d *Iob.* e *25. Moral. 1.* f *Homil. 47. in cap 13. Matth.* g *Loc. cit.*

Quodque portenti inſtar habet, vbi *omnibus vna intentio Hæreticis ſemper fuit, captare gloriam de ſingularitate ſcientiæ; ſola iſta malignior cæteris, verſutiorq; Hæreſibus, damnis paſcitur alienis, propriæ gloriæ negligens. Docta, credo, exemplis veterum (quæ proditæ euadere non valebant; ſed confeſtim capiebantur) cauta eſt nouo maleficij genere, operari myſterium iniquitatis eò licentius, quo latentius. Denique indixere (vt dicitur) latebras ſibi, firmauerunt ſibi ſermonem nequam. Iura, periura, ſecretum pandere noli.*

III. Ex cunctis tamen Hæreticis tenebricoſis & clancularijs, nemo Chriſtianæ Reipub. cladem maiorem infert, quàm qui deſertæ Hæreſis, Catholicique viri ſumptâ perſonâ, nuntium impietati à ſe remiſſum, atque exaduerſum Chriſti religionem ſanctè arreptam ſubdolo ore, fronteque nauiter perfrictâ, mentitur; adeoque rectè idem melligenus Doctor, *a Longè plus nocere falſum Catholicum, quàm ſi verus appareret Hæreticus*, pronuntiat. Nimirum inſaniæ venenum, qui fucatus Catholicus eſt, non ſolùm captioſorum melle verborum illinit, ſed fallendi cupidùs, ſimulatâ etiam vitæ probitate multo leniùs improuidis animis inſtillat, tam inſidioſè abditeque, vt niſi quis in ſpeculâ ſemper ſit, atque apud ſe habitet, fraudis nihil planè odoretur, aut ſuſpicetur; ac proinde tanto proniùs, grauiusque, nihil labis metuentibus labem adſpergit. Ad viuum prorſus huiuſmodi veteratorum laruas, præſtigias & vulnera, quæ infligunt, idem D. Bernardus ita expingit: *b Quod ſignum dabitis, vt palàm fiat peſſima Hæreſis hæc, docta mentiri, non linguâ tantùm, ſed vita? Et quidem recens vaſtatio vineæ vulpem indicat adfuiſſe; ſed neſcio qua arte fingendi ita ſua confundit veſtigia calliđiſſimum animal, vt qua vel intret, vel exeat, haud facilè queat ab homine deprehendi; cumq; pateat opus, non apparet*

a *Loc. cit.* b *Ibidem.*

apparet Auctor: ita per ea, quæ in facie ſunt, cuncta diſſimulat. Denique ſi fidem interroges, nihil Chriſtianius; ſi conuerſationem nihil irreprehenſibilius, & quæ loquitur, factis probat. Videas hominem in teſtimonium ſuæ fidei frequentare Eccleſiam, honorare Preſbyteros, offerre munus ſuum, confeſſionem facere, ſacramentis communicare. Quid fidelius? Iam quod ad vitam moresq; ſpectat, neminem concutit, neminem circumuenit, neminem ſupergreditur. Pallent inſuper ora ieiunijs, panem non comedit otioſus, operatur manibus, vnde vitam ſuſtentat. Vbi iam vulpes? Tenebamus eam: quomodo elapſa eſt è manibus? quomodo tam repentè diſparuit? En laruas, en præſtigias. Intuere nunc vulnera & vlcera. *Certè vinearum demolitio (pergit Bernardus) teſtatur vulpem. Mulieres relictis viris, & item viri, dimiſſis vxoribus, ad iſtos ſe conferunt. Clerici & Sacerdotes, populis Eccleſijsq; relictis, intonſi & barbati apud eos inter textores, & textrices plerumque inuenti ſunt. An non grauis demolitio iſta? an non opera vulpium hæc?* Sine dubio, & quidem teterrima, quæ non tantùm à Catholicæ religionis transfugis, Hæreſiſque cornua palàm erigentibus, ſed etiam ab ipſiſmet Hæreticis Chriſtiano gregi per operoſam Hæreticæ fraudis & ſycophantiæ diſſimulantiam aggregatis, nequiſſimè perpetrantur.

IV. Nec rarò ſanè huiuſmodi vulpes perſonatique Hæretici Eccleſiam Chriſti diuexant, ac lacerant. Quot enim monſtra id genus Diuus Hieronymus ſuo conſpexit ſeculo, quum graui iuſtâque eorum indignatione commotus, vociferari coactus eſt,[a] *Hæc quotidie cerni & rebus probari, quod ideò Hæretici fidei ſimulent veritatem, vt ſimplices quoſque decipiant, & non ipſi conuertantur ad fidem ſed fideles trahant ad infidelitatem?* Num verò cum noſtro ſeculo mitiùs, aut feliciùs agitur, vt ab

hiſce

a *Lib. 3. in Ierem. cap. 13.*

hiſce abditis hoſtibus, ac malè cicuratis furijs Chriſtianam Rempublicam liberam planè videamus? ſcilicet. Quàm multa huiuſce notæ portenta in Catholicos populos latenter irrepunt, virusque perfidiæ clam in alios fraudis ſecuros peni-tusque incurioſos propagant? frequentia experimenta ipſa luculenter teſtantur, omnesque probi ingenti ſenſu doloris continenter deplorant. Verùm luctum mœroremque iſtorum leuat maximè, & conſolatur idem S. Hieronymus, expreſsè denuntians; *a Quòd ſi tranſlati in Eccleſiam peruerſorum dogmatum reliquias tenuerint, & non audierint verba Domini; euelletur gens illa de medio populi Dei, euulſione, & perditione perpetuâ, vt nequaquam eis vllus locus pœnitentiæ relinquatur:* quod iam denatis, atque ab hac vitâ abiunctis contingere perſpectum eſt. Etſi hîc quoque, qui huiuſmodi gentem euellere, ſi non poſſunt conuertere, ſummopere ſtudeant, minimè deſint, de quibus proximè anquirendum.

Cap. III.

Hæreſis, Hæreticique cognitio ac iudicium, ad quem pertineat.

I. QVum Hæretici partim aperti, partim occulti Eccleſiam Chriſti Domini affligere, vt explanatum eſt, non deſinant; nunc in rem meám indagandum diligenter eſt, quorum maximè interſit, eos internoſcere, agnitosque damnare, ſeu ad quem cognitio iudiciumque de Hæreſi, ac de Hæreticis ſpectet. Pro cuius quæſtionis explicatione.

II. Animaduertendum breuiter eſt, cognitionem & iudicium duplex eſſe poſſe in hac materiâ, alterum propriè acceptum, illud videlicet, quod Iudex propriè item ſumptus in foro externo &

contentioſo cum publicâ auctoritate, & iuriſdictione inter alios exercet, habens quoque poteſtatem obligandi eos, quibus ius dicit, vt latæ ab ſe ſententiæ obſequantur; tum coërcendi, mulctandique, quoſcunque refractarios compererit: alterum verò impropriè vſurpatum, illud nimirum, quod omnis auctoritatis, & iuriſdictionis expers, nullâque obligandi, aut puniendi facultate prædıtum, nec non à formâ, ſtrepituque extranei fori, publicique iudicij longè diuerſum, à quocunque mortalium de qualibet re priuatim tantùm fit, ac datur.

§. I.

Iudicium de Hæreſi Hæreticiſq; forenſe & contentioſum ad Concilium Generale, Sedemq; Apoſtolicam, & Summum Pontificem dumtaxat ſpectare.

III. Iam ſi de cognitione & iudicio prioris generis propriè accepto quæramus, ſtatim quæſtio ipſa in quæſtione ampliùs non eſt, quum apud Catholicos omnes extra controuerſiam exploratum certumque ſit, cauſſas de Hæreſi, Hæreticisque eâ ratione cognoſcere, ac iudicare; tum auctoritate & iuriſdictione, prauam quamlibet doctrinam Hæreſeos, quæ tabo huiuſmodi vitiata eſt, notandi damnandique, nec non eiuſdem criminis, quicunque illi obſtrictus eſt, reum, atque Hæreticum pronuntiandi, vniuerſumque Chriſti Domini cœtum, ad damnatam illam doctrinam pro Hæreſi habendam, hominemque ipſum Hæreticis accenſendum grauiter obligandi, & pœnis etiam quoſcunque obluctantes capitones compeſcendi præſtare, ſolius eſſe Concilij Generalis, &

Apoſtolicæ Sedis, Summiq́ue Pontificis; quemadmodum diſertè tradit Arnaldus Albertinus *lib. de agnoſcendis Aſſertionibus Catholicis, & Hæreticis, q.* 2. *num.*8. a *num* 1. & *q* 9. *num.*1. Alphonſus à Caſtro *lib.* 1. *de iuſta Hæret. punit. cap.* 5. & *lib.* 1. *aduersùs Hæreſes, cap.*8. & Sanctarellus *lib. de Hæreſi, cap.*40. alijq́ue complures; & Albertinus quidem *q.* 9. illâ relatâ diſtinctè quærit, *ad quem ſpectet, auctoritate iudiciali, & ſupremâ, definire aliquam aſſertionem eſſe Catholicam, vel Hæreticam, & ſic dubia fidei terminare:* reſpondetq́ue ac probat ex Pontificio iure, ex PP. Cyrillo Ieroſolymitano, & Hieronymo, ex D Thomâ, atque ex Caietano, *quòd ad Summum Pontificem, eiusq́; Sanctam Sedem Apoſtolicam hæc determinatio, & definitio ſpectat.* Omitto ſponte rationum momenta & teſtimonia, quibus huiuſmodi aſſertio nititur, quòd illa ab alijs congeſta, quum hæc minimè dubia ſit, hoc loco repetere otioſum duxerim.

IV. Quare *nec Vniuerſitas alicuius Academiæ,* inquit Alphonſus *loc. cit.* & meritò, *quantâlibet literarum èminentiâ polleat, poteſt ſic de Hæreſi cenſere, vt eius cenſura, & ſententiæ omnes fideles Catholici obedire teneantur.* Et paulò pòſt; *Hoc autem priuilegium certitudinis quum nulla particularis, & priuata perſona habeat, conſequens eſt, vt nulla talis in cauſſâ fidei ſit iudex, cuius iudicio & ſententiæ omnes fideles Catholici obedire teneantur.* Idcirco Iulius III. Conſtitutione XI. quæ incipit: *Licet à diuerſis*, grauiſſimis pœnis propoſitis, atque inter reliquas intorto anathematis fulmine, ſeueriſſimè vetat, *ne Seculi poteſtates, & Domini temporales, ac Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum & Locorum quorumcunque Rectores, quibuſcunque Dignitatibus, vel Officijs, aut nominibus cenſeantur, de crimine Hæreſis, quum merè ſit Eccleſiaſticum, quoquo modo cognoſcant, vel iudicent.* Quos autem eiuſmodi anathemate, ac pœ-

nis Summus Pontifex feriat ac deſignet, mox dilucidè patefacit, ſubdens: *Mundanæ gloria eò proceſſiſſe ambitionem, vel ſacrorum Canonum inſcitiam, vel Eccleſiaſtica diſciplina contemptum, vt in animarum ſuarum perniciem, atque interitum Diœceſanos Epiſcopos, & Inquiſitores à Sede Apoſtolica inſtitutos, inquiſitionis officiũ exercentes, alij ſub iuſtitia prætextu, ne vlli ſcil. fiat iniuria, impedire; alij verò ſub pietatis colore, vt ſontes ſcilicet ſeueriùs puniantur, ſe ipſis Diœceſanis Epiſcopis, & Inquiſitoribus adiungere, & vnà cum eis de ipſo Hæreſis crimine cognoſcere, proceſſus formare, formatosq́; ſuo iudicio ſubmittere non erubeſcant.*

V. Verùm hæc de Hæreſis crimine cognoſcendi iudicandique poteſtas, quæ penes Concilium Generale, & Sedem Apoſtolicam, Summumque Pontificem, vt dixi, per ſe eſt, ab eodem Capite ipſis quoque Epiſcopis, atque Inquiſitoribus in rebus perſpicuis minimeque dubijs defertur, vt idem Albertinus ſuprà iam ſæpius allatus *quæſt* 8. *num.* 1. 2. 3. 4 *&* 7. nec non Alphonſus à Caſtro *loc. cit.* explicatè docent, quorum hic poſterior, vbi *Hæreticæ prauitatis Inquiſitores* admonuit, *ne facilè de Hæreſi pronuntient*, ſtatim adijcit: *Si Hæreſis eſt iam olim damnata, aut euidentiſſimis ſcripturæ teſtimonijs deprehenditur, & non humano ratiocinio, cui poſſit obuiari; tunc executores ſunt, vt exequantur id, quod circa Hæreticos decreta Pontificia fieri iubent.. Si autem res eſt dubia* &c. *Sedes Apoſtolica eſt conſulenda.* Addit inſuper idem Alphonſus *lib.* 1. *de iuſta Hæret punit cap.* 10. *concl* 2. neminem Hæreſis reum, cui *Hæreſis per euidentia argumenta oſtenſa ſit,* poſſe ab Inquiſitore ad Pontificem Maximum prouocare. Hæc de externo iudicio foroque contentioſo pro operis mei inſtituto ſatis.

§. II.

An Iudicium priuatum de Hæreſi, atque Hæretico nondum à Sede Apoſtolicâ damnato viris doctis facere, ac peruulgare liceat.

I. Hinc altera actutum è proximâ enaſcitur quæſtio, an per recitata Apoſtolica ſcita, aliaſque Sanctiones Eccleſiaſticas ſicut iudicium de Hæreſi, atque Hæretico publicum, & forenſe nemo, niſi cui ab Apoſtolicâ Sede illius cura delegatur, exercere poteſt, vt vidimus; ita etiam quodcunque priuatum ac ſolitarium de Hæreſi pariter Hæreticoque iudicium cunctis viris ſpeciali facultate à Pontifice Maximo datâ carentibus interdictum planè ſit, ſublataque poteſtas omnis hac de materiâ decernendi; an è contrario minimè vetitum, ſed permiſſum, conceſſumque doctis hominibus, maximè Theologis, de Hæreſi, atque Hæreticis agere, tractare, cognoſcere, iudicare, Hæreſiſque Hæreticique notam certæ doctrinæ hominique, etſi à Sede Apoſtolicâ nec dum Hæreticis adnumerato, vbi grauia, & ſolida argumenta id perſuadent, inurere, atque huiuſmodi cenſuram in Commentarios etiam referre, lucique committere?

II. Queſtionem hanc quis ex deſtinato è Theologis, vel Iuriſperitis excitârit, ac profligârit, prorſus ignoro; nullumque ex ijs, etſi in cunctis noſtræ Bibliothecæ Doctoribus, quoſcunque Symboli aliquid ſaltem ad eam dare poſſe ſuſpicatus ſum, accuratè peruolutandis multus fui, hactenus reperire potui; neque meâ qualicunque induſtriâ & facultate contentus, è pleriſque etiam Theologiæ Profeſſoribus doctiſſimis, nec non Iuriſprudentiæ Conſultiſſimis percontatus ſum non ſemel,

mel, an illam ipſi aliquando ab aliquo Auctore habitam ac perſolutam viderint, inaudierint, meminerint; nemoque ad id locorum mihi vel vnum ſolumque indicauit. Quamobrem ſicut prima de forenſi iudicio controuerſia, quæ ſine controuerſiâ eſt, explicatu facilis admodum fuit; ita hæc ſecunda de priuato valde impedita ac ſalebroſa, eoque magis, quo nullum in eâ ducem, cuius veſtigijs inſiſtam, nanciſci mihi fas eſt. Dixi antè, *Quis ex deſtinato excitarit profligaritq́, me ignorare*, vt tempeſtiuè innuerem me hîc nihil morari illos, qui ſtrictim breuiterque aliquid huiuſmodi attigerunt, libâruntque dumtaxat, ſed non diſceptârunt. Strenuam proinde operam mihi nauandam exiſtimo, quò tam anceps, tantique momenti dubitatio hactenus omnino ferè prætermiſſa, è latebris in ſolem euocetur, bonoque in lumine collocetur.

III. Sed vt certa ab incertis ſeponantur, proſpiciendum in primis eſt, Hæreſim, cuius nota alicui doctrinæ, vel homini inuritur, duplicem ſtatui poſſe, aliam, quam manifeſto Concilij Generalis, Sedis Apoſtolicæ, vel Summi Pontificis decreto damnatam iam eſſe, compertum eſt; alteram, quæ neque dum nominatim ab Eccleſiâ proſcripta eſt, ſed aliunde ſeu è ſacris literis, ſeu è traditione, ſeu è Patrum antiquorum documentis reuincitur. Iam quum Hæreſis primi generis eſt, damnata expreſsè, puta error impius negantium verum Chriſti Domini corpus in auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento reapſe præſens eſſe, extra controuerſiam penitùs eſt, huiuſmodi errorem ab omnibus, quibus Eccleſiæ cenſura in eum peracta innotuit, liberè poſſe Hæreſim appellari; quin etiam debere, in ſacris pręſertim Concionibus, ac libris foras datis, quò ſcilicet Chriſtiani populi illam agnoſcant, ac deteſtentur; tum quia iam Eccleſia ipſa ita ap-

pellandum, vt hîc ponitur, iam denunciauit; tum quia ſi appellare liceret, nouâque Eccleſiæ ſanctione opus foret, omnia Eccleſiæ, Pontificum, Sediſque Apoſtolicæ ſcita in irritum planè caderent, aliaque & alia infinitè, ſi primum, etſi perſpicuum non ſufficit, otioſè requirerentur; tum quia, ſi quis talem errorem à tali cenſurâ vindicaret, Hæreſimque vocandum inficiaretur, iam ipſemet Hæreſeos labe infectum ſe proderet; tum quia idem error Hæreſis nomine à cunctis non ſolùm Theologis, & Doctoribus, ſed ab omnibus etiam, qui Chriſtianâ *Catecheſi* imbuti ſunt, rectè riteq; inſigniri conſueuit; eademq; prorſus ratio de cæteris erroribus eſt, quos Eccleſia Hæreſis appellatione dehoneſtauit. Quare de ipſo Hæreſis, aut Hæreticæ doctrinæ nomine, qui errori ab Eccleſiâ ſeu Romano Pontfice, Sedeúe Apoſtolicâ iam ambuſto perculſoque, ab omnibus tuto affingi queat, lis nulla eſſe poteſt.

IV. Quod ſi de homine non certo, & ſignato, ſed indefinito, & promiſcuo quęratur, an qui Chriſti Domini verum corpus in Euchariſtiâ negat exiſtere, Hæreticus ſit, itáque appellandus; nulla item contentio, quin hoc nomine à cunctis donandus, ac dedecorandus meritò ſit, ob eaſdem rationes modo expoſitas, quæ hîc pariter militant, eſſe poteſt. Præterquàm quod mutuò relata, mutuoque inter ſe nexa videntur, aliquem errorem Hæreſis nomine eſſe damnatum, & eum, qui talem Hæreſim imbibit, Hæreticum eſſe. Quis enim Hæreticus eſt, niſi qui Hęreſim, vt anteà definitum eſt, *a* committit? Quando igitur hunc, vel illum errorem Hæreſim dicendum eſſe controuerſioſa res minimè eſt, quidni etiam & qui eiuſmodi Hæreſi deprauatus eſt, ex *denominatiuorum* nominum, vt vocant, lege Hæreticum dici ius faſque ſit?

V. Quocirca tota, quæ ſupereſt, altercatio huc demum redigitur, an priuato Doctori certum ali- quem

a *Cap.* I.

quem ac ſingularem hominem, puta Titium, quem Hæreſi ab Eccleſiâ, vel Sede Apoſtolicâ, aut Romano Pontifice iam damnatæ palàm adhæreſcere argumentis haud dubijs perſpectum habet, Hæretici nomine, antequam ab vllo Eccleſiaſtico Iudice in foro contentioſo Hæreticus publicè ſit declaratus, ob graues iuſtasque cauſſas deſignare integrum ſit?

VI. Hoc in euentu cenſeo omnino, ab eiuſmodi Doctore, qui Titium eſſe Hæreticum nouit, iſtius nomen ad Sacrum Quæſitorem quàm primùm deferendum, tum vt ſanctiſſimis Apoſtolicæ Sedis edictis, quæ ita planè iubent, morem gerat, tum etiam quia, etſi vulgato libro Titij Hæreſim refellere cogitaret, quum tantum præſidij ad cunctas Hæreſes Hæreticosque refrænandos in Pontificio illo religioſoque Tribunali poſitum ſit, id ad Titij amentiam comprimendam nullo modo debet negligere.

VII. Addo prætereà, ſi Titius Hæreticus capi, Hæreſeosque flamma ab eo excitata Inquiſitoris auctoritate ac viribus penitùs extingui poteſt, vbi id ab eodem Inquiſitore probè geſtum, perfectumque conſtiterit, nihil ampliùs ab illo Doctore, vel alio tentandum, neque vltra pergendum videri. Quum enim ægrotus, depulſo morbo, priſtinæ valetudini omninò reſtitutus eſt, quorſum inſuper miſſione ſanguinis, vel vſtrinâ, aut pharmacis excrucietur? Haud ſecus quum Hæreſis carcinoma, quo Titius laborabat, iam Quæſitoris operâ exuſtum, exciſumque prorſus, ne qua eius contagio aut lues ad alios permanare queat, ſtatuamus; quid attinet editis in eum libris planè ſuperuacaneis, ac plerumque etiam noxijs, negotium afflicto, & iam ſua piacula lacrymis diluenti faceſſere, nouasque faces ſopitis iam incendijs intempeſtiuè ſubijcere.

§. III.

Fas eſſe priuato Doctori certum hominem Titium ex grauibus cauſſis, perſpicuiſq; argumentis Hæretici nomine, ac nota, emiſſo etiam in lucem libro commaculare; idq; primo veterum Patrum exemplo.

I Quid verò, ſi Titius Hæreticus comprehendi non poſſit, Hæreſimque alijs vel clam inhalet, vel concionabundns etiam publicè ſerat, aut floridâ quoque oratione exornatam, typiſque editam remis veliſque dilatet; neque illum Inquiſitores, neque Sedes Apoſtolica compeſcere; neque ingentia damna rei Catholicæ ab illo importata reſarcire poſſint; vel ſi poſſint, vt maiora mala caueant, meritò diſſimulent? hic nodus, hic cardo totius quæſtionis eſt, cuius enodandi, emouendique gratiâ.

II. Præcipiendum animo eſt, quum ſuprà *cap.* 1. ille Hęreticus definitus ſit, qui *Hæreſim committit*, tantundem eſſe, ſi quis Hæreſim commiſiſſe, vel quiduis aliud re ac ſenſu huic par idemque feciſſe aut ſcripſiſſe dicatur, ac ſi Hęreticus vnicâ voce appellaretur, vt liquet. Quocirca qui alium ait *Apoſtatam* à Catholicâ religione, quum hic talis eſſe nequeat, niſi ſimul etiam Hæreticus ſit, vt patet, ſatis eum Hæreticum exprimit. Eodem modo, qui omiſſo generali Hæretici nomine, alicuius ſingularis ſectæ atque Hæreſis ab Eccleſia iam damnatæ certâ notâ hominem ſingularem deſignat, ac Titium Lutheranum, Caium Arianum, Sempronium Pelagianum vocat, perinde reuera eſt, ac ſi Hęreticum nuncuparet, ſicut qui hominem, equum, bouem nominat, non poteſt non vnà

quoque

quoque animal reapſe inuoluere atque enuntiare, quamuis non ita enucleatè ac dilucidè. Cęterùm quod ad rem præſentem attinet, certum apud Doctores eſt, paris criminis, atque infamiæ manifeſtum haberi, qui Lutheranus, vel Caluiniſta ſpeciatim, ac qui Hæreticus generatim appellatur. Propterea S. Cyrillus in Apologiâ ad Imperatorem Theodoſium, vbi commemorauit ſe à Ioanne Antiocheno Epiſcopo perſtrictũ per calumniam; quod *cum impio Apollinario ſentiret, Aryj, & Eunomij friuola, & impia dogmata approbaret*; mox hoc refellens ſubdit: *Si Hæreticus ſum, & impiæ Apollinarij, prætereà & Arij & Eunomij improbitatis conſors, quomodo me comminiſtrum vocat?* & tamen nomen Hæretici expreſſum, Cyrillo exprobratum non fuerat, ſed tantum Ariani, Apollinariſtæ, ac Eunomiani. At quia ſpecies genus continent, rectè Cyrillus colligit, ſe quoque Hæreticum fuiſſe nuncupatum. Hinc

III. Aio planiſſimè, viro docto, Theologo præſertim, ius poteſtatemque eſſe, eiuſmodi Titium, etſi ab Eccleſiâ nondum nominatim damnatum, Hæretici nomine, ad opportunum, vel neceſſarium Catholicæ fidei patrocinium ſuſcipiendum, damnumque commune, quod aliter vitari nequit, auertendum, perſtringere; tum Apologetico etiam luci credito, reuincere, & peruulgare; non omiſsâ tamen eiuſdem ad Sacros Quæſitores feſtinâ delatione. Quod ego ſcitum, aſſertionemque graui in primis luculentoque priſcorum Patrum exemplo illuſtrare ac demonſtrare, pretium operæ magnum exiſtimo. At quia longum nimis foret ſingulos hic percenſere, pauci ad ſpecimen, fidemque ſatis erunt. Ordior à Tertulliano, qui Hermogenem, Heracleontem, & Theodotum Melchiſedechianum explicatè Hęreticos vocat, & ſcribit. *Hermogenis autem doctrina tam nouella eſt*, inquit,

quit, *a* *cap.* 1. in Hermog. *homo in ſeculo, & naturâ quoque Hæreticus etiam turbulentus.* Et lib. de præſcript. cap. 49. *b* *Extitit prætereà Heracleon alter Hæreticus, qui cum Valentino paria ſentit.* Et capite poſtremo eiuſdem libri: *c* *Poſt Theodotum Byzantium alter quoque Theodotus Hæreticus erupit.* Non ſecus Philagrius Ægypti præfectus: *d* *Transfuga noſtræ religionis* atque *Apoſtata in Eccleſiam infeſtus, & præceps* à magno Athanaſio in Epiſtolâ ad Orthodoxos appellatur. Quid Iulianus Imperator Catholicæ religionis perduellis? *e* *Apoſtata poſt Iudam Proditor, poſt Pilatum Chriſticida, poſt Iudæos Dei Hoſtis* à Gregorio Nazianzeno priore in eundem Iulianum oratione indigitatur. Rurſum Athanaſius in eâdem Epiſtolâ Gregorium Cappadocem Hæreticis Arianis accenſens: *Scirent,* inquit, *f* *neminem, niſi Arianos cum Gregorio eſſe, ipſumq́ adeò Arianum & eſſe, & ab Ariano Euſebio miſſum eſſe cognoſcerent.* Sed multò adhuc animoſiùs Lucifer Calagaritanus Epiſcopus, elucubrato, & miſſo ad Conſtantium Cæſarem lib. *de moriendo pro Filio Dei*, liberè ſic eum increpat: *g* *Sicut apud Nicæam contra Hæreſim tuam Arianam, & omnes errores videtur eſſe ſacra fides conſcripta.* Pari libertate Baſilius Archimandrita de Neſtorio Conſtantinopolitano Epiſcopo, antequam ab Epheſino Concilio damnaretur, vt in libellis, qui inter eiuſdem Concilij acta habetur, intueri licet, ita narrat: *h* *Simplex quidam Monachus Zelo quodam vehementi inſtigatus per mediam Eccleſiam progreſſus, impietatis præconem, quod Hæreticus eſſet, quodq́ populi Synaxis haberetur, ab ingreſſu*

a *Refert Baronius Tom. 2. Anno Chriſti* CLXX.
b *Ibid Anno* CLXXV. c *Ibid Anno* CXCVI.
d *Tradit Baronius Tom. 3. Anno Chriſti* CCCXLII.
e *Tom. 4. Anno* CCCLXIII. f *Baron. Tom. 3. Anno Chriſti* CCCXLVII. g *Ibid. Anno* CCCLVI.
h *Tom. 4. Anno* CCCCXXIX.

greſſu prohibuit. Sed hunc ille (nempe Hæreticus Neſtorius) *egregiè caſum magnificis Præſidibus præbuit.*

IV. Quibus veſtigijs inſiſtit quoque Hugo in vitâ Norberti cap. 34. vbi contigiſſe memorat, *a vt Hæreticus quidam miræ ſubtilitatis, & ſeductor Tanchelinus nomine, illuc adueniens in eâdem gente locum ſuæ impoſturæ inueniret.* Eâdem decurrit viâ venerandus etiam Petrus Cluniacenſis lib. 5. epiſt. 3. ad Innocentium II. Petri Abailardi, qui Hæreſeos fuerat poſtulatus, emendationem ei ſpondens, & errata deprecans. *Quæſiuimus*, inquit, *b quo tenderet: grauatum ſe vexationibus quorundam, qui ſibi (quod valde abhorrebat) nomen Hæretici imponebant. Maieſtatem Apoſtolicam ſe appellare, & ad eam confugere velle reſpondit.* Quàm enucleatè quoque S. Bernardus Epiſtolâ 240. *c Quanta audiuimus, & cognouimus mala, quæ in Eccleſijs Dei fecit, & facit quotidie Henricus Hæreticus?* de quo itidem Gofridus in vitâ S. Bernardi lib. 3. cap. 5. *d Henricus quidam olim Monachus, tunc Apoſtata vilis, peſſimæ vitæ.* Et Petrus Cluniacenſis de alio hominis monſtro lib. 1. Epiſt. 2. *e Scripſi nuper Epiſtolam Reuerentiæ veſtræ contra Hæreſes Petri de Bruis diſputantem.*

V. Nec minùs diſertè Tertullianus de alijs, lib. de præſcript. cap. 49. *f Poſt hunc extiterunt Ptolomæus, & Secundus Hæretici.* Tum etiam Euſebius in Chronico, in quo Tatianũ Hæreticum an. duodecimo *g* imperij M Aurelij detectum fuiſſe teſtatur, & lib. 4. Hiſtor. cap. 27. *h Seuerus, ait, quidam nomine, Hæreſim modò à nobis commemoratam mordicus tuebatur, atque illis, qui ex eo tanquam ex erroris fonte dimanârũt, auctor extitit, vt Seueriani, appellatione ab eo deriuatâ,*

a *Baron.Tom.*12.*An.*CIƆCXXVI. c *Ibid.An.*CIƆCXL.
c *Baron.Tom* 12. *Anno* CIƆCXLVII. d *Ibidem.*
e *Ibid. Anno* CIƆCXXVI. f *Tom.*2.*Anno* CLXXV.
g *Ibid. Anno* CLXXIV. h *Ibidem, eodem Anno.*

uatâ, appellarentur. Nec non Tertullianus iterum lib. de præſcrip. cap. 6. *Cuius ſignis & præſtigijs*, inquit, *à Apelles inductus nouam Hæreſim induxit.* Addo Theodoretum, qui lib. I. Hæreticar. fabular. *Dicunt*, ait, *Monimum Arabem, quum ex ſcientiâ Arithmetica accepiſſet occaſionem, ſuam formaſſe Hæreſim.* Et lib. 2. b *Elceſai, quum ex quodam Elceſai, qui Hæreſim incæpit, appellationem accepiſſet:* tum lib. 4. c *Huic Hæreſi præfuit Sabbas, & Adelphius, & Baodes, & Simeones, & Hermas.*

VI. Ex quibus compertum eſt, plures, certos & ſingulares viros à veteribus Patribus Hæreticos, ſeu, quod tantundem eſt, *Apoſtatas*, aut Hæreſis Auctores, ſatoresúe fuiſſe appellatos. Quæramus modò, an tum, quando ita fuerunt appellati, damnatoriâ ſententiâ iam ab Eccleſiâ eſſent multati; compendijque cauſsâ Cæſarem Baronium, ingens illud Vaticanæ purpuræ, Hiſtoriæque Eccleſiaſticæ lumen, qui cunctas Hæreſes ab initio Chriſtianæ legis, ac deinceps exortas, earumq; architectos, fabros, ac propagatores, nec non quo tempore illæ, atque iſti à Sede Apoſtolicâ, vel ab Epiſcopis damnati ſint, ſuis Annalibus diligentiſſimè conſignauit, haud oſcitanter peruolutemus. Auſim ego quauis ſponſione certare, ſuprà recenſitos Hæreticos eâ tempeſtate, qua hiſce nominibus à Patribus ſunt inſigniti, neque dum reos Hæreſis à Iudicibus Eccleſiaſticis fuiſſe peractos, vt facilè intelliget, qui loca Baronij paulò antè ad marginem à me de induſtriâ appoſita, & præcedentes annos accuratè inſpexerit. Ego ſanè, quanquam operosè eos excuſſi, nihil huiuſmodi odorari potui. Scio equidem Henricum illum captum, Gregorium Arianum, à Sardianâ Synodo, Conſtantium Imperatorem à Felice Summo Pontifice, Petrum Abai-

a *Tom.* 2. *Anno* CXLVI. b *Tom.* 2. *Anno* CCXLIX.
c *Tom.* 2. *Anno* CCXLVII.

Abailardum ab Innocentio II. fuiſſe damnatos, ſed id poſtquàm illi Hæreticorum in album à priuatis Scriptoribus relati fuerant, accidiſſe nullo negotio deprehendet, qui eiuſdem Baronij Annales ijſdem, quæ memoraui, locis, ſedulò conſuluerit. Henricum captum fuiſſe, illic legimus, damnatum autem nominatim, minimè. Theodoretus quoque, qui in libris Hæreticarum fabularum, quum Hæreticos ab Eccleſiâ proſcriptos fuiſſe conſtabat, haud ſilentio tranſijt, vt paret, quum *lib.* 2. Paulum Samoſatenum, *lib.* 3. Nouatum, & *lib* 4. Arium, Eunomium, & Neſtorium à Sede Apoſtolicâ Hæreſis nomine perculſos refert; de Monimi, Elceſai, Sabbæ, Adelphij, ac cæterorum ſuprà enumeratorum damnatione nullam prorſus mentionem facit.

VII. Eodem pacto Origenes quoque, antequàm ipſius Hæreſes non ſolùm à Sextâ Synodo, hoc eſt, anno Domini ıↄCLXXX. vt indicat Baronius, *a* ſeu à Quintâ, id eſt, anno Chriſti ıↄXLI. vt notat Bellarminus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in Origene*, ſed multò etiam antè ab Anaſtaſio Pontifice, anno Domini CCCC vt Baronius *b* eodem año animaduertit, inuſto publicè iuridciali Stigmate amburerentur, Ruffinus Aquileienſis iam tres ſuos in D. Hieronymum libros, vt tradit eodem anno idem Baronius, *c* vulgauerat, in quorum altero eundem Origenem Hæreticum fuiſſe, non ex aliquo Apoſtolico ſcito, ſed ex monimentis tantùm ipſius diſertè colligit. *Scribis*, inquit, *in iſtis inuectiuis tuis, me interpretatione meâ hoc oſtendiſſe, quod ego quidem eſſem Catholicus, Origenes autem, quem interpretabar, Hæreticus. Ais enim: Hoc eſt, dicere, quia ego ſum quidem Catholicus: iſte autem, quem interpretor, Hæreticus. Ais enim: hoc legi, ſi vt*

B 7 *dicis,*

a *Tom.* 2. *Anno Chriſti* CCLVI. b *Tom.* 5. *pag.* 106. c *Pag* 108.

dicis, hoc toto Opere meo oſtendi, quod ego Catholicus ſum, & Origenes Hæreticus, quid adhuc aliud quæritur? Vnde liquet, Hæretici nomen Origeni nec dum damnato non tantùm à Ruffino, ſed à Hieronymo quoq; fuiſſe impoſitum, imò à ſancto etiam Epiphanio *Hæreſi* 64. vbi eum inter Hæreticos cenſet. Huc pariter ſpectat, quod Baſilius magnus in Eunomiū libros tres publicauit, in quibus illum, etſi ab Eccleſiâ nondū proſcriptum, ex ſolis ipſius Codicibus Hęreticum probat, caputq; nouæ Hęreſis eſſe voluiſſe teſtatur. *Princeps enim*, inquit lib. 1. *atq; defenſor totius Hæreſis appellari concupiuit*; quem tamen ante eiuſdē Baſilij obitum non fuiſſe Pontificijs diris deuotum, ex Baronio anno Chriſti CCCLXXVIII. & præcedentibus palàm omnino fit.

VIII. Nihilo ſegniùs Diuus etiam Hieronymus ſtylum vibrat in Heluidium, in Iouinianum, Vigilantium, in Ioannem Ieroſolymitanum, ijsque Hæreſeos dicam impingit; cui ſuppar S. Auguſtinus, Hæreticorum maſtix, Fortunatum, Adimantum, Fauſtum, Felicem, Secundinum, Manichæos; Maximinum, & Felicianum Arianos; Parmenianum, Petilianum, Creſconium, Gaudentium, Emeritum, Donatiſtas; Iulianum denique Pelagianum, ſingularibus veritatis & Fidei Catholicæ Vindicijs contra ſingulos iſtorum foras datis, egregiè reuincit, Hæreticos perſpicuè oſtendit, Hæreſis mancipia ſolidè demonſtrat: eâdemque ratione cæterorum quoque Patrum plerique in Catholicæ fidei perduelles complures, non generatim tantùm, ſed ſpeciatim quoque linguam calamumque ſtrinxerunt, ijsque Hæreticorum nomina iure, quàm qui optimo, indiderunt. Sed num ij omnes Apoſtolicæ ſententiæ gladio iam tum ab Eccleſiâ abſciſſi erant? nullo modo. Euoluantur cuncti Baronij Annales, & mentiar, niſi permulti quibus Eccleſia ad eam vſque diem pepercerat, reperiantur.

IX.

IX. Quid plura? S. Epiphanius primò *opus panarium* contra omnes Hæreſes concinnauit; deinde S. Philaſtrius Epiſcopus Brixienſis eidem Epiphanio, Diuoque Ambroſio æqualis, de Hæreſibus item volumen ingens eodem ferè tempore conflauit; haud ita multò pòſt D. Auguſtinus etiam lucubrationem breuem de Hæreſibus pariter adiecit; tum B. Theodoretus demum de Hæreticis fabulis quoque libros quinque coagmentauit; in quibus Operibus Patres ſapientiſſimi ſingularum Hæreſum, ſingulorumque Hæreticorum, vnde illæ proſeminatæ ſunt, Catalogum diligenter texunt, nec non initia, progreſſus, detrimenta, nomina, cæteraque adiuncta partitè ediſſerunt. Sed num propterea cuncti illi Hæretici, quorum nomina in tabulas ijdem Patres non generatim tantùm, ſed ſpeciatim quoque ſingulorum ſingula retulerunt, iam ab Apoſtolicâ Sede, vel ab Eccleſiaſticis Iudicibus nominatim Hæreſeos damnati fuerant? Ego verò pernego confidentiſſimè; nec ſolùm nego, ſed neque aliter ab vllo, niſi temerè exiſtimari poſſe, ineluctabili planè documento conuinco. Quî tandem? D. Epiphanius Hæreſes, Hæreticoſque earum conditores nonniſi LXXX. numerat: at S. Philaſtrius CXXVIII & tamen nihil eorum, quæ Philaſtrius ſciuit, *Epiphanium doctiorem latuit*, teſte S. Auguſtino in ipsâmet præfatione ſui de Hæreſibus libelli; atque adeò Philaſtrius XLVIII. ampliùs, quàm Epiphanius, quot ſcilicet, detractis LXXX. ſuperant, Hæreticos anteſignanos recenſuit. Neceſſe igitur eſt, Hæreticos penè XLVIII. à S. Philaſtrio fuiſſe nuncupatos, editoſque, quos nondum Eccleſia ipſa declarauerat; alioquin ſi iam eos declarâſſet, S. Epiphanius, qui illos ignorare, vtpote Philaſtrio coætanæus, & doctior, minimè potuiſſet, ex albo Hæreticorum delere nunquam profectò auſus fuiſſet.

ſet. Eodem modo neque eos omnes, quos ſeu Epiphanius, ſeu Auguſtinus, ſeu Theodoretus enumerat, fuiſſe tunc à legitimis Iudicibus Apoſtolicâ auctoritate Hæreticos nominatim pronuntiatos, facilè ex ijſdem ſacris Doctoribus, nec non ex Baronio, allatis in medium temporum articulis, quibus eiuſmodi monſtra ſingula poſteà damnata ſunt, doceri poteſt. Quod ego fuſiùs hîc perſequendum non autumo, ne longior ſim, ac ſuperuacuo labore Lectorem, ac meipſum ineptè onerem.

X. Quare quum antiqui Patres certos & ſingulares homines à Catholicâ religione flagitiosè deſciſcentes, Hæreticorum nomine, quamuis nequedum ab vllo Concilio generali, vel à Romano Pontifice, aut à Sede Apoſtolicâ, vel ab alijs Iudicibus Eccleſiaſticis ſingulatim damnatos, iure optimo dedecorare, aut vulgatis libris contundere, vt iam probaui, conſueuerint; ſuoque exemplo idem quoque & æuo noſtro viris doctis, Theologis præſertim, licere in ſimilibus euentis, haud obſcurè monuerint; quumque poſtea nullæ ſanctiones editæ, neque vlla præpedimenta obiecta ſint, quin hodie etiamnum idem fas ſit, vt infra ſuo loco planum fiet; nemo ſanæ mentis inficiari iam poteſt, integrum eſſe cuiq; ſapienti id ipſum, quoties opus eſt, in vſum reuocare. Solemne nimirum veteribus Patribus fuit, vbi inſanam aliquam doctrinam, Hæreſimque à quocunque Auctore in Catholicâ Republ. ſeu concionibus, ſeu libris pangi, exerique conſpiciebant, haud ſtertere, nec diſſimulare; ſed quàm primùm nouæ peſti gliſcenti obuiam ire, obluctari, reclamare; magiſtrum erroris ſerio commonefacere, argumentis refellere, ſacrarum ſcripturarum pondere labefactare; quumque eum amentiam dedoceri, atque ad bonam frugem redire pertinaciter nolle animaduer-

maduertebant; etſi ille Chriſtianam fidem anteà profi:ebatur, etſi in cœtu Catholicorum diuerſabatur, etſi à cunctis pro Catholico ad eum vſque diem habitus fuerat; tamen, non expectato alio Apoſtolicæ Sedis iudicio, ſtatim in eundem linguam & calamum armare, illius libellos Hæreſeos manifeſtos oſtendere, ipſum diuulgatis Apologeticis fraudulentum Hæreticum nominatim appellare, ac demonſtrare, vt ſatis iam ex productis exemplis teſtatum eſt. Quis enim neſcit magnam partem principum Hæreticorum nouæ impietatis fabrorum, non ſolùm fuiſſe viros antè Catholicos in Catholicis vrbibus degentes; ſed etiam Deo ſacros, pleroſque Monachos, Antiſtites, Præſules, Epiſcopos, quales Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Pelagius Monachus, Eutyches cœnobij Præſes, Nouatianus Sacerdos, Valentinus Catholicæ fidei præco, alijque complures, qui à Chriſtianis ſacramentis diſceſſerunt? Nihilominùs Patres, quàm primùm illos Hæreſi mordicus adhæſiſſe, fruſtraque ab eâ reuelli deprehenderunt, quin etiam luem infuſam libris vulgo ſenſim adſpergi viderunt; eoſdem Hæreſis animosè inceſſere, Hæreticos nominatim vocare, ceu lupos omnino vitandos cunctis edicere, publicatiſque Vindicijs, validè perſuadere, ante etiam quamcunque Eccleſtaſtici fori ſententiam, vt planum feci, non deſtiterunt; nec quicquam in præſentiâ intercedit, quin idem quoque noſtræ ætatis viri ſapientes iure meritoque præſtare poſſint.

§. IV.

Eiuſdem doctrinæ ſecundum firmamentum à communi Theologorum decreto.

I. Nec leue ſanè momentum ad hanc ipſam verita-

veritatem patefaciendam in vulgato illo Theologorum placito ſitum arbitror, quòd diſputare de rebus Catholicæ fidei cum Hæreticis iuſtam ob cauſſam, ad eos nempe reuincendos, conuertendoſque, viris doctis ac ſacris fas eſſe conſtituunt, vt enucleatè S. Thomas 2. 2. *q.* 10. *a.* 7. Valentia *Tom.* 3. *diſp.* 1 *q.*10. *puncto* 4. Arragonius 2. 2. *q.*10. *a.*7. Arnaldus Albertinus *de Aſſertionibus Catholicis*, *q.*13. *num.*14. Bannes, & Malderus 2. 2. *q.*10 *a* 7. Azor *par.*1. *lib* 8. *cap.*26. Sanchez *lib* 1. *Decal. cap.*6. Bonacina *de ledibus diſp.* 3. *q.*2. *puncto* 4. *num.* 1. 2. 3. & alij communiter decernunt. Atqui quum de rebus fidei Catholicæ ſeu conſentaneis, ſeu aduerſis, hoc eſt, de Hæreſibus, atque Hæreticis cum Hęreticis ore diſputant viri docti, vt ijdem Theologi concedunt, fieri nullo modo poteſt, quin ſimul de Hæreſibus Hæreticiſque priuatum iudicium edant, verbiſque explicent, vt conſtat; neque quum ita diſſerunt, cum inani dumtaxat imagine, mentiſque colore pictâ ſpecie Hæreticorum, hoc eſt cum laruis & ſpectris luctantur, ſed cum viris indiuiduis atque conſpicuis cum Titio, Sempronio, Caio, Pompilio congrediuntur, hoſque ad Hæreſim peruicaces, Hæreticos nuncupant, probant, redarguunt.

II. Rurſum Doctores generatim tradunt *bonum eſſe, & ſanctum contra Hæreticos ſcribere*, vt expreſsè opinantur Gerſon *Tract de laudib. Scriptor.* Alphonſus à Caſtro *lib.*1 *de iuſtâ Hæret. punit. cap.* 20. Suarez 2. 2. *de Fide*, *diſp.*20 *ſect.*1. *num.*13. neque vllus è verè Catholicis inficias ire iure poteſt, vt notum eſt. Neque huiuſmodi facultatem Theologi ad ſolos Hæreticos à Iudicibus Eccleſiaſticis iam declaratos pertinere aiunt, ſed dum vniuersè ſine vllâ exceptione loquuntur, ad alios quoque nec dum declaratos porrigi haud inuiti patiuntur, taciteque omnino aſſentiuntur. Quocirca

quum

quum ij generalem regulam figant, quâ viris ſacris fas eſſe cum Hæreticis collato pede, eos conuertendi gratiâ, diſputare, laudabileque eſſe contra eoſdem ſcribere, ac libros edere apertè ſanciunt; ſi quis huiuſcemodi regulam intra limites illorum tantùm, qui iam Hæretici à legitimis Iudicibus nominatim renunciati ſunt, aut certè indefinitâ dumtaxat appellatione deſignantur, arctandam putat, nullo modo audiendus eſt, niſi priùs rationes graues talis limitationis, & cur regulæ generali locus eſſe nequeat, in medium afferat, vt leges compertæ paſſim definiunt. At nullæ rationes ſuppetunt, quæ allatæ generali regulæ intercedant, ac limitationem extorqueant. Fruſtra igitur hæc illi appingitur, atque aſſuitur.

III. Imò verò, inquies, limitationis ſuadela in promptu eſt; ſiquidem Theologi de ſolâ quæſtione iuris, quæ tum habetur, quum contra Hæreticum dogma generatim diſputatur, ac ſcribitur; non autem de quæſtione facti, quæ tum oritur, quum de ſingulari Hæretico Hæreſeos conuincendo, ac publicando agitur, palàm loquuntur. At Siſyphi verſatur ſaxum, neque hilum proficitur. Quippe generalis illa approbatio diſputatione oris, librorumque editione oppugnandi ac refutandi Hæreticos, vtramque quæſtionem tam facti, qnàm iuris, nec non tam nominatim à Sede Apoſtolicâ damnatos, quàm non damnatos complectitur, vt perſpectum eſt; atque adeò qui quæſtionem facti à Theologo poſſe excuti, & Hæreticos nominatim minimè damnatos, emiſſis libris ſingulatim deſignari, ac refelli negat, neceſſe prorſus habet, id aliquo ſcito aut lege vetitum oſtendere, quod nemo hactenus, vt infrà conſtabit, prę-ſtitit: ac proinde ſtandum eſſe regulæ generali, & vtramque quæſtionem, & vtroſque Hæreticos ſuâ

ampli-

amplitudine atque ambitu continenti, donec oppoſitum dilucelcat, Doctorum nullus dubitat.

IV. Quamobrem Alphonſus à Caſtro *cap.* illo 20. iam laudato, in eos, qui hoc de Hæreticis iudicium priuatum Theologis inuident, grauiter inuehitur, Theologiæque imperitos ac meros Iureconſultos vocat; & lib. I. aduerſus Hæreſes cap. 8. *Non eſt,* inquit, *Canoniſtarum munus de Hæreſi, aut de fide iudicare, ſed Theologorum, quibus diuinum ius committitur.* Neque tamen me fugit, non deeſſe, qui velit, ſicut ſolius Theologi eſt, quæ Propoſitio hæretica ſit, pronuntiare; ita ad Eccleſiaſticarum ſanctionum peritum ſpectare, quis generatim Hæreticus, vel pertinax, formalis, & manifeſtus dicendus ſit, decernere, & an omnes circumſtantiæ, quæ ad conſtituendum Hæreticum requiruntur, confluant, explorare; atque hoc diſcrimen afferri ab Albertino *de agnoſcendis aſſertionibus quæſt.* 10. *num.* 17. & 18. nec non à Farinacio *de Hæreſi quæſt.* 185. *num.* 5. Verùm huiuſmodi diſſidium facilè componi poteſt. Nam ſi de iudicio fori externi, contentioſique, ac de ſingulari aliquo Hæretico nominatim deſignando, publicando, plectendoque ſermo ſit, ad Iudicem tantùm Eccleſiaſticum id muneris, ad quod nempe ritè obeundum multâ ſacrorum Canonum notitiâ opus habet, pertinere, in confeſſo eſt. Sin autem de iudicio ſolùm priuato agatur, quanquam & ſacrorum Canonum conſultus, quæ circumſtantiæ ad pertinacem & formalem Hæreticum tam generatim, quàm ſingulatim renuntiandum exigantur in foro externo, ediſſerit; quod Albertinus & Farinacius antè commemorati contendunt, nihilque ampliùs; Theologi tamen idipſum etiam intereſt, officiumque proprium eſt, non ſolùm, quæ aſſertio hæretica ſit, enucleare, ſed etiam quis Hæreticus pertinax, & formalis tam ſingillatim, quàm generatim

ratim cenſendus; & num omnes circumſtantiæ ad vtrumque neceſſariæ adſint, ſtatuere. quod Alphonſus à Caſtro exiſtimat. Tametſi Theologus has omnes ſui partes muneris explere probè non poteſt, niſi eam ſacrorum Canonum doctrinâ, quæ Theologiæ nonnulla pars quoque eſt, apprimè imbutus ſit, vt ex ijs, quæ *cap* 1. iam expoſui, dilucidè vincitur.

V. Sed *vtvt* eſt, illud extra controuerſiam viris doctis & ſacris (Theologisne an Canonum etiam peritis, nihil hic refert) conceſſum vidimus, vt cum Hæreticis ſingularibus atque indiuiduis, nec dum etiam legitimè damnatis nominatim, diſputare, eos Hæreſeos conuincere, pertinaces & formales Hæreticos probare, illorum conuertendi, vel ſaltem compeſcendi cauſâ poſſint. Quid igitur vetat, quò minùs hanc ipſam diſputationem cum Titio, vel Caio Hæreticis, in quâ nominatim Hæretici nuncupati ac demonſtrati ſunt, etſi nondum ab vllo Iudice Eccleſiaſtico damnati fuerint, priuatim habitam typis imprimere, atque in lucem dare fas ſit, præſertim quum Theologi generatim tradant, laudabile eſſe contra Hæreticos ſcribere; quod de ſingularibus quoque Hæreticis, & neque dum nominatim damnatis, commodè intelligi poſſe, iam paulò antè explanatum eſt? Adamus certè Tannerus inſignis Theologus, multorumque librorum editione nobilis, inter reliquos vulgauit etiam typis *Relationem compendiariam de initijs proceſſu, & fine Colloquij Ratubonenſis*, habiti anno ſalutis CIƆIƆCI, inter Catholicos & Miniſtros Hæreticos, in quo nomina eorundem Hæreticorum ſingillatim exprimit, illosque Hæreticos eſſe non obſcurè indicat, neque vllus Catholicorum hactenus id ei vitio vertit.

VI. Quam ſanè Theologorum doctrinam de Hæreticis nec dum ab Eccleſiâ nominatim proſcriptis,

ſcriptis, & tamen nominatim ac particulatim huiuſmodi titulo dehoneſtandis refellendisque, emiſſis quoque Apologeticis, eſſe intelligendam, perpetua, quæ in eâdem Eccleſiâ ſemper tenuit, conſuetudo Theologorum atque Doctorum, omnino perſuadet; quibus nimirum liberum ſolutumque hactenus nunquam non fuit, vbi Codex aliquis hæreticâ infectus lue exijt in lucem, extemplo & doctrinam ipſam Hæreſis infamare, & Auctorem ipſum, explicato nomine, in Hæreticis numerare. Quod etiam noſtrâ quoque tempeſtate vſuuenire, plurimi Catholicorum aduersùs Hæreticos libri, qui in Galliâ, in Germaniâ, in Poloniâ identidem prodeunt, fidem locupletem faciunt; in quibus priuati Catholicæ fidei propugnatores non tantùm in Hæreticos generatim, ſed ſpeciatim quoque in certa illorum capita pugnant, & modò Lutheranum aliquem Claudium, modò alium Caluiniſtam Simonem, modò alterum Zvvinglianum Ioſiam, inuſtâ ſingulis Hæretici notâ, etiamſi nemo eorum à Sede Apoſtolicâ tum nominatim ac ſingillatim damnatus ſit, manifeſtò iugulant. Hinc tot ac tam multa volumina, quæ ab eruditiſſimo, ac doctiſſimo noſtro Philippo Alegambe in *Bibliotheca Scriptorum Societatis* IESV Romæ approbatâ recenſentur, atque hac inſcriptione in *materiarum Indice* notata, *Controuerſia cum Hæreticis*, quæ à noſtri tantùm Ordinis viris ſunt diſceptatæ, cernuntur; è quibus, vt pauciſſimos ad ſpecimen referam, præclarè omnino Antonius Poſſeuinus in *Andream Volanum*, Adamus Tannerus in *Ægidium Hunnium Prædicantem*, Claudius Tiphanus in *Ferrium Miniſtrum*, Eduardus Burtonus in *Hencaium Miniſtrum Caluiniſticum*, Elias Graff in *Georgium Zeamannum*, Franciſcus Garaſſus in *Petrum Paſquerium*, Gaſpar Lechnerus in *Theodorum Thummium*, Gebhardus

Razen-

Razenried in *Laurentium Lalium Prædicantem*, Henricus Fizſimon in *Ioannem Riderum*, Iacobus Kellerus in *Iacobum Hailbrunnerum*, alijque plurimi in alios plurimos Apologetica, in ſingulos ſingula, emiſerunt, ſingulosque nominatim Hæreticos, antequam tales à Sede Apoſtolicâ expoſitè eſſent renuntiati, aut illorum codices interdicti, atque in primam claſſem damnatorum Auctorum Pontificiâ auctoritate relati, appellârunt, confutarunt, peruulgarunt, totâ Chriſtianâ Repub. non ſolùm minimè aduerſante, ſed etiam atque etiam inſuper applaudente. Vetus nempe, & ſapiens Eccleſiæ conſilium eſt, vt paulò pòſt docebo, etſi Hæreticos cunctos generatim illa damnat, atque execratur, non tamen in eorum ſingulos, ſiue ex Hæreticis parentibus orti ſint, ſiue à Catholicis prognati, genuinâ Chriſti religione eiuratâ, illorum impietati dein ſe aggregârint, ſimul ac Hæreticam peſtem diditis libris afflare cœperint, damnatoriam ſententiam nominatim eiaculari; meritoque cenſet, ſat eſſe, vniuersè eoſdem proſcribere, ſingularem autem ſingulorum damnationem, cauſsâ priùs cognitâ, denſisque actis antè cumulatis, ſuperuacaneam, cum fraude etiam imcendioque aliorum operum longè vtiliorum neceſſariò coniunctam; ac propterea omnino, niſi qua peculiaris ratio ſecus ſuadeat, omittendam.

VII. Sed longè diuerſam eſſe rationem, quum quis in Tranſalpinis regionibus Hæreticus vocatur, ac proditur, ac quum in Italiâ eiuſdem ſceleris triſti notâ inſignitur, aliquis non immeritò monebit: in illis quippe, vbi publicè libereque Hæretica lues graſſatur, nullam prorſus ignominiam Hæretico Auctori imprimi, neque infamiæ aliquam ſpeciem apud ſuos Hæreſim apertè profitentes continuò degenti, ab Hæreticæ appellationis nomenclaturâ irrogari; at in Italiâ longè

turpiſſi-

turpiſſimam maculam, vitam non inter Hæreticos, ſed inter Catholicos viuentibus indidem prorſus inuri, ac proinde non poſſe ijs nomen Hæretici, etſi reuerà Hæreticis imponi. Verùm diſcrimen huiuſmodi nullo negotio eliditur, primò quia Catholici Doctores in Tranſalpinis prouincijs Nomen Hæretici cuicunque Auctori libri Hæretici, vbicunque is diuerſetur, ſiue inter Hæreticos, ſiue inter Catholicos, vbi Hæretici non tolerantur, vt in Bauariâ, atque Italiâ, affigunt, & quidem iure optimo? Cui enim Theologorum vel probabili documento perſuaderi queat, nefas eſſe in Italiâ, ne dum in Bauariâ, Hæreticum nuncupare eum ac publicare, quem libri Hæretici editi, atque in eâdem quoque Italiâ vulgati architectum & fabrum eſſe ibi pariter vulgatum eſt, vtcunque etiam ibi toleraretur? An, ſi Titius proditionis reum ſe probaret edito libro, etiamſi Princeps ei conniueret, proditor meritò, donec crimen dilueret, non vocaretur? Quis dubitet? Tolerantur meretrices ad maius malum vitandum, neque tamen ea toleratio eas honeſtas reddit, aut ab infamiâ liberat. Multa etiam ſæpe intercedunt, quò minùs Inquiſitores in omnes Hæreticos, etſi delatos, manus poſſint inijcere, ideoque ſubinde prudenter, neceſſarioque diſſimulant, vt pluribus infrà ſuo loco; non proptereà tamen ij, qui Hæreſis infamiâ publicè notati ſunt, hanc ſtatim eluunt.

VIII. Deinde. Si Hæreticis in Tranſalpinâ regione Hæreſim profitentibus non infertur iniuria, neque infamia; neque hæc infertur cuicunque alteri libri Hæretici Auctori, etiam in Italiâ hoſpitanti, vel habitanti; quandoquidem ſuam Hæreſim addito ſuo nomine ſciens volensque emiſſo libro profeſſus eſt, atque in eâdem regione ponamus ita contingere (quod ſanè poteſt) eundem

dem librum alibi cuſum, atque ad ſe miſſum publicauit; ac proinde tota illa differentia obducta penitùs euaneſcit.

IX. Præterea. Hæreticus in Germaniâ Hæreſim palàm profeſſus, in quem fas eſſe Catholicis ſcribere, & nomen Hæretici expreſsè iácere concedis: Si in Italiam veniat, ſeque pro Catholico aliquâ in vrbe venditet, pluribuſque annis exiſtimatus Catholicus deliteſcat: num propterea Theologis in Italiâ diuerſantibus, qui facultate Apoſtolicâ quoſcunque libros Hæreticos legendi ſingillatim impetratâ gaudent, codicemque eiuſdem Hæretici proprio inſignitum nomine, puta Titij, luſtrârunt ac peruolutârunt, ius talis Codicis Hæretici refellendi, eiuſdemque, Titij nomine Hæretici deſignandi, ademptum ſit? Hoc ſanè fingi bellè poteſt, ſed nullâ certè ratione, nullâ lege, vel ſcito doceri poteſt.

X. Denique eadem conſuetudo in Tranſalpinis regionibus apud Catholicos Doctores, Hæretici nomine quodcunque enatum Hæreſis monſtrum appellandi, non eos ſolùm Hæreticos, qui ab Hæreticis genitoribus ſati, in territorio quoque Hæretico incolunt, ſed eos etiam, qui in Catholicæ ſinu Eccleſiæ lucem fidei diuinæ vnà cum humanæ vitæ vſurâ à parentibus hauriunt, ſed poſtmodum eam ſceleſtiſſimè deſerunt, editiſque teterrimis portentis, nequiſſimè corrumpunt, potiore iure, ne dum pari, perſtringunt; quum iſtorum malitia, longè magis, vt patet, quàm illorum, adipata planè ſit. Quippe his quoque agnitæ fidei Catholicæ transfugis ſacri Doctores illius vindices, Hæretici nomen, & dicam, antequàm etiam huiuſmodi probro à Sede Apoſtolicâ expreſsè dehoneſtentur, impingunt, vt conferto exemplorum agmine ſat ſuperque teſtatum eſt, quorum ſanè Doctorum nonniſi pauciſſimos hic ad teſtimonium citare

ſuffecerit. Ioſephus Scaliger, Arnaldus Pariſienſis, M. Antonius de Dominis, Iacobus Reihinghus, & neſcio quis alius furuæ lucis Lucifer, vt cæteros huius notæ quàm plurimos prætercam, à Catholicâ religione, quam à maternis vberibus pio genitricum magiſterio vnà cum lacte ſuxerunt, impiè, vt perſpectum eſt, degenerârunt, Hæreticorumque perfidiam amplexi, Hæreſes, excuſis libris, nundinari non dubitârunt. At illas viri doctiſſimi, fideique Chriſtianæ ſartæ tectæ ſeruandæ ſtudioſiſſimi, haud tacitè habuerunt, ſed mox adornatis Vindicijs & væſanas doctrinas euerberârunt, & deliris Auctoribus Hæreticorum nomina diſertè ac liberè impoſuerunt; Scaligero quidem M. Antonius Delrius, liberiusque Sanga in *Periculo Foriarum, cap. 9.* Arnaldo Pariſienſi Franciſcus Montanus in *Apologia cap* 5. 10. *& ſeqq.* Antonio de Dominis, Zacharias Bouerius in *Paraneſi Catholicâ*, Reihingo Simon Felix in *Metamorphoſi Iacobi Reihingi Catholico-Lutherani*, Lucifero Georgius Stengelius in lucubratione *de duobus Apoſtatis*, eodemque modo ac iure alijs permultis alij multo plures, etſi tum, quum illos Hæreticos nominatim, palamque ſcripſerunt, neque dum à Iudicibus Eccleſiaſticis Hæreſeos damnatos fuiſſe conſtabat; & num poſteà aliquando damnati ſint, ego ſanè adhuc ignoro. Neque ſanè Catholicos Doctores ea ſuſpicio, vel ſuperſtitio, ne fortè probrosâ Hæreticorum appellatione infamiam grauem viris anteà Catholicis, quanquam deinde perduellibus adſpergant, à ſuſcepto conſilio deterret. Nam tametſi ij, quantum gloriæ apud Hæreticos eiuſmodi transfugio comparare ſibi videntur, tantum apud Catholicos eodem deperdunt, delictique admodum probroſi infamiâ flagrent; nihilominùs quum hanc eandem ſuam infamiam ijdem ipſi deſertores quà nefario traiectu, quà

Hæreticis Codicibus in lucem emiſſis, vltro prodant, ac publicent, iam Catholicos omnes manifeſtò admonent neminem prorſus de eâ ſolicitum eſſe debere. Nec profectò Theologi, qui eos refellunt, Hæreticosque appellant, Hæreſeos illos primùm infamant, ſed iam à ſemetipſis infamatos priùs, ſine iniuriâ redarguunt. Neque verò huiuſmodi Doctorum morem vllus Catholicorum hactenus improbauit, nec iure improbare poteſt, quum vniuerſo Chriſtiano Orbi probari, laudarique, quotidiana ipſa experientia loquatur. Ex quibus ſatis iam in aperto eſt, perfugium illud ac diuerticulum diuerſæ in Tranſalpinis regionibus conditionis minimè tutum eſſe, fruſtraque omnino quæri.

X I. Vnde perſpicuè modò efficitur, generales illas duas Theologorum regulas initio commemoratas, quarum altera diſputandi cum Hæreticis etiam non declaratis, non generatim ſolùm, ſed particulatim quoque cum ſingulis eorum, poteſtatem facit, altera autem eoſdem refutandi, vulgatisque Apologeticis, validè coërcendi, tum Hæreticos etiam nominatim vocandi munus ceu egregium prædicat, non ſolis Hæreticis ab Eccleſiâ iam dudum ſingillatim proſcriptis, eſſe addictas, ſed alijs quoque nondum ſingulari fulmine perculſis congruere; atque hanc eorum doctrinam ſtato ſolemnique Catholicorum Doctorum vſu, qui legum omnium, ne dum regularum, interpres optimus eſt, bellè confirmari.

§. V.

Tertium fulcimentum eiuſdem doctrinæ, à legitimo Hiſtoricorum vſu.

Sed age, lubet quoque ad Hiſtoricorum conſuetudinem prouocare, qui aliorũ infanda etiam ſcelera, certis quoque illorum auctoribus nominatis, referunt, ac diuulgant; & honeſtè quidem, quoties ea occulta omnino non ſunt, boniq́ue publici gratiâ illa narrant, vt deſtinatò id ipſis concedunt Sotus *lib.4.de Iuſt.q.6.a.3.* & *lib.5. q.10. a.1.* Valentia *Tom.3 diſp.5 q.17.puncto 2.columnâ 5.* Bannes *2.2.q.73 a.2.* Salon *ibid. contr.2.* & *q.63. a.3. controu* 18. vbi Caietanum, & Maiorem etiam refert. Molina *de Iuſt. Tract.4 diſp.28. num.2.* Victorellus *in Notis ad Aphoriſmos Sa, verbo, Infamare, num.4.* Layman *Tom. 1. lib.3. tract.3. par. 2. cap.3. num. 13.* cæteriq́ue communiter, quibus conſentit quoque Cardinalis de Lugo non minùs doctrinâ, quàm purpurâ eminentiſſimus, *Tom.1. de Iuſt. diſp. 14. ſect.6 num.87.* & *ſeq.* Quamuis enim hic nihilo plus Hiſtoricis hac in re, quàm reliquis, licere putet, ac probet; fatetur tamen vnà cum alijs ius eis eſſe, ea peccata, quæ ignota non ſunt, poſterorum memoriæ ob publicam vtilitatem mandandi. Quocirca Molina *loc. cit. Quæ autem non ſunt, inquit, ita occulta, fas illis eſt, ea ſcribere (præſertim ſi hominum ſint iam defunctorum) idq́ pro bono publico. Tum vt notitia rerum geſtarum in hiſtorijs habeatur. Tum etiam vt homines ſpe famæ comparandæ, quæ hiſtorijs æternitati mandetur, timoreq́ infamiæ incurrendæ, cuius ſimiliter hiſtorijs perpetua ſit memoria, alliciantur ad res præclaras gerendas, ad turpiaq́, atque indecora magis fugienda, ac vitanda.* Hactenus magnus Theologus, iuriſq́ue pariter conſultiſſimus

11. Neque Hoſtienſis *in Summ. de iniurijs, §. quot*

modis

modis fiat, num. 3. *verſ. Literis verò.* Azo *in Summa de iniurijs, num* 4. Clarus *in pract.§ fin q.*62.*nũ.*26. *verſ. Libelli famoſi auctor*, & Farinacius *quaſt.* 105. *num.*466. à Theologis diſcrepant. Etenim libelli famoſi reum eum quoque, qui hiſtoriam in alterius infamiam compoſuit, ſtatuunt, quod ego quoque lubens do; tamen non de quacunque hiſtoriâ, ſed de eâ tantummodò, quæ iniurioſa eſt, loquuntur, vt ex eorundem verbis perſpicuum eſt. Neque aliter quiſquam ſapiens cenſere poteſt, àquum libellus famoſus ſine iniuriâ nequeat, vt infrà docebo, conſiſtere, neque vllus de hiſtoriâ minimè iniurioſâ iure conqueri queat. Hiſtoria verò triplici maximè ex capite, iniurioſa alteri eſſe poteſt, vel quia grauia crimina falsò ei imponit, ac proinde non hiſtoria, ſed mera fabula & calumnia eſt; vel ſi vera narrat, quum ea penitùs eſſent occulta, iniurioſè vulgat, quorum vtrumque nefas eſſe Hiſtorico, ſanciunt Theologi; vel ſi non ampliùs arcana, ſed publicitus iam comperta memorat; at prauo animo, & iniuriæ faciendæ cupido, quod itidem illicitum eſt. At enim Theologi, qui Hiſtoricis fas eſſe, iudicant, crimina memoriæ prodere, ijs dumtaxat id concedunt, qui ea citra cuiuſquam iniuriam ſcribunt, hoc eſt, neque falſa, neque occulta omninò, neque ex infenſo animo; ſed vera, nota, ac publici boni ſtudio. Tum enim nemini illi faciunt iniuriam; quippe criminoſis ipſis apud eos, quibus eorum crimina iam innotuerant, infamiam nullam irrogant, ſed irrogatam tantùm referunt; apud abſentes verò ignaros & poſteros, licet verè in cauſſa ſint, vt quibus ea latebant, in ſcena ponantur, eademque criminum infamia perennet; hoc tamen qualecunque famæ detrimentum, quum boni publici commodo præponderante, cui debet omnino cedere, longè vincatur, omnem iniuriæ rationem ac veſtigium

 tollit,

tollit, ac proinde hiſtoriæ honeſtatem non violat.

III. Quod ſi quis hiſtoriam quamcumque hoc tantùm nomine, quòd alterius delicta, etſi iſta clam non ſint, ſed aperta, literis conſignat, ac poſteritatis memoriæ prodit, atque ita illorum infamiam perpetuat, præfractè damnet; is profectò & pleraque Sanctorum Patrum, quin etiam & ſacrarum Scripturarum monumenta carpere ac reprehendere ineluctabili conſecutionis telo cogetur, quandoquidem & in ijs quoque multa flagitia, quæ ſuâpte naturâ alteri infamiam inurunt, expreſſis etiam Auctorum nominibus, ac continuato eorundem probro leguntur, quod tamen nemo niſi impius, atque inſanus aſſeuerauerit. Neque is euadet, cauſſatus Deum famæ ac vitæ omnium Dominum Scriptori ſacro indulgere, vt crimina etiam occulta diuulget. Tametſi enim id Deo integrum pro eius lubentiâ ſit, temerè tamen huiuſmodi indulgentia in illis diuini Codicis hiſtorijs, in quibus nullum eius extat indicium, prætexitur. Deinde in tot alijs delictis iam publicatis locum nullo modo habere poteſt, vt patet. Denique adhuc Hiſtoriæ à Sanctis Patribus conſcriptæ, quos à ſuperno Numine non perinde, ac ſacrarum Auctores literarum afflatos fuiſſe indubitatum eſt, eiuſmodi indulgentiâ, quæ iſtarum ſolùm propria foret, muniri, aut gaudere non poſſunt

IV. Quamobrem extra controuerſiam eſt, eas hiſtorias, quæ crimina cuiuſuis iam comperta memorant, hac ſolâ de cauſsâ, quòd eorum dedecora poſteritati tradant, iure culpari non poſſe. Similes verò hiſtoriæ paſſim in Chriſtianâ Republ. etiam in Italiâ, vt videmus, eduntur, in quibus enormia multorum delicta, quæ magno probro ſunt, vt proditiones, rebelliones, furta, direptio-

nes, & alia huius generis, etiam de ijs, qui in viuis adhuc ſunt, narrantur; nec non eorum quoque nomina, qui à Catholicâ religione palàm defecerunt, referuntur, Hæreticique, atque *Apoſtatæ*, priuſquam etiam tales à Sede Apoſtolicâ renuntiati ſint, liberè nuncupantur: neque tamen Inquiſitores, alijque, qui facultatem eas typis imprimendi dederunt, illas improbant, neque vllus Theologorum religionem aliquam, quo minùs tutâ conſcientiâ legi poſſint, hactenus iniecit.

V. Quoniam igitur Hiſtoricis, vt oſtendi, fas eſt, quæcunque delicta, etiam Hæreſis, iam notæ mandare poſterorum memoriæ, nominaque eorum, qui ijs ſe polluerunt, ſingillatim enuntiare; ac licèt hoc pacto illorum infamiam in pòſtfuturos quoque tranſmittant, tamen publici documenti, ac maioris boni gratiâ, hanc iure negligere ius eſt; ſanè meridianâ luce clariùs eſt, multo magis Theologis liberum ſolutumque eſſe, quum conſtat, libros Hæreticos ab aliquo ſatos, Hæreſimque Lectoribus non ex imperitiâ, ſed ex certâ nequitiâ propinatam, nomen Hæretici ei ad Catholicæ fidei patrocinium indere, editoque Apologetico Hæreticum vocare ac demonſtrare: quandoquidem in illius Hęreſi reuincendâ non de morali tantùm aliquo monito eliciendo, quò potiſſimum Hiſtoricorum conſilium ſpectat, ſed de grauiſſimis Catholicæ religionis damnis arcendis, quæ illam moralis documenti qualemcunque vtilitatem centies ſine dubio ſuperant, agitur: ac propterea Theologi, peſtilentes id genus libellos exenterantes, eorum Auctores iam perſpectos validis rationibus Hæreticos eſſe iure centies potiore docent, ac vocant, quàm Hiſtorici, qui eos tantùm nominant, ſed non probant.

§. VI.

Quartum fulcimentum eiuſdem doctrinæ à legitimâ Catholicæ religionis defenſione.

I. Iuſtum ſui patrocinium à naturâ ipsâ cuique adeò indulgetur, vt vel *Clericis* ipſis, & *Monachis* iniuſtum inuaſorem, etiamſi proprius ac naturalis Pater ſit, cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere liceat, vt vulgatum eſt. Nam *vim vi repellere, leges omniaq́; iura permittunt*, inquit Alexander III. *cap. Si verò* 1. *de Sentt. Excom* & vnà cum omnibus Doctoribus Leſſius *lib.* 2. *de Iuſt. cap.* 9. *dub.* 8. *num.* 41. *&* 42. & Cardinalis de Lugo *de Iuſtit. diſp.* 10. *ſect.* 6. *num.* 137. *&* 138. oſtendunt: ac proinde & ipſimet Catholicæ religioni neceſſaria ſui defenſio nullo modo negari poteſt, vt conſtat: Fac iam aliquem eò amentiæ progreſſum, vt libro Hæretico, & multiplicibus calumnijs infami emiſſo, Catholicam religionem, & Catholicorum famam ſceleſtè aggreſſus ſit, nec non aliquos Catholicorum ſingulares ac indiuiduos, Ioannem puta Sacerdotem, Iacobum Monachum, Antonium Epiſcopum, Hæreticos nominatim appellârit. Dubium nullum certè eſt, quin Theologis Catholicis, religionis Catholicæ vindicibus ius faſque ſit vel à naturâ ipsâ impertitum, & Religionem Catholicam, & innocentium exiſtimationem, eiuſdem libro Hæretico profligato, & calumnijs euerberatis, tuendi. Igitur quũ ad damna à libro Hęretico Religioni, & famæ Catholicorum illata reſarcienda, Auctoris, qui illum librum publicauit, nomen exprimere, tum eumdem Auctorem Hæreticum nuncupare, Hæreticiſque annumerandum, palàm facere, neceſſe eſt, id pariter

Theologis, imò & cunctis, qui poſſunt, integrum erit.

II. Confirmatur 1. Quia ad famam redintegrandam, vbi eius recuperandæ ratio alia nulla ſuppetit, crimina etiam occulta illius, qui eandem labefactauit, detegere (quando id ad fidem illius, qui calumnias vel crimina impoſuit, eoque grauiter infamauit, extenuandam iuuat) conſentiunt Theologi omnes, fas vtique eſſe, teſte eodem Leſſio *lib.* 2. *de Iuſt. cap.* 11. *dub.* 25. & Cardinali de Lugo, *loc cit diſp.* 15. *ſect.* 3. *num.* 48. Igitur ſi neceſſe ſit Ioanni, qui à Ioſiâ Hæreſis infamatus falsò eſt, eundem Ioſiam Hæreticum verè demonſtrare, ac nominare, quum aliter à calumniâ vindicare ſe nequit; eademque ratione ſi Catholicam fidem aduerſus Hæreticum illius librum aliter propugnare integrè plenèque non poteſt, niſi eundem Ioſiam Hæreticum planè eſſe doceat, ac diſertè ita eum appellet, etiamſi hoc illius delictum Hæreſeos adhuc inuolutum tenebris lateat, honeſtiſſimè id præſtare poteſt. Quanto verò etiã magis, vbi ipſemet Ioſias Hæretici libri Auctorem non dubijs argumentis ſe prodidit, aut aliunde ſatis vulgo perſpectum eſt, Hæreticos illos furfures ex eiuſdem ſacco eſſe depromptos?

III. Confirmatur 2. Quia hîc de damno non priuato, quale eſt, quum Ioannis priuati hominis fama læditur, ſed de publico, & grauiſſimo vitando agitur, quale ſine controuerſiâ illud eſt, quod in Catholicæ religionis, aut earum perſonarum, quæ in proximorum ſalutem incumbunt, vt ſunt Epiſcopi, Antiſtites, Sacerdotes, & plerique Religioſi Ordines, magnam fraudem redundat. Igitur multò magis fas iuſque eſt Theologo, ad huiuſmodi detrimenta tam grauia auertenda, Hæretici Auctorem libri retundere, ſuoque deſignare nomine,

nomine, ac inter Hæreticos ſuâ ipſius nequitiâ cooptatum Orbi patefacere, quum ita opus eſt; quàm cuiuis priuato ad priuatam, & longè leuiorem noxam declinandam, hoc idem præſtare.

IV. Hæc generatim expoſita vt rata & fixa, nemine diſcrepante, apud omnes ſunt; ita nunc explicandum, quî tandem ad legitimum Catholicæ religionis ac innocentiæ patrocinium neceſſe planè ſit, alicui nomen Hæretici impingere. Cur enim, inquiet aliquis, ſatis non ſit, libellum ipſum Hæreticum vel famoſum, eiuſque Hæreſes & calumnias, illius Auctore diſſimulato, infirmare, ac redarguere? At ratio in promptu eſt. Nam qui propudioſorum voluminum calumnijs & multiplici Hæreſi ſcatentium fabri ſunt, complures Catholicorum Hæreſis, aliorumque criminum non minùs falsò, quàm nefariè poſtulant, Hæreticosque ſingillatim, ac nominatim vocant; ipſi interim ſub commentitijs plerumque nominibus deliteſcunt, aut ſi illorum Codicum Architectos ſe profitentur; quod ipſi nomen ac munus Hæreticorum cumulatè repræſentãt, alijs per ſolitam impudentiam attribuunt. Quid hîc facias? Titius publico libello anuli aurei, atque adamantis furtim ſubducti à Sempronio delatus, maloq; dolo per falſos teſtes conuictus, quum affictũ huiuſmodi crimen rectè ac ſolidè diluere nequeat; animaduerſo, variam Hęreſim ab eodem Sempronio ſeu ſcripto, ſeu ore non vulgatam, ſed Hæreticâ etiam pertinaciâ mordicus defenſam; ad detrahendã illi apud cunctos obiecti furti fidem, crimen Hæreſis reddito libello eidem vitio vertere, quum ex hoc multarum fraudium & mendaciorũ ſatorem eum eſſe liquet, atq; ita & furti ſycophantiã ſtruxiſſe vero propius eſſe, haud ex vano colligitur, quod equidem ſæpius vſuuenire poteſt, iure ſanè valet, vt paulò antè extra aleam poſitum eſt. Igitur idem Titius multo

magis

magis poteſt eundem Sempronium edito Apologetico Hæreticum dicere, atque oſtendere, ſi ab eo non furti tantùm, ſed Hæreſeos etiam iniquè infametur, atque Hęreticus appelletur, vt ex ratione connexi antè explicatâ perſpicuè dilucet.

V. Quod maximè eo quoque roboratur, quia Hæreſes non minùs, quàm reliquæ cuiuſque rei ſententiæ, ab ipſiſmet Auctoribus, qui magnâ in exiſtimatione ſunt, plurimum ponderis accipiunt, vſque adeò, vt permulti non ratione vllâ, aut rationis ſpecie, vel colore ducantur, ſed nudâ ac ſolâ auctoritate docentium, quoquo modo eam ſibi pepererint, ſeducantur, vt innumeri populi idiotæ, rudes, atque hebetes ab Hæreſeon varijs inſtitoribus fuco & fallaciâ decepti, apertè teſtantur. Nimirum dum apud Catholicos abditi Hæretici Catholicorum ſpeciem ac nomen retinent, libellis ſuis, calumnijs, atque Hæreſibus vim non mediocrem indunt, fidem, & venerationem conciliant, ſimplices, priſcoſque homines nullo negotio illaqueant, atque infatuant. Quocirca vt eiuſmodi Hæreſes conuellas, euellaſque, illam exiſtimationem magnorum virorum, improbis comparatam artibus, labefactare priùs, atque Auctoribus ipſis palàm adimere; tum, ne deinceps peſtem ij afflare vſpiam pergant, præcidere omnino oportet. Atque id fieri nullo modo poteſt, niſi illorum & ſcelera, & nomina memores, ipſos Hæretica venena ſpargere, ipſos mille nocendi technis graſſari; ipſos ſub ouinâ pelle lupinam rabiem alere, atque exerere; ipſos mortis ſtipendia vnà cum reliquis Hæreticis mereri, ac proinde ceu Hæreticos tæterrimo infectos tabo auerſandos fugiendoſque, manifeſtò doceas. Neque verò legitimo ac neceſſario Catholicæ religionis, ac innocentiæ patrocinio conſentaneum eſt, vt antequam Hæreticum libellum vnà cum Au-

ctore retundas, totius cauſſæ cognitionem ac iudicium ab Apoſtolicâ Sede per longas moras, vt res ipſa, maximè ex locorum, & perſonarũ diſtantiâ, poſcit, neceſſariò ducendum præſtolari cogaris. Tum enim, dum procraſtinatur iudicium, quantam vaſtitatem Catholicæ rei, Hęretici libelli ſine fræno, atque impune volitantes importarent? Ergo neceſſarium fidei Catholicæ, atque innocentiæ patrocinium (quod à naturâ conceſſum, nullâ lege humanitus antiquari poteſt) nunquam erit integrum, neque fraudi, atque iniuriæ repellendæ par, niſi iure potiaris reijciendi ac publicandi iuſtis Vindicijs, quaſcunque Hæreſes, atque Hæreticos, non generatim ſolùm, ſed nominatim quoque, & ſingillatim, nullâ etiam ſententiâ Apoſtolicâ ſingulari expectatâ, quanquam delatione ad Sacros Quæſitores, vbi horum tribunal adeſt, nunquam omiſsâ, vt patet.

VI. Rurſum idem neceſſarium fidei Catholicæ, atque innocentiæ patrocinium exigit, vt huiuſmodi cenſura & ſingularis nomenclatura Hæretici, puta, Sempronij, à Titio foras danda, licita ſit; ſiue Sempronius ſuo libello Hæretico nomen proprium appoſuerit, ſiue fictum addiderit, dummodò ex circumſtantijs in aperto ſit, illum talis libelli conditorem omnino eſſe; quum perinde ſit, ſiue veritas ex claro nomine, ſiue ex alijs adiunctis in eandem lucem prodeat. Quin etiam, etſi fortè vulgo minimè notum ſit, quis Hæretici libelli vel ſine nomine, vel nonniſi commentitio adſcripto nuper emiſſi genuinus Auctor ſit; ſi tamen non dubijs argumentis Titius perſpectum habeat, eſſe Sempronium; hunc iure optimo poteſt prodere, Hæreticumque etiam pertinacem, quum id illa euincunt, demonſtrare, ac nuncupare, quia, ad publicum religionis Catholicæ damnum cauendum, & occulta quæque crimina extra

confeſ-

confeſſionem piacularem auditione accepta pandere, ius faſque eſt, vt omnes Theologi tradunt, quos hîc enumerare in re compertiſſimâ nihil attinet. At niſi exploratum omnino ſit, Sempronium Hæreticâ lue laborantem, Hæretici libelli architectum eſſe, ſed dubium tantummodo, aut ſuſpicioſum, an ille ſit, non poteſt Titius, vulgato libro huiuſmodi, crimen eidem affingere, quum in dubio de innocentiæ poſſeſſione ille deturbari iure nequeat, vt conſtat. Quod ſi crimen Sempronij minimè anceps, ſed certum, at occultum penitùs ſit, tum Hæreſes ipſæ libello inſitæ, nullam commendationem ab illius auctoritate ſecum afferunt; atque adeò ſi hæ validè refelli funditusque extirpari, eo non prodito, poſſunt, neque periculum eſt, ne ille inſanire pergat, cur edito libro auctor ſceleris nominatim prodendus ſit, publici damni declinandi cauſsâ, ego ſanè non video. Cæterùm quia Hæreſis ſemper, vt cancer, ſerpit, ſemper ab eo, qui Hæreticum nouit eundem Sempronium, vtcunque etiam in tenebris deliteſcat, ad Quæſitores fidei deferendus eſt; & ſi quod publici damni periculum ingruat, aut Hæreſes ipſæ haud ita commodè ac probè auerruncari queant, niſi eo detecto, & nudatâ Apologetici ſicâ nominatim iugulato, id Titio, qui rei totius gnarus eſt, omninò licet, vt palàm eſt.

VII. Verùm Hæretici Auctor libri iam notus, non clancularius, mox peruulgato alio libro, impactoque illi Hæretici nomine, arietandus atque euertendus, non ſolùm, ne Hæreſim ſuâ auctoritate ipſe confirmet, vt iam vici, iure ac meritò eſt; ſed hoc ipſo etiam, quia Hæreſim eum ſeuiſſe, iam minimè obſcurum eſt, vt iam aperiam. Extra controuerſiam ſcilicet eſt, libros Apologeticos qui Hæreſes, Hæreticoſque confutant, remedium eſſe ad detrimenta ab illis ſeu illata reſarcienda, ſeu

imminentia propulſanda, quum cætera præſidia, vt paulò pòſt oſtendam, minimè ſufficiant, pernecesſarium; adeoque ab Eccleſiæ Præſidibus, qui fidem ſuam id genus damnis auertendis tacitè grauiterque obligârunt, ſine ingenti piaculo ſubduci non poſſe; ac ſi temerè ſubducant, noxarum omnium, & malorum, quæ inde in Rempub. deriuantur, reos eſſe. *Error*, quippe *cui non reſiſtitur*, approbatur (vt tritum Innocentij Pontificis effatum *cap.* Error, *diſt.* 83. pronuntiat) *& veritas, quum minimè defenſatur, opprimitur. Negligere quippe, quum poſſis perturbare peruerſos, nihil eſt aliud, quàm fouere. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiari.* Remedium verò quo ſit efficax, & morbo curando accommodatum, neceſſe minimùm eſt, vt peruerſorum librorum doctrinas non tantùm falſas, ſed Catholicis etiam dogmatis repugnantes, atque ab Eccleſiâ iam Hæreſis damnatas ſolidè probet, vt liquet. Abſque hoc enim foret, Apologia ipſa Catholicæ veritatis ab Hæreticâ inſaniâ Lectores non ſatis deterreret, vel reuocaret, nec vulneri aptã pręſentaneamque, vt par eſt, faceret medicinam. Eccleſia namque alicui prauæ doctrinæ ſtigma Hæreſis idcirco inurit, eamque proſcribit, ac diris ferit, quo mortales omnes ſummopere ab illâ præ cæteris flagitijs retrahat, ac depellat. Ergo ſi falſam doctrinam Lectori ab Eccleſiâ Hæreſis etiam notatam, atque execratione defixam non demonſtras, haud ſatis efficaciter eum ex Eccleſiæ præſcripto, & regulâ, ab eiuſmodi contagione auocas. *Neque enim parum confert ad euitationem mali* (vt pulchrè, ſapienterque animaduertit D. Chryſoſtomus lib. 3. contra vituperatores vitæ Monaſticæ) *nudas ipſas, & proprias vitiorum proferre appellationes: verùm tantùm habet momenti, & roboris ad eos, qui peccant, feriendos, vt plurimi nonnunquam turpiſſimis flagitijs inſignes, quum id, quod ſunt, ſe vocari audiunt, modeſtè ferre non poſſint, ſed vt qui acerbiſſi-*

ma ſint perpeſſi, ita ſæuiunt, atque efferantur. Deinde ſi quis vel mulierem adulteram, vel ſtupratum puerum ex actu ipſo fœdiſſimo vocauerit, vt qui maximis iniurijs affecerit, irreconciliabilis efficitur repentè inimicus. Nec iſtos ſolùm, ſed & cupidum quemque, & ebrium, & elatum, ac tumidum, omnesq; penitus, qui graue aliquid peccauerint, videas nō tam opere ipſo nefario, multitudiniſq; opinione morderi, ac dolere, vt appellationibus proprijs operum ſuorum. Atque ego complures iſto correptionis genere emendatos noui, factoſq; ipſis exprobrationibus moderatiores, ac meliores. Hactenus Chryſoſtomus. Neque ſecus S. Leo Pontifex Maximus, & de Hæreticis nominatim differens, Epiſt. 63. ad Theodoretum; *Nec vnquam contra Neſtorianos,* inquit, *aut Eutychianos agentes alteri eorum videamur terga vertiſſe, ſed vtroque Chriſti hoſtes æquâ lance vitemus, atque damnemus, ita vt eos, quoties audientium quantalibet poſcit vtilitas, cum dogmatibus eorū digno anathemate promptiſſimè atq; euidentiſſimè feriamus, ne ſi à nobis hoc aut obſcurius fieri videatur, aut tardius, putetur inuitum.* Ex quibus manifeſtum iam eſt, ad Hæreſim deteſtandam, abolendamque haud ſat eſſe, eam quæſitis circumſcribere vocibus, ſed proprio planè nomine Hæreſim eſſe appellandam. Porrò dum hinc falſam aliquam doctrinam Hæreſeos ab Eccleſiâ damnatam reuincere, Hæreſimque palàm vocare Titius Catholicæ vindex religionis, elaborato Apologetico neceſſe habet: illinc verò compertum publicè eſt, eam Hæreſim à Sempronio non ſolùm editam, ſed pertinaciter etiam propugnatam; ineluctabili conſecutione euidens quoque eſt, eundem Sempronium eſſe Hæreticum; & quia Eccleſia nomen Hæretici, ſi crimen reapſe illi hæreat, ſuo deque habet, vt infra planum faciam; Hæreticum pariter ſcripto in eum libro nominari, articulateque frangi poſſe.

VIII. Imò haud rarò poteſt contingere, vt niſi væſana doctrina Hæreſeos, Auctorque eius Hæretici

tici expreſsâ notâ perſtringatur, Apologeticon nõ ſolùm minùs vtile, ſed noxium quoque ac perniciabile euadat. Quamuis enim illis in libris, qui Catholicæ fidei aduersùs Hæreticos controuerſias non enodant, ſi quando alicuius Hæreſis mentio incidit, Hæreſis nomen ſine periculo ac piaculo diſſimulari queat, ſatisque cautum videatur, ſi doctrinam illam falſam eſſe, ſacrisque literis aduerſari, vel quidpiam ſimile moneatur; at ijs in Commentarijs, qui bellum ex profeſſo Hæreticis indicunt, Hæreſesque vnà cum ſuis Auctoribus debellandos ſuſcipiunt; quamuis errores, quos refellunt, à Catholicâ religione abhorrere diceretur, tamen nomen Hæreſis, atque Hæretici nimis periculosè ſemper taceretur. Nam qui minùs prudentiâ, vel ingenio pollent, in eam ſiue opinionem, ſiue ſuſpicionem adduci ſe facilè paterentur, vt illos errores tametſi agnoſcerent, ab Hæreſeon nihilominùs infamiâ longè adhuc abeſſe crederent; ac proinde neque vſque adeò, ſed communium dumtaxat culparum inſtar abominandos ſibi, non ſine graui fraude, perſuaderent. Quid enim? Si Cardinalis Bellarminus varijs Hæreticis (qui hoc in cenſu, non quia ab Apoſtolicâ Sede nominatim damnati ſint, ſed quia aliorum Hæreſiarcharum aſſeclas fuiſſe, Catholicamque religionem flagitioſis libris ab ijſdem oppugnatam eſſe, in confeſſo eſt) numerantur, nunquam ſuis in Controuerſijs Hæreticorum nomen tribuiſſet, neque inter Hæreticos dicam apertè ſcripſiſſet; quanquam etiam errores complures Catholicis repugnantes dogmatis, ab ipſiſmet gnaris, & præfractè volentibus admiſſos patefeciſſet; ideoque & Hæreticos neceſſariâ conſequentiæ lege tacitè ſimul indicâſſet; ſimpliciores tamen hinc anſam allucinandi grauiter, ſecumque reputandi eiuſmodi errores ab Hæreſum dedecore, & contubernio adhuc

multùm

multùm diſtare non ſine magnâ pernicie profe-ctò caperent. Quam pernicioſam allucinationem Eccleſia vt cauendam doceret, eoſdem errores Hę-reſeon notâ dedecorandos, eosque qui illos am-plectuntur; Hæreticorum nomine dehoneſtandos meritò iudicauit. Ergo vt Catholicæ fidei patro-cinium aduersùs Hæreſes, Hæreticosque ſingula-res arreptum, accepto damno leuando æquale, vt pharmacum morbo graſſanti eijciendo par, vt antidotos cicutæ egerendæ idonea ſit, neceſſe prorſus eſt, peruerſam doctrinam Hæreſis, Aucto-remque inſanientem, Hæretici titulis nominatim turpare.

IX. Quæ etſi tam perſpicua ſunt; eſt tamen fortè nonnemo, qui tenebras offundit, & Sacro-rum Quæſitorum tribunal, ad quod quiſque, quos nouit Hæreticos, deferre, Pontificiæ execrationis fulmine intentato, cogitur, vt egregiè Suarez vnà cum cæteris Theologis *de fide, diſp.20. ſect.4.* ediſſe-rit, efficacius, atque opportunius ad ſingulares quoſque Hęreticos reſtænandos remedium, quàm Apologeticorum librorum editionem, eſſe con-tendit; ac propttereà Lege Eccleſiaſticâ cautum eſſe, vt Hæretici quique ad Inquiſitores ſine præ-uiâ etiam monitione deferantur, vt ibidem Sua-rez *num* 7. & 9. explanat: priuatamque huiuſmo-di monitionem prætermittendam, decerni iure optimo ab Eccleſiâ potuiſſe; quia *propter grauita-tem*, vt illic *num.12.* idem Doctor explicatè ſubdit, *& periculum commune detrimenti, quod eſt in peccato Hæreſis, rariſſimè poteſt conueniens remedium adhiberi per ſolam monitionem priuatam, & magna prudentia neceſſaria eſt ad cognoſcendum, an Hæreticus verè cor-rigatur, vel fingat, & decipiat:* ideoque *meritò potuit Eccleſia, quaſi reſeruare ſibi, ſeu Prælatis, & Iudicibus ſuis hoc negotium, & illud non relinquere arbitrio, & diſcretioni alicuius hominis priuati.* Vnde clarè ſcit,

quum

quum de certâ perſonâ Hæreticâ agitur, denuntiationem eius ad Sacros Quæſitores, efficacius, atque opportunius eſſe remedium, quàm priuati hominis Apologetica, atque huiuſmodi prouinciam nullius priuati iudicio ab Eccleſiâ fuiſſe creditam, aut permiſſam.

X. Verùm ego aut ſolem in meridie, quanquam oculorum acie minimè hebetatâ, non cerno; aut quò id telum deſtinetur, vel intorqueatur, non diſpicio. Tribunal Inquiſitorum magis efficax & opportunum ad compeſcendos ſingulares Hæreticos remedium eſt, quàm Apologeticorum editio. Quis id vnquam negauit? Ego ſanè ne per ſomniū quidem. Nempe carcer, funis, equuleus, fidiculæ, & cætera tormenta ſolis verbis, aut libris multo ſunt validiora. Illorum nomina iiſdem Inquiſitoribus denuntianda omnino ſunt. Quis ambigit? quoties id enucleatè dixi? & omittenda quoq; priuata eorum monitio. Ecquando hoc in dubium reuocaui? Nunquā. nuſpiam. Quid tum poſteà? Ergóne Suarez iudicium priuatū de ſingulari Hæretico euulgando ab Eccleſiâ Theologis vetitū aſſeuerat? nullo modo. de alio enim ille caſu, quàm de præſenti, vt euidens eſt, diſputat, de eo nimirum Hæretico, cui Inquiſitor ipſe mederi poteſt, delatione & coercitione bonam ad frugem reuocando, qui ſi priuatim fuiſſet admonitus, fortè aufugiſſet, vel remora ſaltem aliqua, ne caperetur, iniici potuiſſet. At ego de Hæretico tantùm loquor, cuius Hæreſi iam fœdè graſſanti ne tota quidem Sedes Apoſtolica ſola, nedum Inquiſitor, neceſſariam, ſufficientemq; opem, etiam poſt quamcunque delationem affert, vt mox parebit, de quo nullū verbum ibi facit Suarez. Sit Quæſitorum tribunal Hæreticis ſingularibus comprimendis, quàm cætera remedia, potentius, Quorſum id? ergóne ſolum extinguendæ Hæreſi ſufficit? Falſum eſt. Quomodo enim adhuc

huc tam immanis Hæreticorum multitudo vexaret Eccleſiam? Ergóne nullum aliud præterea neceſſarium, aut valde conducibile? conſecutio ex æquo vana & clanda. Sed hac de re multo adhuc copioſiùs actutum.

§. VII.

Quintum fulcimentum eiuſdem doctrinæ ab auxiliari ac neceſſariâ operâ Eccleſiæ ipſi nauatâ.

I. Verùm quamuis in Sacro Quæſitorum tribunali ad redarguendos, & expugnandos Hæreticos tantum præſidij ſit, id tamen ad eos penitùs exterminandos nullo modo ſat eſt, vt manifeſtum eſt, quum nihilominùs tanta eorũ vis adhuc ſuperet, Catholicamq; Remp. adeò impotenter, continenterq; perturbet; ideoq; præter delationem Hæreticorum ad eoſdẽ Quæſitores, elaboratis vulgatiſq; Apologeticis, quibus ijdẽ non generatim tantùm, ſed nominatim quoq; reuincantur, opus præterea eſſe & diſertè pronuntio, & ſolidè demonſtro.

I. Primò. Quia etſi pernicioſos libellos omnes generali ſaltem ſcito à Sede Apoſtolicâ vetitos eſſe ponamus, Index tamen librorum prohibitorum vltra Alpes Italiæ non vbique locum habet, neque Lectoribus religionem inijcit. Imò verò ne ipſa quidem *Bulla Cœnæ*, vt obſeruat Becanus 2.2. *de fide, cap* 15 *q* 2. *num.* 6. & *q.* 8. *num.* 4. & 5. Cui etiam adhæret Diana *par.* I. *Tract.* II. *Reſolut.* 35. afferens pro eâdem doctrinâ Azorium quoque & Sanchez, in pleriſque Germaniæ, Angliæ, & Galliæ regionibus vſu recepta eſt, atque idcirco ſi quis illis in locis, vbi ea *Bulla* recepta non eſt, librum Hæreticum legat, *Excommunicationis*, vt vocant, ab illâ denuntiatæ, quemadmodum ijdem Doctores tradunt, immunis eſt. Ergo conſimiles libri

libri Hæretici vtcunque proſcripti, ſi eos publicatis Apologijs, illorumque Auctoribus Hæreſis palàm inſimulatis, obterere non liceret, ijſdem in locis impune planè, & ſine andidoto, per manus præſertim Hæreticorum, circumferrentur, quod nefas omnino eſt, ipſi Apoſtolicæ Sedi, tametſi eoſdem Hæreticos nominatim minimè declarârit, nullo modo probatum.

III. Secundò. At enim in Italiâ etiam, aut alibi, vbi Index ille damnatorum Codicum receptus eſt, non deſunt permulti improbi, qui nihilominùs complures eorum inuehunt, inuehendos curant, inuectos legunt, ac ſpargunt, nullâ legendi proſſus diſtrahendique facultate. Quod vtinam à vero longè abhorreret, neque Chriſtianorum plurimi è Macchiauello, vt de reliquis taceam, Dei abolitionem ſeu iam tritum ſermone *Atheiſmum* non haurirent. Quid quod plerique ſimpliciores, doli nihil ſuſpicantes, eiuſmodi volumina ſæpe bonâ fide peruoluunt, vnde Catholica eorum Fides maximè læditur, vel omnino perimitur? Quàm multi etiam facilè ſuſpicantur id genus libros non æquo iure, ſed per fraudem, per potentiam, per commodi alicuius cupiditatem, per inſectandi libidinem, per vmbratilis etiam offenſæ vltionem, aut per quemcunque alium inanem prætextum ſupprimi, adeoque Apoſtolicæ Sedis edicta nullo pudore, nullâque religione contemnunt? vt igitur ijs omnibus, ſeu qui per imprudentiam labuntur, ſeu qui malitiosè delinquunt, fiat ſatis, cunctique eorundem librorum nequitiam, errores atque Hæreſes in propatulo collocatas ac iugulatas intueantur; vt infirma multorum fidelium fides confirmetur; vt peruicaces Hæretici ad Hæreſes in crucem actas expectorandas, Chriſtianamque religionem amplectendam alliciantur; vt innocentium virorum fama,

iæ decus à calumnijs deterrimis vindicetur; vt Apoſtolicæ denique Sedis in illis Codicibus interdicendis iuſtitia, candor, ac prudentia omnibus innoteſcat; Apologeticis diſceptationibus foràs datis, quæ væſana capita probè pectant, ac nominatim etiam Hæreticis agitata furijs doceant, quamuis nondum ſingillatim ab Eccleſia ex deſtinato percuſſa ſint, præter Inquiſitorum tribunal, peropus eſt.

IV. Tertiò. Sicut Principes ijs, qui per capitales ſimultates ab alijs iniquè ad necem quæruntur, armorum alioqui vetitorum gerendi facultatem indulgent, neque illos ſatis ab inſidijs tutos putant, quòd homicidium legibus, graui capitis pœnâ denuntiatâ, prohibitum ſit; & qui illius reus à Iudice tenetur, noxiam obtorto collo ſubinde luat; neque eoſdem iubent, quum infeſtis ſpiculis ab hoſte petuntur; antequam vim vi repellant, ſententiam huiuſmodi iniuriæ damnatoriam præſtolari: Ita quamuis propudioſis libellis alterum infamare, Chriſtique Eccleſiam Hæretico veneno inficere, leges omnes dirâ imprecatione defigant, Hæreticique ad Inquiſitorum rapti tribunal, pœnas conuicti, quas merentur, perſoluant: hæc tamen cautio atque animaduerſio tota, ad Catholicæ fidei, famæque innocentium vitam atque integritatem tuendam, vel reſtituendam minimè ſufficit, ſed ad vtriuſque neceſſarium patrocinium, validis prætereà Apologijs tempori publicatis vtendum, ſtrenueque pugnandum: neque quum Chriſti hoſtes Hæretici in Catholicam religionem tæterrimis libris emiſſis impetum faciunt, ſtertendum, aut anſatis brachijs ac manibus expectandum, vt priùs à Sede Apoſtolicâ nominatim illi multentur, ſed extemplo vis vi æquiſſimo iure propulſanda, atque in ſingula eorum capita, Hæreticorum titulo expreſſè de-

ſè dehoneſtata, calamo ſtyloque nauiter, ac fortiter ruendum.

V. Quartò. Si, vbi Inquiſitorum extant tribunalia, fas minimè eſſet, Hæreticos libros cum facultate etiam Maiorum per varias technas extortâ editos *a* (ſicut Macchiauellum quoque Romæ primò typis impreſſum conſtat) ſine morâ compeſcere, ſed totius cauſſæ iudicium priùs ab Inquiſitore eſſet abſoluendum: plurimi errores atque Hæreſes diu multumque cum magnâ complurium fraude atque pernicie ſine remedio graſſarentur. Nam I. priùs quàm ad Quæſitoris tribunal Hæretici nomen deferatur, dies complures labuntur; delatum verò reum antequàm ille aduocet, carcerique mancipet, lentè feſtinat, multumque temporis inſumit, & quidem neceſſariò. At intereà lues noxiorum errorum propagatur. II. Reus ſæpenumero longè abeſt, ac propterea nequit ab Inquiſitore in carcerem conijci, neque cauſſa expediri. Quod ſi ille præſto ſit, forſan ob vnius tantùm delationem minimè citabitur; vel ſi à pluribus delatus, fortè quia nimis potens, atque vndique ſeptus armatis, comprehendi non poterit, fortè neque id tentare conſultum. III. Sin citatus iudicio ſe ſtiterit, quamdiu ſui patrocinium moras nectendo procraſtinabit? IV. Aliæ probationes delicti Hæreſis in foro Inquiſitoris exiguntur, aliæ in libris Apologeticis aduersùs Hæreticos ſcriptis ſufficiunt. Nam Inquiſitor, quia pœnam delati Rei ſpectat, ad eius damnationem certas omnino requirit. At qui Hæreticos ſcripto refellit, non ad illius damnum rectà pergit, ſed Catholicæ veritatis multorumque innocentiæ defenſionem præcipuè reſpicit, adeoque minùs ſeueris probationibus, quàm Inquiſitores, iure conten-

a *Vide Wangnereckium in Vindicijs Politicis, Præfat. §. 2.*

contentus eſt, cum eo tamen, ne quicquam temerè alicui affingat. Quod ſanè diſcrimen eo pateret maximè, quòd plurima, quæ neceſſariæ defenſioni conceduntur, ad pœnam irrogandam neutiquam ſufficiunt. Iniuſtum enim graſſatorem poſſum, ſi aliter vitam tueri nequeo, iure occidere: & tamen non poſſum priuatâ auctoritate hoſtem meum, qui in caput meum elapſo anno percuſſorem emiſit, ideoque necis reus euaſit, depulſo iam omni periculo, interficere. Ipſi quoque Hiſtorici, quum varia multorum delicta, nec rarò etiam Hæreſeon monſtra narrant, vel nulla argumenta ad fidem eorum certam faciendam, vel certè non exploratiſſima adhibent, ſed coniecturas, *præſumptiones*, vt appellant, inſignia, aliaque indicia non vndique ſanè firmiſſima afferunt: quumque huiuſmodi vulgant Hiſtorias, Inquiſitores, antequam edendi poteſtatem illis faciant, nullas rigidiores probationes ab iiſdem ſolent exigere, vt notum eſt. Præterquam quòd coniecturæ quoque, & exiſtimationes, ſeu, vt Iureconſulti loquuntur, *præſumptiones*, vbi plures, probæ, ac propinquæ confluunt, in criminibus tenebricoſis, comperτuque arduis, quale planè eſt famoſorum libellorum ſuppoſititio nomine emittendorum, euidentiſſimam probationem conflant, vt ex Iuriſprudentiæ etiam coryphæis in meis *Vindicijs Generalibus, cap.* 7. planiſſimè oſtendi. Accedit etiam, quòd etſi argumentis non dubijs, teſtibusque legitimis Titius perſpectum omnino habet, Sempronium Hæretici libri eſſe Auctorem, atque Hæreticum, & quidem pertinacem; tamen quia illi teſtes vel abſunt, vel ab Inquiſitore rogati, renuunt accedere, aliòue migrant, vel neſcio quâ ratione ducti, aut ſeducti inficiantur; id fruſtra eidem Inquiſitori perſuadet. Tum verò quanquam Inquiſitori probationes ad Sempronium Hære-

ſeos

ſcos conuincendum, puniendumque ineluctabiles prorſus non ſuppetunt, Titio tamen & argumenta prævalida, & teſtes ſyncerae fidei, qui ſecretò rem totam ei candidè aperuerunt, ad eundem Sempronium inter Hæreticos vnà cum eius libro numerandum, non temerè, ſed prudenter; nec dubiè, ſed certo, ad manum ſunt; ac licet huiuſmodi probationes iudici in foro externo ob varias fraudes ab eodem Sempronio interpoſitas, vel ob alia impedimenta, ſeu reſpectus palàm fieri nequeant; ſufficiunt nihilominùs, vt Sempronij amentiam Hæreſimque elucubratâ Apologiâ nominatim euerberet, quum ad eam caſtigandam Inquiſitoris auctoritas ſatis, vt liquet, minimè ſit. Et ſanè in confeſſo eſt, permultos ſcelerum reos omnino, ex Quæſitorum compedibus, quòd de eorum reatu nihil pro comperto habeatur, impunitos neceſſariò dimitti: neque ignotum ex Diuo Auguſtino eſt, verſipellem Pelagium, non ſemel Patribus, atque Concilijs circumuentis, Eccleſiæ cenſuram eluſiſſe. V. Denique etiamſi reus Hæreſis citari, & reuinci poſſit; aliquando tamen Inquiſitores ad grauiora incommoda vitanda diſſimulandum meritò iudicant. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, ſolum Inquiſitorum tribunal ad cunctos ſingulosque Hæreticos compeſcendos ſatis non eſſe, hosque peſtem ſæpenumero, illo fruſtra prohibente, magnâ Catholicæ Reipub. fraude damnoque, impune pleriſque inhalare.

VI. Quum igitur Sacrum Quæſitorum tribunal omnia Chriſtianæ Fidei, ac famæ innocentium detrimenta tam multas ob cauſſas remorasque arcere non poſſit, vt patefeci; Theologi profectò, qui Catholicam religionem Hæreticis fœdatam libellis, alijque, qui ſuam innocentiam calumnijs temeratam cernunt, naturali iure hanc, atque illam vulgatis Apologeticis defenſandi, Hæ-

rericoſque eos, qui tales ſe produnt, nominatim deſignandi, antequam quoque à Sede Apoſtolicâ ſingillatim damnati ſint, etſi in Inquiſitoris foro Hæreſeos, tametſi delati, conuinci non poſſint, priuari nequeunt.

VII. Neque obluctantur, qui apud Farinacium *quaſt.* 105. *num* 231. multis legum ſcitis nixi, cenſent ad iniuriæ verbis irrogatæ pœnam euadendam, probationem illius omnino ratam fixamque eſſe neceſſariam: ſiquidem illi de eâ tantùm probatione, quæ in iudicio & foro externo ad pœnam vel infligendam, vel declinandam requiritur, clarè loquuntur; non de aliâ extra iudicij forenſis pedicas ad legitimum patrocinium accommodatâ, de quâ ſolâ ego hîc diſſero, ac proinde ijdem huic obſtare non poſſunt; nam hæc quoque quamuis in foro externo locum habere nequit, tamen extra illud etiam argumentis minimè ambiguis, teſtibusque idoneis; vel certè coniecturis atque exiſtimationibus bonis, conglobatisque, quæ fidem planè locupletem faciunt, vt notaui, ſatis munita eſt; atque adeò crimen quodcunque, vbi huiuſmodi firmâ probatione in lucem extrahitur, citra iniuriam calumniatori, Hæreticoue defenſionis gratiâ exprobratur.

§. VIII.

Sextum fulcimentum eiuſdem doctrinæ, ab obligatione deferendi Hæreticos ad ſacræ fidei Quæſitores.

I. Nunc id inſuper ego maximè pugno vrgeoque, ſi quis omne Theologorum iudicium priuatum abrogandum putat, priuatamque in ſingulares Hæreticos cenſuram de medio penitùs ſublatam, vel tollendam contendit, eum illos in la-

queos imprudentem neceſſariò indui, vt Hæreticorum fautor meritò reputari, ac dici poſſit; imò debeat. Quid enim? Qui Hæreticos ad Inquiſitoris tribunal deferendos negat, dirasque ab illo in refractarios, qui obſtinatè eiuſdem edictis obtemperare nolunt, denuntiatas eſſe prorſus irritas, rotundè ait, an non Hæreticorum fautor meritò appelletur? Sed quò, quæſo, niſi huc, rectà tendunt, quicunque omne iudicium priuatum dē Hæreſi, atque Hæretico Theologis vetitum arbitrantur?

II. Connexum oſtendo. Nam qui Hæreticum Sempronium, Hæreſes manifeſtò vomentem, Chriſti Domini nempe præſentiam in Euchariſtiā, virginitatem Mariæ poſt partum, pœnitentiæ ſacramentum ore impurato inficiantem, inficiationemque in Codicem iam editum à ſe relatam, fruſtra impietatis admonitum, arctè tenentem, ſuismet auribus auſcultaret, oculiſque cerneret; in animum facilè, neque immeritò, poſſet inducere, vt eiuſmodi Hæretici nomen Inquiſitori, vel Epiſcopo à ſe deferendum minimè duceret, neque vtriuſque interdicto obnoxium ſe eſſe crederet; cauſſatus videlicet, ſibi fas non eſſe, vllum de Hæreſi, Hæreticoúe iudicium, ne priuatum quidem edere, ſed id totum ad ſolam Apoſtolicam Sedem pertinere, ideoque eam ſolam quoque hac de re eſſe conſulēndam. Quæ tamen excuſatio inſana eſſet, atque ab Inquiſitoribus ipſis meritò vapularet, ac proinde nihilo etiam ſanius eſt id, vnde illa fluit, vt liquet.

III. Neque elabēris, ſi renuntiandos quidem Hæreticos Inquiſitori fatearis, ſed eidem iudicium de ijs, an reapſe Hæretici ſint, relinquendum; ab illis verò, qui renuntiare debent; non iudicium certum, ſed incertum tantummodò præbendum decernas. Quippe aut iudicium priuatum de Hæreſi, atque Hæretico cuiuis Theologo licitum ait,

aut

aut negas. Ais? Ergo iam vici, nullaque ampliùs iurgandi fibra ſupereſt. Negas? Caſſum igitur eſt omne diſcrimen à te excogitatum. Quid enim incertum iudicium eſt, niſi ſuſpicio, aut opinio? quid verò ſuſpicio, niſi animus, qui teſte Leſſio *lib.2. de Iuſt. cap.29 dub.2. num.6. in alteram partem inclinat; nondum tamen abſolutè aſſentitur? non enim eſt aſſenſus, & determinatum iudicium, ſed inclinatio, vel incitatio animi ad aſſenſum, quæ fit vel per motusquoſdam aſſentiendi imperfectos, & indeliberatos, vel quod ſpecies aliqua veri ſubluceat in hac parte, quæ non in alterâ.* Quid autem opinio, niſi *aſſenſus alterius partis,* vt idem Leſſius illic ſubdit, *& iudicium determinatum, ſed vacillans habens, coniunctam formidinem de oppoſito.* Quocirca etſi in opinione iudicium determinatum adſit, id tamen incertum eſt, & tremulum. At *iudicium firmum,* ſeu certum, vt definit ibidem Leſſius, eſt *aſſenſus ſine formidine veritatis oppoſitæ.* Hinc

IV. Quæro ex te, an opinionem de Hæreticis permittas cuiuis Catholicorum, ne dum Theologis, iudicium autem firmum nequaquam? Si ne opinionem quidem concedis, ſed ſuſpicionem tantùm, inanis prorſus eſt differentia iudicij certi & incerti à te paulò antè allata, quandoquidem in ſuſpicione nullum iudicium eſt, neque determinatum, neque certum, neque incertum, vt patet.

V. Deinde. Quamuis Hæretici certi à ſuſpectis de Hæreſi hoc diſtent, quòd illi Hæreſeos certa atque explorata ſigna, hi verò non certa quidem, ſed grauia tamen produnt: nihilominùs vt quis ſeu Hæreticum certum, ſeu ſuſpectũ de Hæreſi tantùm deferre Inquiſitori debeat, nõ ſatis eſt, ſi illum Hæreticum certum eſſe, vel ſuſpectum de Hæreſi ſuſpicetur, ſed opus prætereà eſt, vt reuerâ noſcat, ſciatque ipſum eſſe talem. vt enucleatè Doctores communiter tradunt, Nauarrus *Conſ de Hæreticis.* & *cap.*

inter verba 11.*q*.3.concl.6. Rodriquez *in Summâ*, *cap.* 78.*par*.1.*num*.7. Clauis Regia Sayri *lib*.12. *cap*.14 *num*.33. Reginaldus *lib*. 24. *num*. 63. Lazarius *in Monitor.ſect*.2. *q*.12.*num*.2. vbi plures alios recitat, quibus & Bonazina *de Cenſuris diſp*.2. *q* 6. *puncto* 1 *num*.12 & 13. vnà cum Sanchez, Corduba, Gutienez, & alijs ſubſcribit. *Scire* autem *propriè*, vt ijdem docent, eſt *veritatem viſu, vel alio corporis ſenſu perceptam retinere*, quod longè abeſt à ſuſpicione, in qua nullum iudicium eſt; illud autem ſine iudicio determinato non contingit, vt clarum eſt. Ergo ſi iudicium, & opinionem de Hæreſi priuatis hominibus aufers, ſolamque ſuſpicionem relinquis, omnem deferendi Hæreticos Inquiſitoribus obligationem perimis, quod nemo niſi Hæreticorum fautor audebit, ab ijſdem Inquiſitoribus eapropter iure plectendus.

VI. Sin opinionem de Hæreticis cuiuis licere, non verò iudicium firmum ac certum exiſtimes, adhuc fruſtra es. Nam primò ſicut certa ſigna Hæreſis à Sempronio edita firmum certumque iudicium, ita incerta, ſed grauia opinionem gignunt, vt conſtat. At Titius non minùs perſpecta ſigna Hæreſis certa ab eodem Sempronio edita habere poteſt, quàm tantùm grauia, vt apertum eſt. Ergo de Sempronij Hæreſi non ſolùm opinari, ſed certo etiam iudicare poteſt. Deinde ipſi Inquiſitores, dum ſuis in Edictis certos Hæreticos à ſuſpectis tantùm de Hæreſi diſcriminant, iubentque vtroſque deferri; iam palàm non ſolùm opinionem, ſed certum quoque iudicium de Hæreticis, quod ex certis ſignis certos denotantibus proficiſcitur, Catholicis omnibus licere ſignificant. Atque adeò qui aliquem ſeu certum Hæreticum, ſeu ſuſpectum de Hæreſi deferre Inquiſitori debet, priùs iudicium certum de eo, vel ſaltem opinionem, in qua etiam iudicium determina-

tum eſt, ſed nutabundum, eliciat, neceſſe eſt, ipſum talem eſſe, vt compertum eſt.

VII. Iam pone crimen Hæreſis Sempronij ſeu certum, ſeu ſolâ ſuſpicione adſperſum, publicum eſſe. Tum haud dubium, quin quiſque ſuum de eo iudicium, vel opinionem alteri citra illius iniuriam, vbi iam innotuit, enuntiare poſſit, ac liberè de eo loqui; neque huiuſmodi priuatum iudicium, vel opinio de Hæreticis, aut ſuſpectis de Hæreſi à Iudicio externo Inquiſitorum prohibetur, ſed huic potiùs neceſſariò illud præire debet, vt euidens eſt. Ergo Theologus quicunque, puta, Titius, qui huiuſmodi iudiciū priuatum de Sempronio Hæretico publico cum omnibus eodem in loco iure ſuo, ſine vllo piaculo communicat; poteſt etiam illud honeſtiſſimè ex iuſtâ cauſâ, ad eum refellendum, damnumque graue Catholicæ fidei reſarciendum, ſcripto excipere, adornatoque Apologetico peruulgare; quum id nullam prorſus iniuriam iudicijs ſermone tantùm explicatis, quantum ad eos, qui crimen illud non ignorabant, ſuperaddat, vt notum eſt: quantum verò ad ignaros ac poſteros, exemplo Hiſtoricorum publici boni gratiâ noxiæ quoque omnis immune conuincitur, vt reliqua etiam argumenta hactenus expenſa omnino prætermittantur.

VIII. Sed forſan negabit aliquis, parem eſſe rationem iudicij de Hæreticis ſermone dumtaxat vulgati, atque excuſis etiam libris publicati; neque id cuiquam, niſi præuiâ legitimi Iudicis ſententiâ, concedi; ſed illud tantùm. At dicis ſolùm gratiâ hæc bellè finguntur. Cæterùm iudicium de Hæretico ſingulari priuatum, ſcriptoque traditum, ſi licitum non eſt; vel id eò fit, quòd aliquam iniuriam alteri irrogat; vel quòd aliquâ ſaltem lege prohibitum eſt. Non illud, vt iam probaui; neque illud, vt infrà monſtrabo. Ergo nihil obſtat.

§. IX.

Septimum firmamentum eiuſdem doctrinæ à ſacræ Scripturæ interpretatæ experimento.

I. Si qua tergiuerſandi anſa adhuc reliqua eſt, aut fingi poteſt, ea, ni fallor, præcipua, vel etiam vnica eſt, quòd iudicium de Hæreſi *totum eſt Eccleſiaſticum*, vt Pontificia Diplomata expreſsè loquuntur, & ad Sedem Apoſtolicam, ſeu Eccleſiam ſpectat. Atqui hoc vt veriſſimum eſt, ita nihil prorſus obeſt, quandoquidem de ſolo iudicio publico, & fori externi cum iuriſdictione &c. vt ſuprà iam aduerti, id intelligendum eſt, quod hic exemplo luce ipsâ clariore oſtendo.

II. Eccleſiæ quippe eſt *iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum*, vt diſertè tradit Concilium Tridentinum *Seſſ.* 4. & habetur quoque in ſolemni Catholicæ Fidei profeſſione, conſentiuntque omnes Doctores Catholici, qui & Iudicem Controuerſiarum in rebus Fidei ac Religionis eandem Eccleſiam, vel ipſius caput adſpectabile Romanum Pontificem agnoſcunt, vt Bellarminus *Controu.* 1. *lib.* 3. Serrarius *in Prologomenis Bibliacis. cap.* 10. *q.* 4. & *cap.* 21. *q. vlt.* Bomfrerius *in Praloquijs Scripturæ, cap.* 9. *ſect.* 8. & alij paſſim docent. At id nullo modo impedit, quo minùs innumera penè Catholicorum Interpretum in Scripturam diuinam Commentaria, ſine vllâ ſingulari Summi Pontificis, Sedis Apoſtolicæ, vel Eccleſiæ facultate, ſed cum eâ tantummodò Antiſtitum Eccleſiaſticorum, quæ vbique locorum ad libros quoque profanos imprimendos è Lateranenſis Concilij Seſſione x. requiritur, quotidie propè in lucem exeunt, in quibus Doctores de ſenſu & interpretatione earundem Scripturarum liberè in-

rè iudicant, cenſent, pronuntiant, totâ Eccleſiâ non ſolùm non repugnante, ſed etiam ſuffragante.

III. Quid ita? quia nimirum Eccleſia priuatis Doctoribus tacitè annuit, vt varia in Scripturam ſacram meditamenta priuata, dummodò contra eiuſdem Eccleſiæ ſenſum non ſint, neque vnanimo Patrum conſenſui aduerſentur, elucubrare, ac foras dare; ſeu iudicium priuatum de Scripturarum intelligentiâ, ac ſenſu multiplici edere queant, eiuſmodi tamen, vt, quia Apoſtolicæ Sedis auctoritate id caret, neminem vllâ religione, quo minùs diſſentire poſſit, obſtringat: Iudicium verò, quod verè huiuſmodi religione Catholicos omnes deuincit, ſit tantùm illud, quod ab Eccleſiâ, à Sede Apoſtolicâ, vel à Romano Pontifice, vt indicatum eſt, fertur. Haud ſecus igitur & Iudicium de Hæreſi, atque Hæreticis (quum id non minùs Eccleſiaſticum ſit, atque ad Summum Pontificem, vel Sedem Apoſtolicam ſpectet, quàm illud de ſenſu Scripturarum, vt exploratum eſt.) Duplex omnino eſt, aliud publicum, aliud priuatum. Alterum hoc diſcrimine ſecretum ab altero, quòd publicum, & forenſe, cum auctoritate definiendi, obligandi, & puniendi, totum in ſolius Eccleſiæ, aut Sedis Apoſtolicæ poteſtate eſt: priuatum verò eiuſmodi orbatum auctoritate, cuiuis Theologorum conceſſum eſt.

IV. Hinc diſceptationes de Fide diuinâ, de dogmatibus, de Hæreſibus non ſolùm cum Hæreticis, ſed etiam inter Catholicos haberi, ac priuata id genus iudicia exerceri, tum alios ab alijs mutuò oppugnari eadem Sedes Apoſtolica ſinit, vt in ſexcentis, qui de his Controuerſijs frequenter emittuntur, libris manifeſtum eſt, donec communis pax non turbatur, nec aliquid

gratioris incommodi Chriſtiano populo immi-
net. Vbi verò quidpiam huiuſmodi erumpit, vel nocentium iurgiorum ſemina iaciuntur, & gliſcunt; tum illa auctoritatem ſuam interponit, contentionem ſuo dirimit calculo, vel nutu ſufflaminat, aut dubiam quæſtionem tempeſtiuè definit.

§. X.

Octauum firmamentum eiuſdem doctrinæ ab oſtentorum & miraculorum priuatâ narratione.

I. Lubet modò ad ſuffragium huc etiam arceſſere parile aliud exemplum, recens quidem, ſed luculentum. Anno CIↃIↃCXXV. Martij XIII. *in Generali Congregatione S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis habitâ in Palatio Apoſtolico in Vaticano coram S. D. N. D. Vrbano diuinâ prouidentiâ Papâ* VIII. *ac Eminentiſſimis Cardinalibus* decretum eſt, ne cui deinceps fas ſit imprimere *libros hominum, qui Sanctitatis, ſiue Martyrij famâ, vel opinione (vt præfertur) celebres è vita migrauerint, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcunque beneficia tanquam eorum intercesſionibus à Deo accepta continentes ſine recognitione Ordinarij, qui in ijs recognoſcendis, Theologos, aliosq; pios ac doctos viros in conſilium adhibeat, & ne deinde fraus aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum in re tam graui committatur, negotium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam tranſmittat, eiuſque reſponſum expectet.*

II. Nihilominùs non defuerunt viri Catholici, prudentes, docti, & religioſi, qui varios libros, in quibus de pleriſque viris ſanctimoniæ, vel *Martyrij* nomine clariſſimis inſignia miracula, aliaque complura omnem ſupergreſſa naturam, etiamſi ij à Sede Apoſtolicâ in Sanctorum, vel Beatorum

Cœtum

Cœtum neque dum ſolemni ritu cooptati ſint, neque ab eâdem peculiarem aliquam approbationem, aut facultatem, quantum ex monumentis ipſis licet colligere, ipſi impetrârint, perſæpe narrant, typis cum ordinariâ tantùm poteſtate impreſſerunt. Sed quo pacto, rogo, nihil ab his in eiuſmodi Pontificium edictum, quod *miracula, & reuelationes* de viris, *qui neque Canonizationis, neque Beatificationis honore ab Apoſtolicâ Sede inſigniti ſint,* ſcribi imprimique apertè vetat, peccatum eſt? nempe quia duplicem fidem, qua miracula, & reliqua prodigia ſcribi, ac referri poſſunt, viri ſollertes prudenter diſcriminârunt; alteram Apoſtolicam & publicam cum auctoritate Catholicos quoſque, vt illa velut à Sede Apoſtolicâ obſignata venerationi habeant, obligandi; alteram verè humanam, & priuatam ſine vllâ eiuſmodi auctoritate, qualem cæteri quoque Hiſtorici etiam profani præferunt.

III. Hinc initio ſimilium momentorum, quæ de rebus à viris nondum publico Sanctorum cultu potitis, ſupra naturæ vires diuinitus geſtis eduntur, palàm denuntiari ſolet, miracula, *reuelationes,* & cætera his affinia, quæ in illis exponuntur, ſolâ fide humanâ, & priuatâ, non Apoſtolicâ, & publicâ inniti. Quâ ratione neque decretum illud Apoſtolicum temeratur, neque virorum ſanctitudinis laude excellentium portentoſa facinora, temporum alioqui iniuriâ, ac vetuſtate obliteranda, poſteritati inuidentur.

IV. Ex cunctis porrò, qui valido huiuſmodi clypeo egregiè munitas hiſtorias felicibus auſpicijs emiſerunt, primus omnium, quod ſciam, periculum fecit Zacharias Bouerius è ſacrâ Capuccinorum Familiâ Theologus diſertiſſimus, ac religioſiſſimus, qui duos ingentes Tomos Annalium ſui Ordinis, miraculorum, & *reuelationum* multi-

tudine de viris à Sede Apoſtolicâ in Sanctorum, vel Beatorum album publicâ conſecratione minimè relatis confertiſſimis paucis ante annis, atque ab illo ipſo Vrbani VIII edicto nonniſi ſeptem luci commiſit; quibus ne quis genuinum infigeret, aut Pontificij decreti violati reos ageret, in præfatione ad Lectorem hac prudentiſſimâ exceptione tempeſtiuè cauit.

V. *Poſtremò id cunctis maximè exploratum eſſe volo: me illuſtrium virorum, quorum Vita in hoc primo Annalium noſtrorum volumine exarantur, ac poſterioribus libris, ſi vita comes fuerit, Deo bene iuuante conſcribentur; geſta, miracula, reuelationes, demum ſi qua alia beneficia eorum interceſſione à Deo lata fuerunt, haud ita legentibus credenda proponere, quaſi ab Apoſtolicâ Sede iam examinata, atque approbata, ab eâ fidem, & auctoritatem acceperint, quum hîs eam tantùm apud homines fidem conciliare propoſitum fuerit, quæ cæteris rerum humanarum Hiſtorijs communis eſſe ſolet; quæq; neminem vel ad Catholica, vel ad certæ fidei Canonem perſtringat. Demum quæ Apoſtolico Sacræ Congregationis S. R. & vniuerſalis Inquiſitionis Decreto (quod per omnia integrum, ac ſartum tectum ſeruatum volo) nullatenus aduerſetur. Quanquam enim in his tradendis ſtudium omne, ac diligentiam contulerim, vt vera dumtaxat, & quæ certâ fide, ac famâ probata accepi, in medium afferrem; ea tamen neque ab Eccleſia Canonicè approbata cenſeri: neque maiori, aut ampliori quàm humanâ, ac Hiſtoricâ fide potiri, certum apud omnes, & velut ſacrum eſſe volo. Quin etiam quum ſæpenumero in Virorum illuſtrium, qui apud nos vel miraculis floruerunt, vel virtutibus excelluere; vita perfectione explicandâ Sanctitatis nomine vſus fuerim: quo in ſenſu illud paſſim tum apud Scripturas, tum apud Patres vſurpatur, Sanctosq; ac Beatos homines nonnunquam appellauerim; quos Euangelicâ perfectione inſigniores oſtendi: ne*

quem-

quemquam ea Sanctitatis nuncupatio moueat, quaſi ij iam ab Apoſtolica Sede in Sanctorum album conſcripti fuerint: cunctis perſpicuum ſit, nihil in ea nuncupatione, Eccleſiaſtica Canonizationis, ſiue Beatificationis, quâ Sancti, ac Beati ab Eccleſia declarari ſolent, qui publico cultu ac veneratione apud homines donantur, inſinuari: ſed eam tantùm Sanctitatem in his à nobis commendari ſciant; quæ ex eorum virtute, & morum excellentiâ proficiſcitur.

VI. Hæc ille. Quod monitum in ſecundi quoque Tomi præfatione commemorat, ac veluti totidem verbis ibi repetitum exertè teſtatur. Boucrij exemplum deinde ſecuti ſunt plerique alij, eâdemque cautione ac prouiſione initio librorum adhibitâ, id genus Vitas, atque Hiſtorias ſacras miraculis, reuelationibus, viſis, rebusque diuinitus actis eximias peruulgârunt, quibus præſidium à geminæ fidei Apoſtolicæ, ac priuatæ explanato diſcrimine, ne quis eos in Pontificium diploma ſcitumúe deliquiſſe cenſeat, tutiſſimum impoſuerunt. Ita Philippus Alegambe ſuæ de Scriptoribus Societatis IESV Bibliothecæ; ita Iacobus Fuligatus ſuo de Vitâ Bernardini Realini Commentario; ita Ioannes Rho ſuo de variarum virtutum exemplis operi; ita Io. Baptiſta Roſſi ſuo Camillo de Lellis; ita Franciſcus Cardim ſuo è Iaponicis floribus Faſciculo; ita alij complures fortè, ſuis quique Codicibus de eâdem materiâ ſapienter proſpexerunt.

VII. Haud ſecus igitur fas quoque eſt, Hæreſis, Hæreticique nomen ac notam certo errori, ac nebuloni Titio, aut Septio, quum robuſta argumenta, id perſuadent, indere, atque inurere; fatendumque, huiuſmodi priuatum de Hæreſi, Hæreticisq; iudicium, Theologis præcipuè, etiamſi publicum externâ iuriſdictione ſubnixũ, ad ſolam Apoſtolicam Sedem pertineat, conuenire. Sicut enim

præter Apoſtolicam fidem de miraculis Sanctorum, fides quoque humana atque hiſtorica de miraculis pariter hominum nondum Sanctorum veneratione gaudentium permiſſa eſt; ac præter iudicium Apoſtolicum de ſacrarum ſcripturarum ſenſu, liberum quoque Doctoribus de eodem ſenſu iudicium relictum eſt; tametſi Sedes Apoſtolica approbationem miraculorum, & iudicium de ſcripturarum interpretatione generatim ſibi aſſeruerat; ita etiam tametſi Pontificia diplomata cognitionem ac iudicium de Hęreſi totum eſſe Eccleſiaſticum apertè dicant; nihilominùs haud vetant, quin à Theologis quoque priuatum iudicium, nullâ tamen iuriſdictione firmatum, de eâdem Hæreſi exerceri queat, vt ſatis iam enucleatum eſt, nec aliunde etiam quicquam remoram vllam, quin honeſtè, ac liberè ab iiſdem Theologis edatur, inijcit, vt deinceps videbimus.

VIII. Verùm animaduertendum eſt, quamuis illuſtrium virorum monumenta ſignis, miraculis, prænotionibus, alijſque prodigijs inclyta, cum ordinariâ tantùm Epiſcoporum, atque Inquiſitorum poteſtate, cæteris quoque libris emittendis ex Pontificum decretis neceſſariâ, abſque aliâ peculiari Sedis Apoſtolicæ approbatione foras datâ, in Chriſti Eccleſiâ circumferuntur; non propterea tamen neceſſitatem vllam, obligationem, vel officij religionem eidem Apoſtolicæ Sedi inijci, vt eorundem præſtantium virorum ſolemnem conſecrationem ordiri, ac pertexere debeat; quandoquidem per eiuſmodi volumina ita vulgata nondum de illis miraculis, geſtiſque diuinitus ipſi Apoſtolicæ Sedi ritè, ac legitimè conſtat. Pari ratione priuata Doctorum in diuinas literas interpretamenta, etſi cum ſtatâ Epiſcoporum atque Inquiſitorum ſubſcriptione, abſque ſingulari Romanæ Sedis, vel Summi Pontificis adſtipulatione

publi-

publicantur, non tamen idcirco vllum Apoſtolicâ auctoritate, quin illis refragari poſſit, obſtringunt, neque oraculi Apoſtolici inſtar habent, vt notum eſt. Ita prorſus quanquam Titius, vel Sextius edito cum Epiſcopi, & Inquiſitoris conſuetâ facultate libro, Hæreticus reuincatur; non ideò tamen Sacri Quæſitores vllo laqueo illaqueantur, vt eum velut Hæreticum, aut de Hæreſi ſuſpectum carceri mancipare, ac plectere neceſſe habeant; quum per eiuſmodi librum nondum in eo Quæſitorum foro probatum compertumque ſit, eundem Titium, vel Sextium eſſe Hæreticum, vel de Hæreſi ſuſpectum.

§. XI.

Nonum firmamentum eiuſdem doctrinæ à B. Gelaſij Summi Pontificis teſtimonio.

I. At quid ego hinc, atque illinc plura argumenta conquiro, quum hac ipsâ de re explicatum Summi Pontificis chirographum in eâ, quam ad Dardanos ſcripſit, Epiſtolâ 11. ſuppetat, cuius etiam fragmen, ſed mutilatum Gratianus in C. *Maiores* 24.q.1. retulit? Integra atque incorrupta illius verba hæc ſunt.

II. *Quæ maiores noſtri diuinâ inſpiratione cernentes præcauerunt, vt contra vnamquamque Hæreſim coacta Synodus pro fide, communione & veritate Catholica, atque Apoſtolica promulgâſſet, non ſinerent poſt hac nouis retractationibus mutilari, ne prauis occaſio præberetur, quæ medicinaliter fuerant ſtatuta, pulſandi: ſed auctore cuiuslibet inſaniæ, ac pariter errore damnato, ſufficere iudicârunt, vt quiſquis aliquando huius erroris communicator exiſteret, principali ſententiâ damnationis eius eſſet obſtrictus: quoniam manifeſtè*

quilibet vel profeſſione ſuâ , vel communione poteſt agnoſci. Et vt priora taceamus, quæ diligens Inquiſitor facilè poterit veſtigare, Sabellium damnauit Synodus; nec, vt Sectatores eius poſteà damnarentur, neceſſe fuit ſingulas viritim Synodos celebrari; ſed pro tenore Conſtitutionis antiquæ cunctos, qui vel prauitatis illius, vel communionis extitere participes, vniuerſalis Eccleſia duxit eſſe refutandos. Sic propter blaſphemias Arÿ forma fidei communionisq́; Catholicæ, Nicano prolata Conuentu, Arianos omnes, vel quiſquis in hanc peſtem, ſiue conſenſu, ſiue communione deciderit, ſine retractatione concluſit. Sic Eunomium, Macedonium, Neſtorium Synodus ſemel geſta condemnans, vlteriùs ad noua Concilia venire non ſiuit; ſed vniuerſos quocunque modo in hac conſortia recidentes, tradito ſibi limite Synodali refutauit Eccleſia.

III. Hinc perſpectum eſt, vbi Eccleſia aliquem ceu Hæreſiarcham, vt Arium, Eutychetem, Lutherum, Caluinum ſemel damnauit, eodem decreto & cæteros quoque omnes eiuſdem Hæreſis, atque Hæreſiarchæ Sectatores, Arianos, Eutychianos, Lutheranos, Caluiniſtas ab illâ fuiſſe damnatos; ac proinde, quando conſtat aliquem, puta Sempronium, vel Lucium eſſe Lutheri, vel Caluini aſſeclam, fas eſſe Catholicis, Theologis præſertim, illum Lutherani, vel Caluiniſtæ, aut Hæretici nomine, quamuis ab Eccleſiâ nondum ſingillatim ita appellatus ſit, notare. Confirmatur, quia ipſemet ſe Lutheranum, vel Caluiniſtam eſſe vltro fatetur, & verò etiam gloriatur, vt de plurimis cotidiano experimento capto teſtatum eſt. Ergo mihi quoque integrum eſt, eundem Lutheranum, vel Caluiniſtam vocare, vt patet. Ergo & Hæreticum nuncupare, quum Lutherani, & Caluiniſtæ omnes non poſſint non eſſe Hæretici; non minùs quàm qui Romanus eſt, neceſſariò quoque Italus eſt.

IV. Neque verò quum Eccleſia Hæreſiarcham

damnat, ſat habet, Hęreſim ipſam, primumque eius caput eâdem ſententiâ damnatum cenſeri; ſed vult prætereà, vt vbi manifeſtum eſt, alios quoſcunque eiuſdē Hæreſiarchæ ſubſcriptores in eâdem Hæreſi eſſe; hos pariter omnes eâdem damnatoriâ tabellâ eſſe comprehenſos, ac velut Hęreticos à Catholicis agnoſcendos, nominandos, declinandosque vnuſquiſque ſibi perſuadeat. Sic *Sabellium damnauit Synodus*, inquit Gelaſius Pontifex, *a nec vt Sectatores eius poſteà damnarentur, neceſſe fuit, ſingulas viritim Synodos celebrari:* quo ſcilicet ſinguli quoq; Sabelliani damnati crederentur. Verùm vt ita ſinguli ab Eccleſiâ damnati vulgò exiſtimarentur, non ſingulos ſingillatim, ſed *pro tenore conſtitutionis antiquæ, qui vel prauitatis illius, vel communionis extiterant participes, vniuerſalis Eccleſia duxit eſſe refutandos.* Nimirum quando Arius, Macedonius, Lutherus, Caluinus, ſimilesq; Catholicæ religionis proditores à Sede Apoſtolicâ Hæreticorum in album nominatim relati ſunt; quotquot è Catholicis ab orthodoxâ Fide deſciſcentes, illorū amentiæ, Hæreſique adſtipulari in aperto erat, cunctis ius planè fuit, ſine aliâ Sedis Apoſtolicæ cenſurâ Hæreticos nominare, & diuulgare. Ergo quos pari inſaniâ hodie etiamnum laborare compertum eſt, dilucidè Hæreticos quoque appellare ante ſingularem etiam illorum damnationem poteſtas eſt. ne alioqui, ſi adhuc renuas, ad innumeros Hęreticos, ſuâ nomenclaturâ, hoc eſt, Hæreticorum titulo ſingillatim donandos, totidē omnino Pontificijs decretis, id eſt, innumeris, ſingulis nempe ad ſingulos proſcribendos opus eſſe, contra perſpicuam Gelaſij ſanctionē temerè proſus ſomniare cogaris.

V. Quod etiam ſtabilitur I. Quia fas cuique eſt, doctrinam ab Eccleſiâ ſemel Hæreſis damnatam, Hęreticam, & ſi pertinacia ei accedat, Hęreſim formalem vocare, & quemcunque mortaliū, qui eam

a *Loc. cit.*

mordi-

mordicus arripit, & quamuis Apoſtolicæ Sedis effatis palàm repugnare ſciat, nihilominùs obfirmato animo arctè tenet, Hæreticum formalem ſine aliâ eiuſdem Sedis ſpeciali facultate pronuntiare, vt ſuprà §. 2. & *cap* 1. *num.* 2. vſque ad 11. oſtendi. Quibus addo, Hæreticum definiri eum, vt illic expendi, qui Hæreſim committit. At huiuſmodi definitio non exigit, vt is à Sede Apoſtolicâ Hæreticus nominatim declaratus ſit, vt euidens eſt. Quidni igitur, etiamſi talis conditio deſit; ſicut quis committit Hæreſim, adeoque Hæreticus ſimul eſt; ita pariter Hæreticus iure optimo nuncupetur? Ergo fas quoque eſt, & hunc certum hominem, puta Titium, ſi eiuſmodi Hæreſim ab ipſo commiſſam, manifeſtum ſit, & ipſemet etiam palàm fateatur, aut etiam glorietur, ante quoque expreſſam Eccleſiæ ſententiam in eundem latam, Hæreticum appellare. Conſequentiam probo, quia omnibus, maximè Theologis integrum eſt, argumentis euincere, Hæreſim formalem à Titio eſſe approbatam, & libris editis vulgatam; idque perſpicuè ijdem Theologi demonſtrant, dum illis in libris intento digito oſtendunt, virginitatem v. g. Mariæ poſt partum ab eodem Titio negari; hancque opinionem Romanæ Eccleſiæ dogmati è regione aduerſantem agnoſci, ſed eandem Romanam Eccleſiam tanquam falſam atque adulteram repudiari explodique, neque libris tantùm, ſed ore etiam ac verbis huiuſmodi Hæreſim non vnam, ſed duplicem repeti, ac propugnari. Ergo licet quoque Titium Hæreticum formalem, ſeu pertinacem nominare. Quis enim formalis Hæreticus dicitur, niſi qui Hæreſim pertinaciter, vt *cap.* 1. obſeruaui, committit? At ius eſt, docere pertinacem Hæreſim à Titio commiſſam, vt explanaui. Igitur & eundem Titium formalem Hæreticum aſſeuerare. Niſi fortè quis ridiculè cauſ-

ſetur,

ſetur, Hæretici defenſionem Titio adſcribi poſſe, Hæretici nomen non poſſe. Atqui non de nomine, aut de voce, ſed de re, & notione, quæ ſubeſt nomini, hic contentio eſt, an ſcilicet Titius Catholicam ſidem flagitioſè corruperit? Quare quũ formalem Hæreſim ab eo commiſſam eſſe, palàm ſit, eundem etiam Hæreticum iure nominari poſſe, exploratum eſt.

VI. Stabilitur II. Quia vbi alicuius criminis indicia atque argumenta perſpicua habentur præ manibus, eaq̀ue vulgo nota ſunt, licitum eſt, crimen eiuſmodi ab illo, qui ea argumenta dedit, perpetratum affirmare, vt ex communi Doctorum ſententiâ tradit Leſſius *lib. 2. de Iuſt. cap. 29. dub. 2. num. 5.* Ergo ſi argumenta Hæreſis edat, fas etiam eſt, eum Hæreticum iudicare, vt ſi videam à Titio *Miſſæ* ſacrificium irrideri, quod eſt exemplum à Leſſio allatum, multoq̀ue magis ſi non vnam Hæreſim, ſed plures ab illo ſcriptis libris publicatas, veſtigijs minimè dubijs deprehenſum ſit. Ergo ſi Hæreſis argumenta certa, & peruulgata ſint, fas vtique eſt, ea etiam iuſtas ob cauſſas in familiari ſermone commemorare, nempe deteſtandi, refellendi, & vitandi gratiâ, vt perſpectum eſt; adeoq̀ue etiam in Commentarios ob eaſdem cauſſas referre, vt itidem compertum. Quo rato fixoq̀ue, duæ enuntiationes hic perpendendæ ſunt, vna quæ iuris dicitur, & ratiocinationis ſeu ſyllogiſmi maior propoſitio eſſe ſolet, v. g. *Quicunque Chriſti Domini Matrem negat eſſe Virginem, Hæreticus eſt:* altera, quæ facti nuncupatur, & in eodem ſyllogiſmo minorem propoſitionem efficit v. g. *Titius ſcripto libro negat Mariam eſſe Virginem,* profiteturq̀ue audacter talem librum à ſe elucubratum, & quicquid eo continetur, ſibi maximè probari, idq̀ue publicè ſæpius multis audientibus ingerit, ac licèt monitus, intelligat, huiuſmodi

opinio-

opinionem Hæreſis ab Eccleſiâ manifeſtò damnari; nihilominùs eam adhuc præfractè tuetur, Eccleſiæque iudicium, ſententiam, atque auctoritatem palàm contemnit. Hinc ego ſic neruosè, enodateque diſſero. Primò indubitatum eſt, vnicuique Catholicorum licere, primam enunciationem, quæ iuris vocatur, quòd quicunque negat Matrem Domini eſſe Virginem, Hæreticus eſt, exprimere, non tantùm linguâ, ſed ſtylo quoque, vt docet Theològia, & clarè ex verbis Gelaſij ſuprà recitatis elicitur: *Auctore*, inquit, *cuiuslibet inſania, ac pariter errore damnato, ſufficere iudicârunt, vt quiſquis aliquando huius erroris communicator extiterit, principali ſententiâ damnationis eius eſſet obſtrictus.* Et paulò pòſt: *Sic propter blaſphemias Arij, forma fidei communionisq; Catholicæ, Nicæno prolata Conuentu, Arianos omnes, vel quiſquis in hanc peſtem, ſiue conſenſu, ſiue communione deciderit, ſine retractatione concluſit.* Eademque ratio de quocunque alio Hæreſis auctore eſt, vt de Cerintho, & Heluidio, Mariæ Virginitatem ſacrilego ore inficiantibus, quibus ab Eccleſiâ damnatis, & omnes, qui eorundem Hæreſim amplexi ſunt, damnati Hæretici cenſentur, vt conſtat. Deinde certum quoque eſt, ſecundam enuntiationem, quæ facti appellatur, quo Titius negat Mariam eſſe Virginem, quando publicè prolata eſt, vel etiam clam; non ſolùm in iudicio, ſed extra iudicium quoque poſſe innoteſcere, vt patet. Nam Iudici ipſi quî tandem enoteſcit? profectò nonniſi per confeſſionem rei, vel per teſtes, vel per ſcripturas, vel per alia huiuſmodi indicia. At per hæc omnia pariter extra iudicium quoque exploratum Caio eſſe poteſt, Virginitatem Mariæ à Titio pertinaciter negari, tum quia illum id apertè fatentem audiuit; tum quia plures teſtes omni exceptione maiores, id ipſum illi confirmant; tum quia cernit eandem

Hæreſim vulgato libro ab eodem Titio venditari. Quod ſanè & ipſemet Gelaſius non obſcurè indicauit, dum, vbi priùs monuit: *Quiſquis aliquando huius erroris communicator exiſteret, principali ſententiâ damnationis eius eſſet obſtrictus:* Mox ſubdit: *Quoniam manifeſtè quilibet vel profeſſione ſuâ, vel communione poſſet agnoſci.* Nempe tam extra iudicium, quàm in iudicio, quia ſi Titium rogo, cuius ſectæ ſit, ſi Heluidianum ſe eſſe reſpondet, vel id plures viri graues teſtantur, vel talem Codice edito ſe probat; iam mihi factum huiuſmodi probè compertum ſit, eodemque modo & alijs fieri poteſt. Neque dubium, quin, vbi ampliùs occultum non erit, fas mihi ſit, Hiſtoricorum, & Theologorum more, talem Hæreſim à Titio ore, ac libro prolatam, ac propugnatam aſſeuerare, &, emiſſo Apologetico, diuulgare, ac iugulare.

VII. Quibus extra controuerſiam poſitis, ſequitur omino, vt eundem Titium Hæreticum eſſe, liceat quoque expromere ſermone, & Codice etiam publicare. Quum enim integrum ſit, duas ſyllogiſmi legitimè explicati propoſitiones, quòd Hæreticus ſit quicunque Mariæ Virginitatem negat; & quòd Titius eam negat, enuntiare, & libro etiam foras dato luci committere, vt oſtenſum eſt; ius quoque ſit, neceſſe planè eſt, & conſequentiam ineluctabilem inde elicere, vt Dialectica præcipit, Titium eſſe Hæreticum, idque linguâ calamoque memoriæ mandare. Neque enim Eccleſia, aut Sedes Apoſtolica nos ita bardos ſtolidoſque eſſe iubet, vt quum duplici propoſitio præuiæ, quarum alteram Catholica inter dogmata ipſamet retulit, alterã ex facti attributionibus & documentis perſpectã eſſe liquet, nos aſſentiri non ſolùm permittat, ſed etiam velit; conſequentiam omnino neceſſariam inde propagare non ſinat, ſed per difficil-

limum

ſimum conatum, ac ſummam vim ſuſtinere ac ſuſpendere imperet; quod plerique Philoſophorum etiam naturæ viribus fieri poſſe, non de nihilo inficiantur.

VIII. Stabilitur III. ex modo ratiocinandi, à Gelaſio eâ in Epiſtolâ adhibito, in quâ hoc præcipuè illi eſt propoſitum, vt doceat, Apoſtolicæ Sedi nouâ Synodo coactâ ad Achatium Hæreſis damnandum minimè opus fuiſſe; ſiquidem Hæreſim Eutychetis iam à Chalcedonenſi Concilio damnati is amplexus fuerat, adeoque cum eo iam damnato damnatus ipſe pariter tum meritò cenſebatur. Hanc veram ſolidamque doctrinam ſingulari aptatam Hæretico, Pontifex vt Dardanis Epiſcopis, ad quos ſcribit, perſuadeat, quid agit? initio eiuſdem Epiſtolæ, quæ ſanè perlonga eſt, hanc generalem propoſitionem ſtatim iacit, figitque, quòd quandocunque à Synodo certus Auctor Hæreſis nominatim damnatus eſt, toties damnati quoque cenſentur ſingillatim omnes, quicunque eandem Hæreſim deinde arripiunt; qui autem illam arripiant, ſintque eapropter Hæretici, ex eorum profeſſione, vel communione vnicuique conſtare, non tantùm Iudicibus, ſed etiam priuatis; neque vt innoteſcat, quinam Hæretici ſingulares ſint Ariani, quinam Sabelliani, quinam Macedoniani, nouas Synodos habendas, à quibus ſinguli Arianorum ac reliquorum nominatim proſcribantur, ſed quæſtionem iuris à Synodo, quæ Auctorem Hæreſis multauit, ſat deciſam fuiſſe pro cunctis, & ſingulis; quæſtionem autem facti cuiuis retectam poſſe apparere. Quo explicato ac rato, demonſtrat idem Pontifex multò minùs Apoſtolicæ Sedi neceſſitatem cogendæ Synodi, antequàm Achatium damnaret, impoſitam fuiſſe &c.

IX. Sed audio, qui his intercedit, pertenditque, quamuis Sedes Apoſtolica non vetet, quò

minùs

minùs ex antecedentibus conſecutionem neceſſariam in ſimilibus euentis vnuſquiſque apud ſe priuatim emungat, vetare tamen, ne illam ore, calamoque exprimat, neúe alicui nondum ab ipsâ ſingillatim proſcripto nomen Hæretici imponat: ſatiſque eſſe, ſi definitionem Hæretici, Hæreſim à Tito commiſſam aiens, à nomine tamen Hæretici abſtinens, honeſtè quis ei tribuere poſſit. Verùm, vt omittam huiuſmodi diuerticulum eſſe planè commentitium, nullaque probabilitatis ſpecie coloratum, tum à congeſtis, explanatiſque ſupra rationibus prorſus intercludi; iam aliō inſuper aggere interiecto idem ipſum penitùs abſcindo. Fac enim Titium, quia Chriſti Matrem Virginem eſſe negauit, cauſsâ in foro externo ab aliquo profano Principe cognitâ, nullâ Hæreſis, aut Hæretici voce vſurpatâ, damnari, pertinacemque in flagitio flammis addici. Num propterea is Princeps, anathematis fulmen in *Laicas* omnes *ſeculi poteſtates* Hæreſis iudicium ad ſe trahentium, vel occupantium intortum quamuis Hæreſis Hæreticique nomina prætermiſerit, huiuſmodi ludificatione declinabit? nullo modo. quippini? Quia vtcunque nominibus parſerit, reapſe tamen quantum ad definitionem, & definitum idem Princeps publicum iudicium in cauſsâ Hæreſis, quod Pontificiâ execratione plectitur, ſibi vſurpâſſet. Contra verò ſi idem aliquem è ſubditis perduellionis, & proditæ patriæ reum, ratus per imperitiam id crimen eſſe Hæreſim, illumque Hæreticum, hiſce ipſis nominibus infamaret, ignique abſumi iuberet, non idcirco eidem execrationi, vtcunque interno affectu deprauato deliquiſſet, foret obnoxius, vt paret, quia ipſum delictum externum reipſa non eſſet illud, cui Pontificia diplomata diras ſolemni ritu imprecantur. Vnde euidenter efficitur, Sedem Apoſtolicam non de Hæreſis, Hæreticique

nomini-

nominibus, ſed de re ipsâ, quæ ijs ſubeſt, eſſe ſolicitam; neque ad *excommunicationem* cauendam ſat eſſe eadem nomina abſtinere, neque ad eam ſibi arceſſendam ſufficere, illa ipſa adhibere, niſi ipſa quoque Actorum materia cauſſam Hæreſis reuera contineat, vt exploratum eſt; quumque fas ſit definitionem ac definitum Hæreſis, atque Hæretici Titio aſſerere, vt probatum eſt, liberum quoque eſſe, & nomen Hæretici illi exprobrare, vt pariter notum eſt.

X. At neſcio quis alius aurem hîc mihi peruellit, iubetque meminiſſe, etiamſi à lege damnatoria ſententia lata ſit; nihilominùs, vt quis infamiâ talis criminis notari iure queat, requiri adhuc ſingulare ipſiuſmet Iudicis de eodem decretum, quemadmodùm tradunt Azor *par* 1. *Inſtit. lib* 8. *cap.* 13. *q* 7. Sanchez *lib* 2 *Decal. cap.* 26. *num.* 1. Menochius *Conſ.* 301. *num.* 20. *lib.* 4. Burſatus *Conſ.* 14. *num.* 18 & *ſeq.* & *lib.* 1. *num.* 27. & Farinacius *de Hæreſi, quæſt* 189. *num.* 56. Vnde conſtare etiam colligunt, etſi quæſtio de iure à quouis priuato excuti ac definiri poſſit, quæſtionem tamen de facto nonniſi ad Iudicem pertinere. Hinc licèt C. 1. *de homicidio*, in 6. decernatur, vt *poſtquam probabilibus conſtiterit argumentis aliquem ſcelus* (nempe graſſationis, ſeu *aſſaſſinij*, vt illic vocatur) *tam execrabile commiſiſſe; nullatenus alia excommunicationis &c. aduersùs eum ſententia requiratur*: tamen cuncti Doctores, qui idem caput ac ſcitum enucleârunt, ſtatuunt, vbi damnatoria ſententia à Canone lata eſt, quum de certo aliquo eiuſdem reo nominatim conuincendo, damnandoque agitur, Iudicis declarationem prætereà eo de crimine ab illo patrato eſſe neceſſariam, vt ex communi Iuriſconſultorum placito Farinacius *quæſt* 103. *num* 11. & *quæſt.* 123. *num.* 17. & poſt eum Rota *Deciſ.* 255. *num.* 3. *par* 3. *recent.* docent,

Atque huius dicti ratio in promptu eſt, quòd licèt iuris quæſtio, vbi à lege ipsâ, quid faciendum, vel cauendum ſit, præſcribitur, neminem poteſt fallere: tamen facti quæſtio, an Milo necârit Clodium, hominis priuati iudicium de præfacili poteſt decipere, adeoque æquum minimè eſt, vt quis delicti reus infamiæ pœnâ ex iudicio hominis tantùm priuati, ſed ex ſententiâ dumtaxat publici Iudicis deinde pronunciatâ multetur, vt apertè de Hæreſis flagitio exiſtimant Gutierez *lib* 1. *Canon qq. cap* 1 *num.* 1. Azor, Sanchez, & alij paulò antè nominati.

X I. Verùm hæc omnia machinamenta aduerſùs expoſitam probatamque à me doctrinam fruſtra omnino fabricantur, fruſtra in aciem educuntur, fruſtra admouentur, geminoque ac plano diſcrimine animaduerſo, ruunt de ſubito, atque euertuntur vniuerſa. Nam I. aliud eſt, à ſonte, ob commiſſum delictum pœnam lege ſancitam dari; aliud alicuius criminis infamatum publicè, ſeu voce, ſeu ſcripto priuatim redargui. II. Attendendum eſt, duplicem eſſe infamiam, alteram iuris, facti alteram, vt Doctores omnes in l. 1. ff *de hu. qui notan. infam.* & in *cap. teſtimonium, extra, de teſtibus.* & alibi ſæpius, teſte Farinacio *de oppoſit. contra perſonas, quæſt.* 56. *num* 1 conſentiunt, notantque Silueſter, Fumus, & Sa *ſumm. verbo, Infamia,* num. 1.

X I I. Infamia iuris ea dicitur, quæ ab ipſis legibus inuritur, redditque infames, *quia tales à iure reputantur*, vt ex Iaſone, & Corrado deſcribit idem Farinacius *loc. cit num.* 3. & 4. atque hæc pariter duplex eſt, nam alia ipſo facto, ſeu, vt alij loquuntur, ipſo iure ſubitur, cui obnoxius quilibet eo ipſo fit, quo aliquid committit, quod lex plectit infamiâ; alia, *quæ ſuper crimine publico, vel quibuſdam priuatis ſententiâ Iudicis definitiuâ* irrogatur; quâ tamen nemo notatur, niſi qui à Iudice

latâ

latâ ſententiâ damnatus eſt, vt idem Silueſter *loc. cit. num.* 8. & 9. Sà *num.* 11. & Farinacius *quæſt.* 56 *cit. num* 5. ex legum ſcitis, tum ex Iaſone, Bartolo, & alijs obſeruant.

XIII. Infamia verò facti ea vocatur, quâ *alicuius opinio atque exiſtimatio apud bonos & graues viros ſuper crimine aliquo grauata eſt*, vt Bartolus *in l. de miore, ff. de quæſt.* citatâ gloſsâ Raymundi, Baldus, & Felinus *in cap. teſtimonium, extr. de teſtibus, num* 13. Iaſon *in l. cunctos populos lect* 2. *num.* 44. & 45. *C. de ſumma Trin & fide Cathol.* & ex alijs pluribus Farinacius eâdem *quæſt.* 56. *num.* 6. Silueſter *loc cit. q.* 2. Fumus, & Sà *loc. cit. num.* 1. definiunt. Hæc autem à crimine ipſo, tanquam à cauſsâ proximâ plerumque, interdum aliunde etiam gignitur, quod multis modis accidit, vt Doctores allati fusè explicant.

XIV. At de infamiâ iuris, etiam quum à lege ipsâ tam ſeuerè denuntiatur, vt certo admiſſo facinore, ipſo facto ſtatim ſubiri decernatur, etiamnum ſub Iudice lis eſt, an, vt reapſe ea ſubeatur, adhuc Iudicis declaratio exigatur? Probabilior quidem opinio affirmat, cui Azor, Sanchez, Menochius, Burſatus, Farinacius ſuprà *num* 10. adducti, meritò ſubſcripſerunt: ſed tamen oppoſita quoque compluribus viris doctiſſimis, infamiâ iuris præ Hæreſis crimine Hæreticum, ante Iudicis quoque ſententiam, plecti exiſtimantibus, quos infrà *a* ſuo loco referam, arriſit. Atque hæc infamia ſanè grauis pœna eſt, multosque effectus pœnarios parit, de quibus Iuriſperiti paſſim diſſerunt.

XV. Ad facti porrò infamiam alicui conflandam nulla prorſus Iudicis ſententia requiritur, quumque delictum ipſum verum, certum, vulgatumque eſt, vt quum tota vrbs in foro coacta, Caium à Titio necari cernit, huius facinori infamia

a *Par.* 3 *cap.* 10.

facti

facti comes adeò indiuidua mox hæret, vt Iudici ipſi nihil omnino iuris in eam ſit. Nam vtcunque idem Iudex, ac teſtes gratiâ, pecuniâ, odio, vel minis corrupti, Titium innocentem pronuntient, nunquam tamen occiſi Caij infamiam ei detrahent, ſed labem ingentium nebulonum ſibimetipſis inferent, vt perſpectum eſt. Dixi *quum delictum, verum, certum; vulgatumq; eſt*; quia vbi id incertum, obſcurumque eſt, ſententia Iudicis ad facti infamiam abolendam non parum momenti habet. At vbi illud omnino exploratum, & publicatum eſt, hæc operam prorſus ludit. Quocirca Farinacius *de Inquiſitione, q.6. num. 45.* (vbi D. Oddum *Tract. de reſiſt. in integrum, par.2. art.4.* & *ſeq.* cum Henricum Boycum *in cap. teſtimonium, nū.14.* & *15. extra, de teſtibus,* præclarè de ratione infamiæ iuris expungendæ diſputantes laudauit) illico de facti infamiâ addit: *In propoſito ſcias vnum valde iudicio meo notabile: quòd licet princeps poßit delinquentis famam reſtituere, & iuris infamiam ex delicto incurſam ei tollere,* ex l. prima, C. de ſent. paſſ. & l. fin. §. C. eod. *non tamen poteſt tollere. & remouere infamiam facti, quia opinio hominum de bonitate, vel de malitia alicuius. non poteſt ab aliquo etiam maximo, vel ſupremo Principe remoueri: Principesq; non poteſt facere, vt homines credant illum eſſe bonum, quem credunt, & credere volunt eſſe malum.* Abb. *in C. quum te, num. 9. & ibi* Felyn. *num. 10. de re iud.* Roman. *ſing. 459. incip.* Dubitatio eſt magna. *vbi dicitur, quod nonniſi à Deo facti infamia aboleri poteſt.* Archid. *in cap teſtes, 2 q. 7.* Bald. *in cap. veritatis de dolo, & contum.* Gabr. Saray. *in addit. ad Mattheti-ſing. 62.* Port. *Inſtitu. quib. mod patr. poteſt. ſolu num. 20.* Alciat. *in l plus eſt, num. 9. ff. de verb. ſign.* Eſt tex *in cap. Euphemium 2. q. 3. & paßim tradunt ibi Doctores, prout teſtatur* D. Oddus Peruſi. *d. q. 92. art 4 num. 34. ſeqq. vbi præfatos congerit Doctores, & contrarijs reſpondet.* Quanquam autem idem

Oddus *quaſt 97. num. 9* cum Afflicto, *in tit quæſt prima cauſſa benef. amitten. num. 99. gl. 3.* & Aym. *Conſ. 168. num. 1. & 2.* vt Farinacius inibi memorat, opinatur, *Principem ab infamia facti, ſi hoc ei placeat, exprimatq́, reſtituere*, id tamen neceſſariò intelligendum eſt, tunc poſſe contingere, quando delicta admodum incerta, ac tenebricoſa ſunt, ſecus quando rata, & omnino dilucida. E contrario verò vbi alicuius innocentia, puta Sempronij vulgo comperta eſt, quem in Iaponiâ diuerſari, quum Cremonæ Caius à Titio in foro, totâ ciuitate ſpectante, interfectus eſt, in aperto erat, fruſtra ſubornati teſtes, Iudexque nummarius eundem Sempronium occiſi Titij reum latâ ſententiâ apud Cremonenſes peragunt, fruſtraque huiuſmodi facinoris factique infamiam, etiamſi iuris infamiâ ipſum, quàm poſſunt, turpiſſimè dehoneſtent, eidem irrogant, vt manifeſtum eſt.

XVI. His citra controuerſiam conſtitutis, meridianâ luce clarius eſt, Auctores *num* 10. recitatos Azor, Sanchez, Menochium, Burſattum, & Farinacium doctrinæ hactenus traditæ nihil penitùs officere; tum quia illi non de quacunque infamiâ ſed de eâ tantùm, quæ tanquam pœna, à Iudice ipſo inuritur, varijsque effectis pœnarijs obnoxia eſt, palàm loquuntur; hæc autem de illâ dumtaxat, quæ nullo modo pœna humana eſt, neque à Iudice infligitur; ſed crimen ipſum comitatur priuatimque ſermone, aut libro iuſti patrocinij gratiâ exagitatur; tum quia illi de infamiâ iuris ſolùm diſputant; vt liquet, neque tam ſtulti ſunt vt ad infamiam facti certi, perſpicui ac publici re ipſe ſubeundam, ſententiam Iudicis exigant, cum nihil iuris in eam eſſe, ſed Deo ſoli, qui obliuione poteſt illam prorſus conterere, iam ſupra oſtenſum eſt. At allata doctrina de infamiâ facti tantummodò agit, vt conſtat. Eodem modo q

in

in C. 1. *de homicidio*, in 6. ad reum graſſationis nominatim damnandum, Iudicis declarationem poſtulant, minimè aduerſantur, ſiquidem & de pœnâ infligenda, ac luendâ, tum de infamiâ iuris irrogandâ diſertè philoſophantur, à quâ, expoſita doctrina toto cœlo diſtat. Nec ratio illa ſuprà adiecta quicquam vrget I. Quia non ſolùm quæſtio facti, ſed quæſtio etiam iuris fallere poteſt, non tantùm priuatos homines, ſed Iudices quoq;, tum quando verba legis non ſatis clara, ſed ambigua ſunt, in quibus interpretandis tot ſententiæ, quot capita, plerumque numerantur, mutuoque digladiantur: tum quando etiam verba perſpicua ſunt, ſed in multiplicibus euentis iñumeræ ferme conditiones & circumſtantiæ eidem legi adiunguntur, ex quibus rurſum plurima dubia pullulant, quæ infinitas alias ſententias diuerſas profeminant, quibus immenſa Iureconſultorum volumina referta, ac ſtipata ſunt, vt offendit quicunque ea verſat, vel inſpicit. II. Etiamſi darem quæſtionem iuris extra fallaciæ periculum conſiſtere, quod falſum eſſe iam docui: adhuc controuerſum valde eſt, an in quæſtione facti explorandâ decidendâque minùs Iudices, quàm priuati homines fallantur. Quot enim mendacia, fraudes, doli, periuria, corruptelæ in iudicum tribunalibus regnant? & quæ veritas hinc exprimatur, quæ inde proſcripta tam frequenter exulat? Innumera flagitia impunitatem auferunt, quia in externo foro non legitimè Iudici ipſi probantur, ſontesque ab iſto velut innocentes, fallaciâ manifeſtariâ, & penè cotidiana, abſoluuntur, quos tamen reuerâ eſſe reos ſupplicijsque dignos, veritatis conſcij complures rectè, & verè iudicant, iudiciumque priuatum non fallitur, ſed publicum. III. Eſto. Iudicum prærogatiua ſit, vt minùs, quàm priuati fallantur. Quid tum? ergo

æquum minimè eſt, vt quis infamiæ pœnâ ex iudicio hominis tantùm priuati, ſed ex ſententia dumtaxat publici Iudicis multetur, vt ſuprà obiectabatur? Audio, conniueo, indulgeo. At quum de infamiâ, quæ pœna humana eſt à Iudice irrogata, ſermo ibi ſit; ab hac doctrina explicata longè diſcedit, quæ nihil pœnariæ infamiæ, ſed eam tantummodò, quæ cum flagitio ipſo vulgato ſemper conglutinata eſt, perſtringit. Nempe eam infamiæ pœnam, quæ pœnarios effectus gignit, vt quòd infamis deteſtabilis euadat, nonniſi à Iudice irrogari par fuit, at alterius infamiæ, quæ ſimiles effectus non parit, diuerſa ratio eſt, neque in Iudicis manu ſita eſt, ſed à delictis ipſius iam teſtatis, & per ora hominum labentibus proficiſcitur, vt anteà ſatis explanatum eſt.

§. XII.

Decimum firmamentum eiuſdem doctrinæ à remotione cuiuslibet interdicti.

I. Quamuis conglobata ad id locorum argumenta, explicatam à me doctrinam de Hæretico ſingulari priuatâ auctoritate nominatim appellando ſatis muniant, & rerum æquo exiſtimatori perſuadeant; non leue tamen pondus inde eidem quoque accedere, non immeritò arbitror, quòd nullum decretum, ſcitum nullum, vel edictum, neque ex ſacrorum Canonum tabulis, neque ex Pontificijs Diplomatis, neque ex Concilio Tridentino, neque ex Regulis Indicis damnatorum Codicum, neque ex vllâ Synodo, neque ex vllis Legibus etiam profanis depromptum hactenus eſt, quo id prohibeatur, quandoquidem edicta omnia, ſcita, & decreta, quæ Hæreticorum cognitionem, & iudicium totum eſſe Eccleſiaſticum, atque ad ſolam

Apoſto-

Apoſtolicam Sedem ſpectare pronuntiant, de iudicio tantùm externo, & contentioſo foro loquuntur; de priuato autem, quod omni iuriſdictione caret, & ſine eâ fori extranei formâ exercetur, nullam prorſus mentionem faciunt, ac proinde non obſtant. Neque enim ratio vlla ſolida, quæ priuatæ huiuſmodi cenſuræ in certos Hæreticos nominatim ferendæ incommodaret, hucuſque obducta eſt, adeoque eadem hactenus propugnata doctrina tantò magis legitima, & tuta eſt, vt deinceps experiemur.

I I. Sed vereor non mediocriter, ne, quis hanc meam diſſerendi rationem minimè fucatam, tamque conſtantem cuiuſuis remoræ ſublatæ aſſeuerationem ægrè ferens, nimiæ confidentiæ, inconſultæque temeritatis, qui tam multa polliceri non dubitem, me arguat. At qui poſt magnam, multamque diligentiam in pleriſque viris doctiſſimis, & iјs quoque, ad quos iura Sacrorum Quæſitorum, totamque illius tribunalis normam agendi callere, atque ad vnguem tenere pertinet, rogandis, percontandiſque adhibitam, an ipſi ius aliquod, Concilium, Canonem, vel Legem, Regulamúe propoſitæ à me doctrinæ refragari meminiſſent; reſponſoque à cunctis eodem planè accepto ſe neque meminiſſe, neque ſcire; tot Doctorum auctoritatem ſecutus, ait nihil obſtare (quam diligentiam à me impenſam eſſe profiteor) cur is temeritatis, vel audaciæ inceſſi debeat, nondum diſpaleſcit.

I I I. Deinde aio, me negâſſe extare vllam legem peculiarem, quæ doctrinam meam nominatim expreſſeque improbet, vt facilè deinde planum faciam.

Denique addo, ne vllam quidem Legem, Canonemúe generalem, qui eidem doctrinæ generatim

ſaltem obluctetur, hactenus in aciem prodijſſe, vt paulò pòſt etiam periclitabimur.

§. XIII.

Vndecimum firmamentum eiuſdem doctrinæ à contrariâ lege, ſi qua fortè ſciſceretur, omnino irritâ.

I. Verùm non ſolùm nulla hactenus lex, quæ priuatam huiuſmodi Hæreticorum nomenclationem vetaret, lata eſt, ſed etiam ſi qua fortè vnquam feratur, quæ ſanciat, ne vllus Catholicorum Homini libros Hæreticos ſcribenti edentique, in eorum refutatione nomen Hæretici, antequam illius cauſſa à Sede Apoſtolicâ cognita ſit, imponere audeat, omni vi ac pondere, niſi quid aliud maioris momenti præponderet, quod ego iam minimè diſpicio, videtur caritura. Ea quippe lex, quæ bono communi valdè pernicioſa accidit, & iniqua, & nulla prorſus eſt, vt Theologi & iuris vtriuſque Conſulti ad vnum omnes in diſputatione de legibus definiunt. At quid eiuſmodi lege vel interdicto, ſi quod proponeretur, Chriſtianæ Reipublicæ foret damnoſius?

II. Magno videlicet, magno etiam falſi fratres in Chriſtianorum cenſu cœtuque temerè cenſi, diuturnam noxiorum librorum diuulgandorum impunitatem emant; ſi Hæreticæ doctrinæ, Hæreticique Auctoris, emiſſis tempeſtiuè Apologeticis, coërcendi, ſuisque nominibus perduellium Eccleſiæ, quorum gerunt imagines, & facta exprimunt, appellandi poteſtatem Catholicis ademptum ire queant, donec hanc à Sede Apoſtolicâ cauſsâ protè excuſsâ compertâque, obtineant. Nimirum pleraque

aque Chriſtianæ religionis caſtra multis in locis, antequàm facultas hoſtis repellendi è longinquo, ac nonniſi poſt diuturnum tempus in cauſſæ cognitionem neceſſariò impendendum, aduentaret, expugnarentur, multorumq́ue fidelium pectora Hæreticæ luis virus ſeu ab Hæreticis, ſeu à perfidis Catholicis propinatum, antequàm præſentaneum, efficaxq́ue antidotum illis apponi poſſet, haud dubiè permearet, penituſq́ue extingueret. Quid quod Hæretici eâ ex lege anſam arrriperent, cauſſam Hæreſis per ſexcenta fraudium genera, per quæſita diuerticula in longum tempus extrahendi, moraſq́ue alias & alias interponendi, quo interim venenum in dies latiùs ſine remedio funderetur? Quam ſanè artem non ſemel Pelagius Monachus, ad Hæreſim diſſimulandam, tam multis Patribus, imò & integris Concilijs per varias technas atque mendacia toties, vt D. Auguſtinus in libris aduersùs illum elucubratis memorat, deceptis, ſubdolè adhibuit.

III. Confirmatur I. à pari, quia ſi Hiſpaniarum Rex Mediolanenſes, aut Neapolitanos arma in apertos hoſtes alterutram regionem iniquè inuadentes, diripientes, vaſtantes capere, eos arcere, vel exturbare, niſi prius obſiſtendi, ſuiq́ue defendendi facultate à ſe nominatim impetrauerint, prohiberet; interdictum huiuſmodi & omnino iniuſtum, & ſuopte pondere ruinoſum planè eſſet; eodemq́ue etiam recideret, ſi patrocinio ac defenſione ſui ijſdem non interdiceret quidem Rex, at ea arma ſumere, quæ ad hoſtes reijciendos neceſſaria forent, minimè ſineret. Hæc enim, & ſimilia mandata ceu bono communi admodum detrimentoſa, ſtatim ſponte ſuâ diſſoluta ac vana, naturæ ipſius, tum Gentium quoque iure cenſerentur. Haud ſecus etiam ſi quo edicto Catholicis interdiceretur, ne cui Hæreticorum Ec-

nominibus, ſed de re ipsâ, quæ ijs ſubeſt, eſſe ſolicitam; neque ad *excommunicationem* cauendam ſat eſſe eadem nomina abſtinere, neque ad eam ſibi arceſſendam ſufficere, illa ipſa adhibere, niſi ipſa quoque Actorum materia cauſſam Hæreſis reuera contineat, vt exploratum eſt; quumque fas ſit definitionem ac definitum Hæreſis, atque Hæretici Titio aſſerere, vt probatum eſt, liberum quoque eſſe, & nomen Hæretici illi exprobrare, vt pariter notum eſt.

X. At neſcio quis alius aurem hîc mihi peruellit, iubetque meminiſſe, etiamſi à lege damnatoria ſententia lata ſit; nihilominùs, vt quis infamiâ talis criminis notari iure queat, requiri adhuc ſingulare ipſiuſmet Iudicis de eodem decretum, quemadmodùm tradunt Azor *par* 1. *Inſtit. lib* 8 *cap.* 13. *q* 7. Sanchez *lib* 2 *Decal. cap.* 26. *num.* 1. Menochius *Conſ.* 301. *num.* 20. *lib.* 4. Burſatus *Conſ.* 14. *num.* 18. & *ſeq.* & *lib.* 1. *num.* 27. & Farinacius *de Hæreſi, quæſt* 189. *num.* 36. Vnde conſtare etiam colligunt, etſi quæſtio de iure à quouis priuato excuti ac definiri poſſit, quæſtionem tamen de facto nonniſi ad Iudicem pertinere. Hinc licèt C. 1. *de homicidio*, in 6. decernatur, vt *poſtquam probabilibus conſtiterit argumentis aliquem ſcelus* (nempe graſſationis, ſeu *aſſaſſinij*, vt illîc vocatur) *tam execrabile commiſiſſe*; *nullatenus alia excommunicationis &c. aduersùs eum ſententia requiratur*: tamen cuncti Doctores, qui idem caput ac ſcitum enucleârunt, ſtatuunt, vbi damnatoria ſententia à Canone lata eſt, quum de certo aliquo eiuſdem reo nominatim conuincendo, damnandoque agitur, Iudicis declarationem prætereà eo de crimine ab illo patrato eſſe neceſſariam, vt ex communi Iuriſconſultorum placito Farinacius *quæſt* 103. *num* 11. & *quæſt.* 123. *num.* 17. & poſt eum Rota *Deciſ.* 255. *num.* 3. *par.* 3. *recent.* docent.

Atque huius dicti ratio in promptu eſt, quòd ſi-cèt iuris quæſtio, vbi à lege ipsâ, quid faciendum, vel cauendum ſit, præſcribitur, neminem poteſt fallere: tamen facti quæſtio, an Milo necârit Clodium, hominis priuati iudicium de præfacili poteſt decipere, adeoque æquum minimè eſt, vt quis delicti reus infamiæ pœnâ ex iudicio hominis tantùm priuati, ſed ex ſententiâ dumtaxat publici Iudicis deinde pronunciatâ multetur, vt apertè de Hæreſis flagitio exiſtimant Guttierez *lib* 1. *Canon qq cap* 1 *num.*1. Azor, Sanchez, & alij paulò antè nominati.

XI. Verùm hæc omnia machinamenta aduerſùs expoſitam probatamque à me doctrinam fruſtra omnino fabricantur, fruſtra in aciem educuntur, fruſtra admouentur, geminoque ac plano diſcrimine animaduerſo, ruunt de ſubito, atque euertuntur vniuerſa. Nam I. aliud eſt, à ſonte, ob commiſſum delictum pœnam lege ſancitam dari; aliud alicuius criminis infamatum publicè, ſeu voce, ſeu ſcripto priuatim redargui. II. Attendendum eſt, duplicem eſſe infamiam, alteram iuris, facti alteram, vt Doctores omnes in l 1. ff *de his, qui notan. infam.* & in *cap. teſtimonium, extra, de teſtibus,* & alibi ſæpius, teſte Farinacio *de oppoſit. contra perſonas, quæſt.* 56. *num* 1 conſentiunt, notantque Silueſter, Fumus, & Sa *ſumm. verbo, Infamia,* num. 1.

XII. Infamia iuris ea dicitur, quæ ab ipſis legibus inuritur, redditque infames, *quia tales à iure reputantur*, vt ex Iaſone, & Corrado deſcribit idem Farinacius *loc. cit. num.* 3. & 4. atque hæc pariter duplex eſt, nam alia ipſo facto, ſeu, vt alij loquuntur, ipſo iure ſubitur, cui obnoxius quilibet eo ipſo fit, quo aliquid committit, quod lex plectit infamiâ; alia, *quæ ſuper crimine publico, vel quibuſdam priuatis ſententiâ Iudicu definitiuâ* irrogatur; quâ tamen nemo notatur, niſi qui à Iudice

latâ

latâ ſententiâ damnatus eſt, vt idem Silueſter *loc. cit. num.* 8. & 9. Sâ *num.* 11. & Farinacius *quæſt.* 56. *cit. num* 5. ex legum ſcitis, tum ex Iaſone, Bartolo, & alijs obſeruant.

XIII. Infamia verò facti ea vocatur, quâ *alicuius opinio atque exiſtimatio apud bonos & graues viros ſuper crimine aliquo grauata eſt*, vt Bartolus *in* l. *de miore*, ff. *de quaſt.* citatâ gloſsâ Raymundi, Baldus, & Felinus *in cap. teſtimonium, extr. de teſtibus, num* 13. Iaſon *in l. cunctos populos lect* 2. *num.* 44. & 45. C. *de ſumma Trin & fide Cathol.* & ex alijs pluribus Farinacius eâdem *quæſt.* 56. *num.* 6. Silueſter *loc cit. q.* 2. Fumus, & Sà *loc. cit. num.* 1. definiunt. Hæc autem à crimine ipſo, tanquam à cauſsâ proximâ plerumque, interdum aliunde etiam gignitur, quod multis modis accidit, vt Doctores allati fusè explicant.

XIV. At de infamiâ iuris, etiam quum à lege ipsâ tam ſeuerè denuntiatur, vt certo admiſſo facinore, ipſo facto ſtatim ſubiri decernatur, etiam num ſub Iudice lis eſt, an, vt reapſe ea ſubeatur, adhuc Iudicis declaratio exigatur? Probabilior quidem opinio affirmat, cui Azor, Sanchez, Menochius, Burſatus, Farinacius ſuprà *num* 10. adducti, meritò ſubſcripſerunt: ſed tamen oppoſita quoque compluribus viris doctiſſimis, infamiâ iuris præ Hæreſis crimine Hæreticum, ante Iudicis quoque ſententiam, plecti exiſtimantibus, quos infrà *a* ſuo loco referam, arriſit. Atque hæc infamia ſanè grauis pœna eſt, multosque effectus pœnarios parit, de quibus Iuriſperiti paſſim diſſerunt.

XV. Ad facti porrò infamiam alicui conflandam nulla prorſus Iudicis ſententia requiritur, quumque delictum ipſum verum, certum, vulgatumque eſt, vt quum tota vrbs in foro coacta, Caium à Titio necari cernit, huius facinori infamia

a Par. 3 cap. 10.

facti

facti comes adeò indiuidua mox hæret, vt Iudici
ipſi nihil omnino iuris in eam ſit. Nam vtcunque
idem Iudex, ac teſtes gratiâ, pecuniâ, odio, vel
minis corrupti, Titium innocentem pronuntient,
nunquam tamen occiſi Caij infamiam ei detra-
hent, ſed labem ingentium nebulonum ſibimet-
ipſis inferent, vt perſpectum eſt. Dixi *quum deli-
ctum, verum, certum; vulgatumq́; eſt*; quia vbi id
incertum, obſcurumque eſt, ſententia Iudicis ad
facti infamiam abolendam non parum momenti
habet. At vbi illud omnino exploratum, & publi-
catum eſt, hæc operam prorſus ludit. Quocirca
Farinacius *de Inquiſitione, q.6. num.* 45 (vbi D. Od-
dum *Tract. de reſiſt. in integrum, par.2. art.4.* & *ſeq.*
rum Henricum Boycum *in cap. teſtimonium, nũ.14.*
& 15. *extra, de teſtibus,* præclarè de ratione infamiæ
iuris expungendæ diſputantes laudauit) illico de
facti infamiâ addit: *In propoſito ſcias vnum valde
iudicio meo notabile: quòd licet princeps poſſit delin-
quenti famam reſtituere, & iuris infamiam ex delicto
incurſam ei tollere,* ex l. prima, C. de ſent. paſſ. & l. fin. §. C. eod.
*non tamen poteſt tollere, & remouere infamiam facti,
quia opinio hominum de bonitate, vel de malitia ali-
cuius, non poteſt ab aliquo etiam maximo, vel ſupremo
Principe remoueri: Princepsq́; non poteſt facere, vt
homines credant illum eſſe bonum, quem credunt, &
credere volunt eſſe malum.* Abb. *in C. quum te, num.9.
& ibi* Felyn *num.* 10. *de re iud.* Roman. *ſing.* 419. *incip.*
Dubitatio eſt magna, *vbi dicitur, quod nonniſi à Deo facti
infamia aboleri poteſt.* Archid. *in cap teſtes, 2 q.7.* Bald.
in cap. veritatis de dolo, & contum. Gabr. Saray. *in ad-
dit. ad Mattheti ſing.62.* Port. *Inſtitu. quib. mod patr.
poteſt. ſolu. num.* 20. Alciat. *in l plus eſt, num.9. ff. de
verb ſign.* Eſt tex. *in cap. Euphemium 2. q.3. & paſſim
tradunt ibi Doctores, prout teſtatur* D. Oddus Peruſi. *d.
q 92. art 4 num.34. ſeqq. vbi præfatos congerit Docto-
res, & contrarijs reſpondet.* Quanquam autem idem

E Oddus

Oddus *quaſt 97. num. 9.* cum Afflicto, *in tit quaſt prima cauſa benef. amitten. num. 99. gl. 3.* & Aym. *Conſ. 168. num. 1. & 2.* vt Farinacius inibi memorat, opinatur, *Principem ab infamia facti, ſi hoc ei placeat, exprimatq́, reſtituere*, id tamen neceſſariò intelligendum eſt, tunc poſſe contingere, quando delicta admodum incerta, ac tenebricoſa ſunt, ſecus quando rata, & omnino dilucida. E contrario verò vbi alicuius innocentia, puta Sempronij vulgò comperta eſt, quem in Iaponiâ diuerſari, quum Cremonæ Caius à Titio in foro, totâ ciuitate ſpectante, interfectus eſt, in aperto erat, fruſtra ſubornati teſtes, Iudexque nummarius eundem Sempronium occiſi Titij reum latâ ſententiâ apud Cremonenſes peragunt, fruſtraque huiuſmodi facinoris factique infamiam, etiamſi iuris infamiâ ipſum, quàm poſſunt, turpiſſimè dehoneſtent, eidem irrogant, vt manifeſtum eſt.

X V I. His citra controuerſiam conſtitutis, meridianâ luce clarius eſt, Auctores *num* 10. recitatos Azor, Sanchez, Menochium, Burſattum, & Farinacium doctrinæ hactenus traditæ nihil penitùs officere; tum quia illi non de quacunque infamiâ, ſed de eâ tantùm, quæ tanquam pœna, à Iudice ipſo inuritur, varijsque effectis pœnarijs obnoxia eſt, palàm loquuntur; hæc autem de illâ dumtaxat, quæ nullo modo pœna humana eſt, neque à Iudice infligitur; ſed crimen ipſum comitatur, priuatimque ſermone, aut libro iuſti patrocinij gratiâ exagitatur; tum quia illi de infamiâ iuris ſolùm diſputant; vt liquet, neque tam ſtulti ſunt, vt ad infamiam facti certi, perſpicui ac publici reapſe ſubeundam, ſententiam Iudicis exigant, cui nihil iuris in eam eſſe, ſed Deo ſoli, qui obliuione poteſt illam prorſus conterere, iam ſuprà oſtenſum eſt. At allata doctrina de infamiâ facti tantummodò agit, vt conſtat. Eodem modo qui

in

in C. 1. *de homicidio*, in 6. ad reum graſſationis nominatim damnandum, Iudicis declarationem poſtulant, minimè aduerſantur, ſiquidem & de pœnâ infligenda, ac luendâ, tum de infamiâ iuris irrogandâ diſertè philoſophantur, à quâ, expoſita doctrina toto cœlo diſtat. Nec ratio illa ſuprà adiecta quicquam vrget I. Quia non ſolùm quæſtio facti, ſed quæſtio etiam iuris fallere poteſt, non tantùm priuatos homines, ſed Iudices quoq;, tum quando verba legis non ſatis clara, ſed ambigua ſunt, in quibus interpretandis tot ſententiæ, quot capita, plerumque numerantur, mutuoque digladiantur; tum quando etiam verba perſpicua ſunt, ſed in multiplicibus euentis iñumeræ ferme conditiones & circumſtantiæ eidem legi adiunguntur, ex quibus rurſum plurima dubia pullulant, quæ infinitas alias ſententias diuerſas proſeminant, quibus immenſa Iureconſultorum volumina referta, ac ſtipata ſunt, vt offendit quicunque ea verſat, vel inſpicit. II. Etiamſi darem quæſtionem iuris extra fallaciæ periculum conſiſtere, quod falſum eſſe iam docui: adhuc controuerſum valde eſt, an in quæſtione facti explorandâ decidendâque minùs Iudices, quàm priuati homines fallantur. Quot enim mendacia, fraudes, doli, periuria, corruptelæ in iudicum tribunalibus regnant? & quæ veritas hinc exprimatur, quæ inde proſcripta tam frequenter exulat? Innumera flagitia impunitatem auferunt, quia in externo foro non legitimè Iudici ipſi probantur, ſonteſque ab iſto velut innocentes, fallaciâ manifeſtariâ, & penè cotidiana, abſoluuntur, quos tamen reuerâ eſſe reos ſupplicijſque dignos, veritatis conſcij complures rectè, & verè iudicant, iudicium que priuatum non fallitur, ſed publicum. III. Eſto. Iudicum prærogatiua ſit, vt minùs, quàm priuati fallantur. Quid tum? ergo

æquum minimè eſt, vt quis infamiæ pœnâ ex iudicio hominis tantùm priuati, ſed ex ſententia dumtaxat publici Iudicis multetur, vt ſuprà obiectabatur? Audio, conniueo, indulgeo. At quum de infamiâ, quæ pœna humana eſt à Iudice irrogata, ſermo ibi ſit; ab hac doctrina explicata longè diſcedit, quæ nihil pœnariæ infamiæ, ſed eam tantummodò, quæ cum flagitio ipſo vulgato ſemper conglutinata eſt, perſtringit. Nempe eam infamiæ pœnam, quæ pœnarios effectus gignit, vt quòd infamis deteſtabilis euadat, nonniſi à Iudice irrogari par fuit, at alterius infamiæ, quæ ſimiles effectus non parit, diuerſa ratio eſt, neque in Iudicis manu ſita eſt, ſed à delictis ipſius iam teſtatis, & per ora hominum labentibus proficiſcitur, vt anteà ſatis explanatum eſt.

§. XII.

Decimum firmamentum eiuſdem doctrinæ à remotione cuiuslibet interdicti.

I. Quamuis conglobata ad id locorum argumenta, explicatam à me doctrinam de Hæretico ſingulari priuatâ auctoritate nominatim appellando ſatis muniant, & rerum æquo exiſtimatori perſuadeant; non leue tamen pondus inde eidem quoque accedere, non immeritò arbitror, quòd nullum decretum, ſcitum nullum, vel edictum, neque ex ſacrorum Canonum tabulis, neque ex Pontificijs Diplomatis, neque ex Concilio Tridentino, neque ex Regulis Indicis damnatorum Codicum, neque ex vllâ Synodo, neque ex vllis Legibus etiam profanis depromptum haſtenus eſt, quo id prohibeatur, quandoquidem edicta omnia, ſcita, & decreta, quæ Hæreticorum cognitionem, & iudicium totum eſſe Eccleſiaſticum, atque ad ſolam

Apoſto-

Apoſtolicam Sedem ſpectare pronuntiant, de iudicio tantùm externo, & contentioſo foro loquuntur; de priuato autem, quod omni iuriſdictione caret, & ſine eâ fori extranei formâ exercetur, nullam prorſus mentionem faciunt, ac proinde non obſtant. Neque enim ratio vlla ſolida, quæ priuatæ huiuſmodi cenſuræ in certos Hæreticos nominatim ferendæ incommodaret, hucuſque obducta eſt, adeoque eadem hactenus propugnata doctrina tantò magis legitima, & tuta eſt, vt deinceps experiemur.

II. Sed vereor non mediocriter, ne, quis hanc meam diſſerendi rationem minimè fucatam, tamque conſtantem cuiuſuis remoræ ſublatæ aſſeuerationem ægrè ferens, nimiæ confidentiæ, inconſultæque temeritatis, qui tam multa polliceri non dubitem, me arguat. At qui poſt magnam, multamque diligentiam in pleriſque viris doctiſſimis, & ijs quoque, ad quos iura Sacrorum Quæſitorum, totamque illius tribunalis normam agendi callere, atque ad vnguem tenere pertinet, rogandis, percontandiſque adhibitam, an ipſi ius aliquod, Concilium, Canonem, vel Legem, Regulamúe propoſitæ à me doctrinæ refragari meminiſſent; reſponſoque à cunctis eodem planè accepto ſe neque meminiſſe, neque ſcire; tot Doctorum auctoritatem ſecutus, ait nihil obſtare (quam diligentiam à me impenſam eſſe profiteor) cur is temeritatis, vel audaciæ inceſſi debeat, nondum diſpaleſcit.

III. Deinde aio, me negâſſe extare vllam legem peculiarem, quæ doctrinam meam nominatim expreſſeque improbet, vt facilè deinde planum faciam.

Denique addo, ne vllam quidem Legem, Canonemúe generalem, qui eidem doctrinæ generatim

 ſaltem

ſaltem obluctetur, hactenus in aciem prodijſſe, vt paulò pòſt etiam periclitabimur.

§. XIII.

Vndecimum firmamentum eiuſdem doctrinæ à contrariâ lege, ſi qua fortè ſciſceretur, omnino irritâ.

I. Verùm non ſolùm nulla hactenus lex, quæ priuatam huiuſmodi Hæreticorum nomenclationem vetaret, lata eſt, ſed etiam ſi qua fortè vnquam feratur, quæ ſanciat, ne vllus Catholicorum Homini libros Hæreticos ſcribenti edentique, in eorum refutatione nomen Hæretici, antequam illius cauſſa à Sede Apoſtolicâ cognita ſit, imponere audeat, omni vi ac pondere, niſi quid aliud maioris momenti præponderet, quod ego iam minimè diſpicio, videtur caritura. Ea quippe lex, quæ bono communi valde pernicioſa accidit, & iniqua, & nulla prorſus eſt, vt Theologi & iuris vtriuſque Conſulti ad vnum omnes in diſputatione de legibus definiunt. At quid eiuſmodi lege vel interdicto, ſi quod proponeretur, Chriſtianæ Reipublicæ foret damnoſius?

II. Magno videlicet, magno etiam falſi fratres in Chriſtianorum cenſu cœtuque temerè cenſi, diuturnam noxiorum librorum diuulgandorum impunitatem emant; ſi Hæreticæ doctrinæ, Hæreticique Auctoris, emiſſis tempeſtiuè Apologeticis, coërcendi, ſuiſque nominibus perduellium Eccleſiæ, quorum gerunt imagines, & facta exprimunt, appellandi poteſtatem Catholicis ademptum ire queant, donec hanc à Sede Apoſtolicâ cauſsâ probè excuſsâ compertâque, obtineant. Nimirum pleraque

raque Chriſtianæ religionis caſtra multis in locis, antequàm facultas hoſtis repellendi è longinquo, ac nonniſi poſt diuturnum tempus in cauſſæ cognitionem neceſſariò impendendum, aduentaret, expugnarentur, multorumque fidelium pectora Hæreticæ luis virus ſeu ab Hæreticis, ſeu à perfidis Catholicis propinatum, antequàm præſentaneum, efficaxque antidotum illis apponi poſſet, haud dubiè permearet, penitusque extingueret. Quid quod Hæretici eâ ex lege anſam arriperent, cauſſam Hæreſis per ſexcenta fraudium genera, per quæſita diuerticula in longum tempus extrahendi, morasque alias & alias interponendi, quo interim venenum in dies latiùs ſine remedio funderetur? Quam ſanè artem non ſemel Pelagius Monachus, ad Hæreſim diſſimulandam, tam multis Patribus, imò & integris Concilijs per varias technas atque mendacia toties, vt D. Auguſtinus in libris aduersùs illum elucubratis memorat, deceptis, ſubdolè adhibuit.

III. Confirmatur I. à pari, quia ſi Hiſpaniarum Rex Mediolanenſes, aut Neapolitanos arma in apertos hoſtes alterutram regionem iniquè inuadentes, diripientes, vaſtantes capere, eos arcere, vel exturbare, niſi prius obſiſtendi, ſuique defendendi facultate à ſe nominatim impetrauerint, prohiberet; interdictum huiuſmodi & omnino iniuſtum, & ſuopte pondere ruinoſum planè eſſet; eodemque etiam recideret, ſi patrocinio ac defenſione ſui ijſdem non interdiceret quidem Rex, at ea arma ſumere, quæ ad hoſtes reijciendos neceſſaria forent, minimè ſineret. Hæc enim, & ſimilia mandata ceu bono communi admodum detrimentoſa, ſtatim ſponte ſuâ diſſoluta ac vana, naturæ ipſius, tum Gentium quoque iure cenſerentur. Haud ſecus etiam ſi quo edicto Catholicis interdiceretur, ne cui Hæreticorum Ec-

ecleſiæ Romanæ hoſtium, niſi Hæreſis cauſsâ anteâ à Sede Apoſtolicâ cognitâ, & eius refutandæ poteſtate expreſsè conceſsâ, obluctari, libroſque illius Hæreticos frangere, atque obterere auderent, aut certè ſi Catholicam doctrinam aduersùs eoſdem libros tueri poſſent, at ijs armis vti, quibus ad illorum internecionem opus planè eſt (inter quæ præcipua ſunt, vt tum ipſa impietas, tum impietatis ſator, hoc eſt, tam peſtilens doctrina, quàm peſtis Auctor, probroſis Hæreſeos Hæreticiq́ue nominibus infamentur) vetarentur, interdictio profectò, tanquam Chriſtianæ Reipublicæ apertè pernicioſa, irrita prorſus eſſet atque inanis.

IV. Confirmatur II. Quia etſi libri, qui ſcatent erroribus, vel bonis moribus obſunt, prohiberentur omnes nominatim, ac ſingillatim (nam generatim eſſe cunctos prohibitos ex Indicis Regulis paret) ſi tamen in eorum Auctores commentitijs laruatos nominibus, ſed aliunde ſatis notos ſcribere non liceret, neque eos nominatim Hæreticos nuncupare, atque oſtendere, quamuis re verâ eſſent, antequam à Sede Apoſtolicâ per Sacros Quæſitores tales renuntiarentur, fas iuſque eſſet; ingens ſanè oſtium maximo totius Chriſtianæ Reip. damno incommodoque aperiretur: ſiquidem huiuſmodi interdicto, ſummæ licentiæ famoſos Hęreticoſque libellos cudendi, extrudendiq́ue anſa magna pleriſque præberetur. Hæretici quippe, perditiq́ue Catholici non pauci, animaduersâ infamandi alios nominatim libertate; contrà verò optatâ impunitate, ne viciſſim ab alijs nominatim infamari queant, dum ipſi ſuis Lœdorijs Satyriſque ficta imponunt nomina, vel nulla, quoad ab Apoſtolicâ Sede fraudis, atque Hæreſis conuicti, & publicati ſint, quod plerumque non contingit, neque varias ob cauſſas poteſt, diu multumq́ue gaudentes, ad eiuſmodi libellos famoſos

Hære-

Hæreticoſque concinnandos emittendoſq́;,etiam atque etiam ſine dubio proleƈtarentur,ac ſolicitarentur: vnde ingens labes atque pernicies in totam Rempublicam manaret, vt perſpeƈtum eſt.

V. Confirmatur III. Quia Sedes Apoſtolica, vt ſuprà iam quoque indicaui, omnia Catholicæ fidei detrimenta cauere, aut reſarcire non poteſt, ne Inquiſitorum quidem curâ ac diligentiâ additâ, vt liquet, quandoquidem ipſa nihilominùs à tantâ Hæreticorum multitudine continenter vexatur. Neque libris famoſis atque Hæreticis vltra Alpes liberè erumpentibus, & graſſantibus frænum ſatis validum hucuſque inijcit; quos tamen libros Auƈtoreſque illico refelli, Hæreticorumque nomine, antequàm Romæ cauſſa terminetur, expreſsè inſigniri, boni publici valde intereſt, tum etiam ratio ipſa naturalis defenſionis ac neceſſitas, ne venenum Hæreſis & calumniæ incautos ignaroſque priùs,quàm antidotum admoueatur, perimat, omnino iubet. Quod planè ius naturale, & diuinum neceſſariæ defenſionis per nullam legem humanam tolli poteſt, vt conſtat.

VI. Hoc argumentum adeò validum, firmumque eſt, vt à nullo haƈtenus ex cunƈtis, quibus à me expoſitum eſt, conuelli aut debilitari, omni oppugnatione penitùs fruſtratâ, animaduerterim. Nemo enim adhuc rationem grauiſſimi damni Reipub. totius auertendi, ſi interdiƈtum commemoratum ederetur, oſtendit. Dixi tamen initio, *niſi quid aliud maioris momenti præponderet*; quia ſi id accideret, lex vtique teneret. Quanquam quomodo, aut quando poſſit accidere, ego modò non video.

VII. Sed forſan aliquis contendet, huiuſmodi meum placitum non parum audaciæ ac temeritatis præ ſe ferre, quum lex potiùs contraria, ſi qua poteſtatem Hæretici nondum à Iudice damnati

appellandi faceret, eſſet iniuſta ác nulla, quia hinc plerique prætextu Hęretici alicuius, compactis argumentis productiſque Hæreſis teſſeris refutandi, & nominandi, proprios inimicos infami notâ dedecorare, nec non mordaci libro dilaniare poſſent, ipſo etiam legis, quæ id indulgeret, clypeo tecti, ac tuti. Quod graue offendiculum vt vitetur, infamia cuiuſcunque priuato hominum iudicio nullo modo permittenda eſt. At ego huiuſmodi terriculamentum nihili prorſus duco, miroſque excitari, quum manifeſtò vanum ſit. Quæ enim lex tam honeſta, tam æqua, tam vtilis, tam ſacroſancta eſt, quæ improborum corruptelis obnoxia non ſit? delicta omnia, quæ committuntur, quid niſi cunctarum legum, quibus aduerſantur, piacula quædam, ac diſtortiones ſunt? Ergóne leges cunctæ idcirco inanes? euanidæ? nullæ? an ideò iniuſtæ? rationis expertes? malorum procreatrices? Hoc certè ſine intolerabili audaciâ & temeritate nemo aſſeuerauerit, vt exploratum eſt. Quod igitur plures abutendi lege occaſionem captent, eâque perſæpe abutantur, hoc ſanè legis ipſius iniquitatem, perniciem, vel peruerſitatem minimè oſtendit, alioqui de legum omnium honeſtate actum eſſet. At vbi lex ipſa à pluribus migratur, vel alia aliqua habet incommoda; diligenter videndum eſt, an penſatis omnibus, adhuc bono communi conducibilior ſit, nécne; quumque magis nihilominùs prodeſt, ſi cæteræ conditiones non deſint, haud dubium, quin ea honeſta, vtilis, & iuſta ſit, meritoque laudanda, ac retinenda. Iam tot argumentis in aciem eductis palàm demonſtraui, integrum eſſe Theologis, nomen Hæretici certis hominibus, qui ſe Hæreſi infectos documentis non ambiguis produnt, ad neceſſarium Cdtholicæ religionis patrocinium, etſi illi nec dum

à Sede

à Sede Apoſtolicâ nominatim damnati ſint, ſingillatim indere, atque huiuſmodi facultatem pleriſque Doctorum, ac Legum etiam ſcitis eſſe conſentaneam. Quod autem hac permulti abuti queant, nihil planè refert, quum talis facultas, & lex etiam peculiaris, ſi qua extaret, multo grauiora damna Fidei Chriſtianæ, & Reipublicæ adhuc prohibeat, vt ſuprà explanatum eſt, adeòque corruptelæ omnes & flagitia, quibus complures prætextu illius habenas laxare poſſunt, non tollunt, quin ea legitima, æqua, vtilis, ac ſana ſit. E contrario autem ea lex, quæ huiuſmodi priuatam Fidei Catholicæ defenſionem vetaret, nec grauiſſimis illius detrimentis caueret, aut illa arceret, eſſet omnino inutilis, noxia, iniqua, ac nulla.

§. XIV.

Duodecimum firmamentum eiuſdem doctrinæ à fideli operâ ipſi Apoſtolicæ Sedi impensâ.

I. Iuuat hic poſtremâ in acie propugnatæ ad id locorum doctrinæ, accuratè diſquirere, quàm egregium nobileque præſidium Theologi, Catholicæ religionis patrocinio priuato, acrique Hæreticos quoſque ſingillatim reuincendi, nuncupandique ſtudio ipſimet Apoſtolicæ Sedi opportunè ferant.

II. Epiſcopos, atque Inquiſitores in Hæreticis dijudicandis, ac plectendis eſſe ac dici Eccleſiæ, ſeu Apoſtolicæ Sedis executores, quia quæ in Hæreticos ab eâdem Eccleſiâ, vel Sede ſunt conſtituta, fideliter exequuntur, planum eſt. Ideò enim *Epiſcopus*, inquit Alphonſus à Caſtro lib. 2. aduerſùs Hæreſes cap. 8. *poteſt in his, quæ iam definita*

 ſunt,

ſunt, aut euidentiſſimis ſacræ Scripturæ teſtimonijs abſque vllâ tergiuerſatione deprehendi poſſunt, ius dicere, & aduersùs eiuſdem aſſertionis pertinaces defenſores animaduertere. Illud namque non eſt ſententiam ferre, ſed ſententiam latam exequi. Eodem modo & Theologi omnes, quum aliquem damnatæ ab Eccleſiâ Hæreſis reum agunt, emiſſoque in vulgus libro Hæreticum ſingillatim nominant, Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ priuati executores iure appellari poſſunt, hoc tamen ab Epiſcopis, atque Inquiſitoribus neceſſario ſeiuncti diſcrimine, quòd fori externi & contentioſi omni iuriſdictione, tum quauis obligandi, cogendi, puniendiue auctoritate, quâ ijdem Epiſcopi, atque Inquiſitores, velut Sedis Apoſtolicæ recuperatores, ſeu delegati Iudices, præſtant, ſuntque eiuſdem Sedis publici executores, omnino deſtituuntur, ſuumque iudicium merè priuatum ſine formâ & vi externi iudicij, ſed priuatorum dumtaxat Doctorum auctoritate circumſcriptum proferunt, neque vllam obligandi Chriſti fideles poteſtatem in foro extraneo habent; in interno autem illam tantummodò, quam quum teſtimonia è ſacris Codicibus, è Concilijs, è Patribus, aut aliunde deprompta, tum rationes atque argumenta in medium allata pariunt.

III. Quamobrem quum Hæreticorum, ac flagitioſorum Catholicorum fraudibus noxijsque libris comprimendis extinguendisque, vel grauiſſimis damnis indidem iam allatis, aut ingruentibus prohibendis leuandisque, quæcunque Apoſtolicæ Sedis, Epiſcoporum, atque Inquiſitorum diligentia, quæcunque vis, atque auctoritas, quæcunque vigilantia & cautio ſatis non ſit, vt ſuperiùs expoſui, Chriſtianorum Theologorum munus proprium eſt, Apologeticis in lucem editis illorum & refrænare amentiam, & reſarcire detrimenta, atque hoc pacto quum Apoſtolicæ Sedi,

Epiſco-

Epiſcopis, ac Quæſitoribus, quoad poſſunt, opitulari, eorumque priuatos executores ſtrenuè ſe gerere, vt quos publica tribunalia præ confuſis perditorum hominum dolis, multisque alijs impedimentis multare nequeunt, priuata ſaltem Doctorum opera aliquâ ex parte coërceat.

IV. Quocirca ipſa quoque noſtrum omnium mater Eccleſia, vbi quis ſeu ſuo è gremio perduellis, ſeu externus hoſtis inſanæ telo doctrinæ iugulum illius, aut latus petit, opem ab vnoquoque filiorum tacitis vocibus flagitat, arma extemplo ſumi iubet, deſides excitat, feſtinato opus clamat, afflatam peſtem quàm primùm depellendam edicit. Non enim Hæreticos ſingulos ipsâ Apoſtolicæ Sedis dexterâ ſemper mactandos, ſed velitaribus dumtaxat priuatorum Doctorum pugnis perſæpe cædendos: nec ſingulos hoſtium ipsâ Imperatoris manu confici, ſed quàm plurimos lanceis ſubiectorum tantùm militum traiectos cadere: ita non ad quòſuis errores Hæreſesque ſubinde repullulantes configendas obruendasque, ipſiuſmet Summi Pontificis fulmine intorto opus eſſe, ſed pleraque huiuſmodi monſtra vel priuatis Theologorum libris tanquam gladijs ex antiquo Eccleſiæ armamentario, hoc eſt, è diuini humanique iuris apparatu depromptis, fortiterque vibratis tranſadigi ac necari.

§. XV.

Tertium decimum firmamentum eiuſdem doctrinæ à probabilitate vel dubio, tum à Doctorum auctoritate.

I. Verùm quamuis omnia argumenta hactenus enumerata atque enucleata non eſſent adeò

robuſta ac ſolida, neque veritatem hanc tam perſpicuo in lumine collocarent, ſed aliquam adhuc dubitationis nubeculam relinquerent; quum in dubio, vel probabili etiam opinione certæ ſcientiæ experte, *melior* ſit *conditio poſſidentis*, vt commune vulgatumque Theologorum, & Iuriſconſultorum effatum ſancit, etiam extra materiam iuſtitiæ, vt melior pars Doctorum ſentit; in dubio ſanè etiam opinionis, melior quoque innocentium, atque Catholicæ religionis, quàm calumniatorum, atque Hæreticorum hanc illoſque inſectantium, conditio eſſe vtique deberet; ac proinde & Theologis vtroſque publicatis Apologeticis tueri ſolutum, ac liberum. Quanto ergo adhuc magis, quum nonnullæ ex recenſitis rationibus planè inexpugnabiles id ipſum extorqueant?

II. Ad Doctores autem quod attinet, quia, vt initio præfatus ſum, neminem, qui hanc controuerſiam diſtinctè deſtinatoque propoſuerit, nedum profligârit, reperire hactenus potui, neque repertum ab alijs intelligere; multos, qui explicatæ à me doctrinæ nominatim patrocinentur, hîc centuriare nullo modo poſſum. Generatim quidem fauere omnes, ac tacitè aſſentiri, quum nullus eorum, neque clam etiam refragetur, iure exiſtimo, & ex varijs plurimorum quà Theologorum, quà iuris vtriuſque Conſultorum documentis ſat exploratum eſt.

III. Qui verò eandem doctrinam ſuffragio ſuo nominatim ornent, ſi ex me quis percontetur, laudare in primis Leonardum Leſſium poſſum, qui *lib. 2. de Iuſt. cap* 29. *dub* 2. *num.* 5. iudicium, quòd quis Hæreticus ſit, quia *Miſſæ* ſacrificium ridet, non eſſe temerarium, ſed rationi conſentaneum, vt ſuprà quoque §. 11. *num.* 6. memoraui, pronuntiat. Quumque ille *Miſſæ* ſacrificium publicè explodat (ponamus ita contingere) haud

haud dubium, quin idem Leſſius concedat quoque, eiuſmodi iudicium, quòd Titius, quia *Miſſæ* ſacrificium ludibrio palàm habet, Hæreticus ſit, ex iuſtis cauſſis, præſertim publici boni gratiâ, verbis enuntiari poſſe, ac proinde & libris etiam eodem nomine oſtendi, vt patet.) Vir pereruditus Dianam quoque addit, qui *par.1.tract.17.reſolut.24.* & *par.3.tract.5.reſolut.33.* cum Leſſio omnino hac in re faciat. At ego nihil hiſce in locis huc pertinens inuenire, aut notare potui.

IV. Sed Alphonſus à Caſtro *lib.1. aduersùs Hæreſes, cap.9.* non inuitus adſtipulatur, vbi in eos, qui nomen Hæretici temerè alteri impingunt, meritò inuehitur, cæteros, qui non temerè, ſed prudenter ex ſolidis argumentis, & grauibus cauſſis id agunt, haud obſcurè abſoluens. Quod ſi id ſemper nefas eſſe duxiſſet, quàm facilè ſuam illam reprehenſionem confirmâſſet, disertè teſtatus, legum ſanctionibus vetitum eſſe, quenquam ſingillatim nominare Hæreticum? Nuſquam tamen id dixit, imò eodem loco mox ſubijcit, ſe nemini, ne Franciſcano quidem ex Ordine, cuius ipſemet Alphonſus quoque erat, ſi quam eius Hæreſim offendiſſet, parſurum, quin in Hæreticorum album illum referret.

V. Nec minùs perſpicuè Didacus Couarruuias *lib. 1. variarum Reſolutionum, cap. 11. num. 6.* huic meæ ſententiæ velificatur, vbi indicato duplicis criminis diſcrimine, cuius alterum manifeſtari nihil ſanè Reipublicæ intereſt, vt ſi quis aliquem meretricis filium appellet: alterum verò innoteſcere haud parum eiuſdem Reipubl. refert, vt *Si quis*, inquit, *alterum dixerit Hæreticum*: Mox ſubdit: *Ego quidem primùm animaduerto, ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium conuicium dicatur, etiam verum, cuiusq; notitia Reipublicæ interſit, prauâ*

tamen

tamen intentione, atque iniuriandi animo, peccatum eſſe non omnino ab iniuriarum actione liberum. Deinde aliquanto pòſt ita pergit: *Secundo opinor, veri criminis exprobrationem, cuiuſq; Reipub. interſit manifeſtationem fieri, ſecluſo iniuriandi animo, à peccato, & ab iniuriarum actione immunem eſſe, nec refert quantum ad hoc, id in iudicio, vel extra iudicium acciderit. Atque ita Bartolum, & Sequacium opinionem interpretandam cenſeo.*

VI. Vnde conſtat, quoties Reipublicæ vtilitas ſuadet, vt quis occultum Hæreticum detegat, ac nominet, etiam extra iudicium, id cuique abſque iniuriarum piaculo, Auctoribus Couuarruuia, & Bartolo vnà cum huius aſſeclis, vt ille exiſtimat, licere. Ergo per eoſdem Couarruuiam, Bartolum, & aſſeclas licebit quoque, quum Reipub. non ſolùm commodum, ſed neceſſitas etiam vrget, damnumque publicum aliâ ratione minimè auertendum impellit, vulgato inſuper libro talem Hæreticum prodere, reuincere, nuncupare, vt ſuprà probatum eſt, neque hîc iniuriæ locus eſſe poteſt, vbi ex vtilitate ac neceſſitate Fidei Catholicæ defendendæ animum iniuriæ irrogandæ abeſſe &c. apertum eſt.

VII. At enim idem Couarruuias, inquies, eodem loco Verſ. *Secundò eâdem ratione*, ſcribit quoque: *Si quis famoſo libello potiùs, quàm iuſtâ delatione alterius honorem læſerit, vera illius criminis manifeſtans, capitali pœnâ eſſe puniendum. Oportere ſanè, & id magis publicæ vtilitati conuenire, viros ſceleratos potiùs accuſationibus ad Iudicem deferri, quàm famoſis libellis extra iudicium in maximam omnium perniciem infamari.* Audio, annuo, concedo. Sed nihil hæc ijs, quæ anteà ex eodem Doctore recitaui, obſtant. hîc quippe de ſolis libellis famoſis agit, quibus viros ſceleſtos extra iudicium, omiſsâ illorum accuſatione, occultisque eorundem delictis retectis, infamare

infamare fas eſſe negat, & meritò. At de alijs Scripturis, quæ ob Reipub commoditatem neceſſitatemúe aduersùs improbos, atque Hæreticos extra iudicium in caſu noſtro toties reperito iuſtè concinnantur, haud ibi inficiatur licitas eſſe, neque eas libellorum famoſorum nomine comprehendit; quin potiùs in ijs enuntiatis, quæ ante illum verſum, *ſecundo eádem ratione*, & poſteà, exarauit dilucidè, vt planum feci, eaſdem approbat. Præterquam quod illo ipſo verſu, *ſecundò eádem ratione*, illos capite plectendos docet, qui omiſsâ iuſtâ delatione criminis ad Iudicem, famoſis libellis alterius honorem malunt dedecorare. At ego Hæretici denuntiationem non eſſe Apologeticorum prætextu vnquam negligendam, iam ſæpius monui.

VIII. Quæ Couarruuiæ apertiſſima mens eo magis notanda, quo ab aliquo perturbatam fuiſſe aliquando intellexi, dum iſte *verſum prioris membri*, in quo ille *ſi quis*, inquit, *alterum dixerit Hæreticum*, vt ſuprà monui, cum verſu *Eádem ratione* &c. coniungens, & cætera diſſimulans, hunc Auctorem, quo ego maximè propitio vtor, in oppoſita caſtra traducit, ſed fruſtra, vt pateſeci, confirmoque iam inſuper, quia infra idem Couarruuias hæc etiam appingit. *Sextum iuris eſt apertiſſimi, huiuſmodi reuelationem extra iudicium fieri poſſe abſque iniuriarum crimine, eiusq́ punitione, vel ob ipſius criminoſi correctionem, vel ob Reipub, aut proximi neceſſitatem, vtilitatemq́: ex his enim conſtat animum iniuriandi abeſſe.* Vbi cernis, Couarruuiâ præcone, fas eſſe, ſine iniuriæ periculo, alterius abditum ſcelus in lucem proferre, quoties id vel eius corrigendi ſpes, vel Reipub. commodum, aut neceſſitas poſtulat; ex quibus coniunctis vides quoque animum ab iniuriâ alienum pellucere: adeoque & Hæretici notâ quemcunque libro edito, nominatim

natim inſignire, quando id eadem ſpes, vtilitas, vel neceſſitas exigit, integrum eſſe.

IX. Quod ſanè placitum neque Arnaldo Albertino clari nominis Sacro Quæſitori, atque Epiſcopo diſplicere vllo modo poteſt, quum in libro *de agnoſcendis aſſertionibus Catholicis quæſt.29.num.21.* explicatè tradat, ſi quis Hæreſim lucri gratiâ pertinaciter, ſed extrinſecus tantùm defenſaret, interiùs verò, quod ei ex animo minimè aſſentiret, fidelis eſſet, non fore coram Deo Hæreticum; moxque admoneat, eundem *à fidelibus, qui non habent de interioribus animæ iudicare, reputandum eſſe Hæreticum, & tanquam Hæreticum fugiendum.* Pro quâ doctrinâ affert idem Albertinus Rotam *Deciſ.875.* & *quæſt.30. num.3.* adijcit præter eà: *Quum quis facto, vel verbo monſtrat ſe non firmiter credere fidem Chriſtianam eſſe veram, & ſanam, ſed dubiam, talis eſt iudicandus Hæreticus manifeſtus ſine vlteriori examine, & tanquam Hæreticus pertinax condemnandus.* Pro quâ ſententiâ appellat Ocham quoque, ac Turrecrematam. Atqui, dum is Doctor Hæreticum externum à fidelibus & reputandum, & fugiendum, etſi à nullo Iudice declaratus ſit (de hoc enim ibi loquitur) exertè affirmat, manifeſtò etiam concedit iudicium priuatum externum etiam de Hæretico ſingulari, quando ſine expreſſo iudicio nemo alterum agnoſcere, reputare ac fugere Hæreticum poteſt, vt liquet. Ergo eâdem cauſsâ & nomine idem Doctor indulget; vt nomen Hæretici & crimen emiſſo codice, certo homini, vbi vtilitas communis, vel neceſſitas impetrat, imponatur.

X. Sed animaduertendum eſt, iudicium priuatum à publico non eo hîc diſtingui, quòd illud ſolâ in mente hæreat, hoc verò extrinſecus quoque cernatur; ſed quia etſi priuatum ſit quoque externum, nempe quod externâ voce, aut Scriptu-

rà proditur, tamen definiendi, obligandi, puniendique auctoritate ac iuriſdictione penitùs caret, quà ſolum externum forum Eccleſiæ potitur, vt ſæpius dixi.

X I. Hanc pariter ſententiam Romanus quoque inclytus Iuriſconſultus ſuo munire calculo neceſſe habet, quum *Conſ 96. num. 2. verſ. Secundo verò caſu* articulatè fateatur, fas eſſe, occultum Hæreticum ad *ſpiritale* nocumentum vitandum, ne ſimplices ab eo inficiantur, detegere ac patefacere, dummodò ea patefactio extra iudicium non fiat per libellum famoſum: licere etiam, quando iuſta cauſſa vrget, adornatà Scripturà eundem Hæreticum prodere. Atqui non omnis Scriptura, quæ alterius crimen extra iudicium reprehendit, eſt famoſus libellus, vt ſatis dilucet, & infrà ex profeſſo demonſtrabo, ſed illa tantùm, quæ iniuſta eſt, atque aliena delicta iniquè exprobrat, vel diuulgat. Romanus verò illic negat dumtaxat fas eſſe, extra iudicium per libellum famoſum, qui ſemper iniuſta Scriptura eſt, Hæreticum abditum manifeſtare, non autem, quin id per Scripturam iuſtam liceat, etiamſi extra iudicium, imò hoc potiùs tacitè dat, nec tergiuerſari poteſt. Nam occultum alterius crimen ad graue Reipub. damnum, quod aliter arceri nequit, impediendum, fas eſſe manifeſtare, Theologorum omnium ſententia citra controuerſiam vna eſt apud Molfeſium *in Summa. tract.* 11. *cap.* 12. *num.* 188. & apud alios communiter. Iam ſi quis Princeps Hæreticus clancularius Hęreſim ſubditis ſuis clam adlinat, incautosque perdat; quum ſummum Reipub. damnum ex propagatà ab eo Hæreſi nec per conciones, quas ille ſupprimit, nec pèr carcerem Inquiſitoris, quem ille deſpicit, auerti queat; ius Theologo, qui latentem hanc peſtem exploratis veſtigijs deprehendit, profectò eſt, ad eam reſtinguendam

guendam Reipub. laboranti opem ferre, Hæreticumque Principem libro forâs dato oſtendere, ac nuncupare, quo videlicet ſimplices ab eo deinceps caueant, neque ampliùs ſe decipi ſinant. Cui doctrinæ ipſe quoque Romanus non poteſt non libenter annuere. Si enim per eum, licet occultum Hæreticum ad nocumentum *ſpiritale* cauendum verbis detegere; & quamuis huiuſmodi detectio Hæretici famam lædit, tamen, quia is ius non habet, vt tanto cum Reipubl. damno, quantum ex propagatâ Hæreſi emergit, famam tueatur, iuſtè omnino hanc lædit; ac proinde & ipſa iuſta eſt; licebit quoque per eundem Romanum ob eandem rationem, & iuſtâ Scripturâ nomen Principis Hæretici occulti ad maximum Reipub. *ſpiritali* damnum propulſandum, quod aliter declinare nequit, producere ac vulgare; & quanquam huiuſmodi Scriptura famam illius dehoneſtat: nihilominùs, quia ille ius non habet ad eam tantâ cum animarum pernicie retinendam, iuſtè eandem dehoneſtabit, & ipſa quoque iuſta erit.

XII. Denique Theologi, & iuris vtriuſque Conſulti etiam, quum ex deſtinato quærunt, quænam conditiones ad formalem & pertinacem Hæreticum conſtituendum exigantur, vt quòd ſacro fonte ablutus ſit, quòd oppoſitam veritatem ab Eccleſiâ tradi ſciat, &c. nullam prorſus mentionem faciunt, vt ille à Iudice Hæreticus quoque declaratus ſit; verùm vbi reliquæ conditiones adſunt, diſertè affirmant omnes, eum Hæreticum pertinacem eſſe, ac formalem, atque vt talem exiſtimandum, fugiendumque; non ſanè ob ipſam Pontificiam execrationem (cuius nemo, qui cum illo agit, antequàm nominatim perculſus ſit, reus ſit, vt certum eſt) ſed ob peſtem tantùm ipſiuſmet Hæreſis, vt in Arnaldo, in Alphonſo à Caſtro, in Ferdinando à Palao, in Farinacio, in Sanctarello,

&

& in alijs paſſim videre licet.a Quum igitur fideles illum; in quo Hæretici pertinacis conditiones omnes cernunt, Hæreticum reputare & fugere, etiamſi à nullo Iudice nominatim proſcriptus ſit, omnino debeant; quæ reputatio, & fuga ſine iudicio & ſermone de eodem Hæretico declinando, vt moris eſt, minimè contingit: manifeſtum eſt à Doctoribus cunctis poteſtatem de eodem ita ſentiendi, ac loquendi fieri; ac proinde, ſi neceſſitas poſcat, & libri quoque in eum ſcribendi, illumque Hæreticum nominandi ac diuulgandi.

XIII. Sed fortaſſe nonnemo (vt vincat, aliquem ſaltem Doctorum meæ repugnare ſententiæ, nimisque audacter à me aſſeueratum, neminem hactenus, qui eidem obnuntiaret, inuentum) grauiter obducet Gutierrezium *lib.* 1. *Canon. quaſt. cap.* 1 .*num.* 12. vbi perſpicuè ait: *Nemini priuato licere aliquem appellare Hæreticum, etiamſi talis appareat, priusquam ab Eccleſia id iudicetur, aut per ſententiam declaretur.* Et ſuprà *num.* 13. decernit ad Eccleſiam tantùm declarationem huiuſmodi negotij ſpectare. Verùm ego nullo audaciæ periculo certare auſim quauis ſponſione, ne Gutierrezium quidem expoſitæ à me doctrinæ refragari, quum is de caſu longè diuerſo à meo, vt mox apparebit, diſceptet. Nam ipſummet Caput XXII. ita inſcribit: *Quinam excommunicati ſint vitandi:* deinde *num.* 16. vitandos negat, etiam *notoriè excommunicatos, excepto notorio Clerici percuſſore*; quòd *veriùs ſit*, inquit, *etiam in factis notorijs requiri ſententiam declarationis*, nempe vt reus pœnas luat, alijque eum vitare debeant. Mox autem *num.* 21. docet, vt Princeps Hæreticus pœnis Hæreſeos C. *vlt. de Hæreticis* denuntiatis obnoxius ſit, ſubditique fidelitatis authoramento ſoluti cenſeantur, haud ſatis eſſe, quod ille Hæreticus manifeſtarius ſit,

a *Loc. cit.*

ſit, ſed requiri prætereà ſententiam, & declarationem Iudicis ipſum Hæreticum eſſe manifeſtarium pronuntiantis. Continuò verò *num.* 22. ſubdit; *Nemini namq; priuato, nec etiam Iudici ſeculari, quum ſit incompetens cauſſa, licet iudicare aliquem Hæreticum, etiamſi notorius talis appareat, priùs, quàm ab Eccleſiâ id iudicetur, aut per ſententiam declaretur.*

XIV. Vbi primò animaduerto eundem Gutierrezium ita obſeruatè lòqui: *Non licet iudicare aliquem Hæreticum*, non autem, vt paulò antè obiectum eſt, non licere aliquem appellare Hæreticum, quod longè diuerſum eſt, vt mox liquebit.

XV. Secundò animaduerto eundem Doctorem non generatim, ſed de ſubiectâ tantùm materiâ diſſerere, ac docere, fas non eſſe priuato, quiſnam Hæreticus manifeſtarius ſit, iudicare, eâ nempe ratione atque auctoritate, vt ille vitandus ſit, & à ſubditis fidelitatis officium ſuo Principi Hæretico pariter comperto negari poſſit, de qua quæſtione titulus ipſe propoſitus fuerat, & ibi ex deſtinato diſputat, non autem generatim de quolibet iudicio priuato à forenſi ſtrepitu longè peregrinante, nullâque iuriſdictione, aut in obligandi pœnæque infligendæ, vel meritæ iam renuntiandæ prædito. Quocirca quum *num.* 5. dixiſſet, manifeſtum Hæreticum eſſe, qui nullâ tergiuerſatione celari poteſt, quum factum ſcilicet, & ius eſt euidentiſſimum: ſtatim monet, id verum eſſe, *quantum ad claritatem notitiæ, non tamen quantum ad auctoritatem claritatis, quia etſi quando factum ita notorium ſit, quod nullâ poſſit tergiuerſatione excuſari, executio fieri poſſit, non tamen tenemur ad exequendum, quamdiu Eccleſia, vel Iudex tolerat, ad ipſam enim ſpectat declaratio huiuſcemodi negotij, non verò ad quoslibet priuatos.*

XVI.

XVI. Hinc conſtat planiſſimè per hunc Doctorem priuatis hominibus non quodcunque iudicium, ſed illud tantummodò negari, quod inijciendæ religionis, pœnæque imponendæ Hæreticis, Hæreticosque minimè vitantibus auctoritatem obtinet, non autem cætera iudicia priuata, quæ huiuſmodi auctoritate deficiuntur. Quod prætereà euidenter eo quoque reuinco, quia concedit ibi Gutierrez *claritatem notitiæ* Hæretici manifeſti euidentiſſimam tam quod ad factum, quàm quod ad ius ſpectat, ante quamcunque Iudicis quoque ſententiam haberi. At fieri nequit, vt quis Hæreticus manifeſtus dicatur, talisque Hæretici ius, factumque euidentiſſimum, niſi à priuatis multorum iudicijs ita dicatur, atque exiſtimetur, vt clarum eſt. Imò ipſamet Eccleſia ac Iudices Pontificij nunquam ſuum iudicium contentioſum & publicum exercent, niſi priuata iudicia præcedant. Vnde enim colligunt hi aliquem eſſe manifeſtarium Hæreticum, niſi ex priuatis multorum iudicijs id atteſtantium? & quomodo teſtes rogati ritè ſancteque aſſeuerare poſſunt, Titium v. g. Hæreticum manifeſtum ſe prodere, talemque totâ ab vrbe cenſeri, niſi priùs multorum priuata iudicia talem omninò renuntiârint? Non vetat igitur Gutierrez homini priuato omnia priuata iudicia de Hæretico, ſed illud dumtaxat, quod obligandi ac puniendi vi pollet; ac propterea ſubdit, *Licet executio fieri poſſit, quando factum notorium eſt, non tamen nos teneri* (hoc eſt, obligari) *ad exequendum, quamdiu Eccleſia vel Iudex tolerat.* Hinc infra *num.* 23 nempe ſtatim poſt *num.* 22. præcedentem, in quo dixerat, *nemini priuato licere iudicare aliquem Hæreticum, etiamſi notorius talis appareat, priùs quàm ab Eccleſia id iudicetur, aut per ſententiam declaretur*; hanc doctrinam de iudicijs pœnam irrogantibus tantummodò accipiendam

mox

mox indicans, exertè ait, pœnas non deberi, ne in foro quidem interno, niſi poſt ſententiam.

XVII. Cæterùm etſi manifeſtum Hæreticum, antequàm à Iudice declaratus ſit, nemo, Pontificiæ execrationis diris adactus, vitare cogatur; iure tamen naturali & diuino, qui Fidei Catholicæ inquinandæ, vel abijciendæ, ſi cum eo agat, periculum adit; obſtrictus tenetur; vt ab eo omnino faceſſat. Tum verò de huiuſmodi Hæretico cauendo, priuatim colloqui mutuò, iudicare, conſulere in medium, publiceque eum appellare Hæreticum, & libro emiſſo refellere, ac nominare fas eſt.

§. XVI.

Allata hactenus firmamenta in Hæreticos, qui Catholicorum quoque filij ſunt, ſuâ vi ac robore potiri.

I. Verùm ne quis explanata huc vſque argumenta, nullo negotio eludi à ſe poſſe arbitretur, ſi fortè argutè contendat, ijs illos dumtaxat Hæreticos, qui Hæreticis à parentibus orti, inter Hæreticos vitam degunt, aut certè apud Hæreticos ſaltem Hæreſim palàm ſine fuco profitentur, oppugnari, quos ſanè intento digito Hæreticos nominatim vocare, ac Apologetico elucubrato retundere ius ſit; non autem reliquos, qui Chriſtianis initiati ſacris, ritu & more Catholico inter Catholicos viuunt; monendum hoc loco puto, recenſitis ſupra rationibus vim ſuam ac pondus in vtriuſque conditionis Hæreticos, ineſſe, vt eas ſedulò expendenti facilè liquebit; vt eo etiam validè confirmatur, quod huiuſmodi exceptio inanis omnino, tota merè voluntaria, commentitia & ficta, nullo rationis, legis, ſciti, vel decreti ſtylobate ſubnixa eſt, vt patet.

II. Vnum

II. Vnum tamen diſcrimen vtroſque Hæreti-
cos verè diuidit, quòd qui inter Catholicos more
Catholico agunt, in foro externo *præſumuntur*, vt
aiunt Iuriſperiti, ſeu exiſtimantur Catholici; qui
verò inter Hæreticos more Hæreticorum ætatem
exigunt, Hæretici *præſumuntur*. Cæterùm ſi Ca-
tholici inter Catholicos verſantis *præſumptio*, at-
que exiſtimatio contrarijs Hæreticæ nequitiæ in-
dicijs luculentis, teſſeriſque compertis ab eo ipſo
latis apertè elidatur; iam Catholicus ille Catho-
lici opinione abdicatur, parilique cum natis inter
Hæreticos, atque ex Hæreticis cenſu cenſetur, niſi
quòd iſtius improbitas eo execrabilior eſt, quo to-
ta ex malitiâ fluit, nullumque excuſationis ve-
lum poteſt oſtendere: at Hæreticorum plerique
filij inter Hæreticos ab infantiâ educati, quibus
Catholica Fides legitimè, planè pleneque nun-
quam propoſita eſt, ab Hæreſis crimine præ ine-
luctabili ignorantiâ immunes euadunt, vt disertè
tradunt Valentia 2.2.*diſp.*1. *quæſt.*10. *puncto* 4. *verſ.
Hoc verò procedit.* Sanchez *lib.*2. *Decal. cap.*1. *num.*8.
Malderus 2. 2. *de Fide. quæſt.*2. *a.*7. *ad finem,* Bona-
cina *de legibus diſp.*1. *quæſt.*2 *puncto* 2. *num.*7. & alij
paſſim.

III. Quamobrem quum Martinus Lutherus,
Petrus Martyr, Bernardinus Ochinus, aliaque ſi-
milia monſtra, eiuratâ Catholica religione, ad
Hæreticorum caſtra conuolârunt, Hæretici ſanè,
antequàm etiam à Sede Apoſtolicâ nominatim
proſcriberentur, appellati, librisque agitari multo
magis, quàm ipſimet Hæreticis ſati, ſemperque
cum ijſdem verſati, inculpatâque Fidei Catholi-
cæ ignoratione perpetuò obſeſſi, iure optimo po-
tuerunt. Eademque de reliquis quoque Catholi-
cis ratio eſt, quoties documentis ſatis exploratis,
præſertim libris Hæreticis luce donatis nuntium
Chriſtianæ religioni ſe remiſiſſe, atque in Hæreſim

lapſos eſſe demonſtrant; quos proinde velut Hæreticos pariter & nuncupare, & profligare non minùs, quàm cæteros, tametſi illi ab Eccleſia necdum renuntiati ſint, ſacris Theologis integrum eſt; ſicut etiam alios inter Hæreticos ſemper degentes, quamuis nullâ adhuc cenſurâ ab eâdem Eccleſiâ illaqueatos Catholicis Doctoribus eâdem Hæreticæ appellationis infamiâ notare liberum, & ſolutum.

IV. Vnde Alphonſus à Caſtro *lib. 1. de iuſta Hæret punit. cap. 11.* nonnullos Catholicorum inter Hæreticos hoc nomine referendos ſapienter autumat. *Fateor*, inquit, *me neſcire, quo pacto poſſim aliquos Doctores, qui pro Catholicis habentur, à crimine Hæreſis excuſare, quum in eorum ſcriptis aliquas reperiam ſententias, quæ apertiſſimè, & ex diametro pugnant cum Eccleſiæ definitionibus, & ex eorundem Doctorum ſcriptis conſtat, eas ipſas Eccleſiæ definitiones, quas oppugnant, fuiſſe illis notas.* Sed ante Alphonſum iam pridem Diuus quoque Hieronymus in ea Apoſtoli verba: *Manifeſta autem ſunt opera carnis:* ad Galatas 5. hoc ipſum non obſcurè tradiderat, diſertè ita pronuntians: *Quicunque aliter Scripturam intelligit, quàm ſenſus Spiritûs ſancti flagitat, quo conſcripta eſt; licèt de Eccleſia non receſſerit, tamen Hæreticus appellari poteſt.*

§. XVII.

Expoſitis firmamentis locum quoque eſſe quum Hæreſis palàm damnata non eſt.

I. Hactenus de iuſtâ Hæreticorum nomenclatione à Theologis, quum eorum Hæreſis ab Eccleſiâ apertè iugulata eſt, iure meritoque vſurpanda. Quid verò ſi Hæreſis ab eâdem Eccleſiâ expreſſè damnata non ſit?

II. Tum

II. Tum idem decernendum, ac quaſi manifeſtò ea proſcripta eſt, cenſeo, nec laborioſè oſtendo. Eſto enim. Hæreſis nominatim perempta non ſit. Quæro, num illa nihilominùs Hæreſis reuera eſt, an ſecus? Si Hæreſis non eſt, tunc huius dica certè nemini falsò temereque impingenda, vt conſtat; Sin autem Hæreſis adhuc teſtata eſt, idem ius hanc quoque explodendi, Hæreticique nomine quemcunque, qui eam affectatur, inſigniendi, Theologis, doctisque Viris ſartum tectum manet; quod pariter adducta anteà argumenta perſuadent, tum quia antiqui Patres, & Doctores, Hæretici nomine vocandum ſuo exemplo quemcunque, qui Hæreſim, etſi hæc nominatim proſcripta non ſit, committit, palàm docent; tum quia edictum Sacrorum Quæſitorum iubet quoſuis Hæreticos, vel ſuſpectos de Hæreſi, hoc eſt, Hæreſeos ſiue clarè, ſiue tacitè damnatæ crimine vel ſuſpicione laborantes ad eiuſmodi tribunal deferri; tum quia non ſolùm nulla lex obnuntiat, ſed vix etiam vlla ferri poſſet, quæ id iure vetaret (niſi fortè tum, vbi maius emolumentum faciendum, aut damnum arcendum eam ſuaderet) ſi quidem, etiamſi Hæreſis apertè obtrita non eſſet, adhuc maximum detrimentum in Chriſtianam Rempub. ſi illius exturbandæ, Hæreticique nomen ipſi mordicus adhærentibus imponendi ius de medio eſſet ſublatum, nec Theologis doctisque Viris priuatim conceſſum, redundaret; tum quia hoc eodem iure antiquato, ac dempto, iuſta ſui defenſio, ipſique iniuriæ par, Catholicæ religioni, ac plurimorum innocentiæ, quam vtramque libelli famoſi, Hæreticique fœdè lædunt, iniquè eriperetur; tum demum quia & reliqua documenta anteà enucleata hic pariter militant, vt facilè qui ea omnia accuratè trutinatus, etiam huic quæſtioni aptauerit, recognoſcet.

III. Dixi autem primò: *Etiamſi Hæreſis ab Eccleſia expreßè damnata non ſit*; quia reapſe Hæreſis nulla, quantum quidem ego cognitione aſſequor, eſſe poteſt, quin tacitè ſaltem implicitéque ab Eccleſiâ damnata ſit. Hæreſis quippe materialis, de quâ hîc loquor, eadem ſcilicet, ac propoſitio Hæretica, nihil aliud eſt, quàm error intellectûs voluntarius, veritati Fidei Catholicæ oppoſitus, vt *cap.* 1. *num.* 2. definitum notaui. At huiuſmodi error vel eſt contra definitionem Concilij generalis, vel contra Sedem Apoſtolicam, vt Alphonſus à Caſtro illic laudatus ediſſerit; & tum liquet Hæreſim eſſe manifeſtò ab Eccleſiâ, vel eius primario capite adſpectabili proſcriptum: vel ſacræ Scripturæ, aut totius Eccleſiæ conſenſus, ſeu traditioni diuinæ, aut concordi Doctorum omnium ſententiæ repugnat, vt idem Alphonſus eodem loco probat; & tum ab Eccleſiâ implicitè damnatam eſſe in aperto eſt; quandoquidem eadem Eccleſia damnat implicitè, Hæreſimque decernit, quicquid vel ſacris litteris, vel traditioni, vel concordi Doctorum ſententiæ aduerſatur.

IV. Dixi ſecundò. *Si Hæreſis teſtata eſt.* Quia ſi probabile tantùm eſt, eam eſſe Hæreſim, ac proinde probabile item non eſſe, tum huiuſmodi Hæreſis nota, alicui doctrinæ nonniſi probabiliter inuri poteſt. Sin dubium eſt, an illa Hæreſis ſit, & quidem ita anceps, implexumque, vt firmo iudicio, vel opinioni probabili, neganti Hæreſim eſſe, locum non relinquat; tunc Hæreſis ſuſpicionem, vt ex Alphonſo *lib.* 1. *de iuſtâ Hæret punit. cap.* 4. elicitur, meritò gignit.

V. Hinc de quibuſdam Catholicæ religionis punctis diſſenſiones, non ſolùm inter Catholicos, Hæreticosque, ſed inter ipſos quoque Catholicos mutuæ, ac tam multæ, dum aliqui eorum opiniones nonnullas Hæreſis damnant, eorumque patronos

tronos Hæreticos aiunt: alij contra vtroſque abſoluunt. Hinc Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus in eo, quod de Hæreſibus conſcripſit, opere multas aſſertiones inter Hæreticas retulit, atque Hæreſes eſſe pronuntiauit, quas tamen Alphonſus modò appellatus Capite illo IV. velut Catholicas ab omnibus defendi, iam diſertè teſtatur. Hinc Bernardus de Luthzenburgo Ordinis Dominicani Mopſarabes ſuo Hæreticorum Catalogo inſeruit, quos nihilominùs idem Alphonſus inibi *cap.* 7. verè Catholicos eſſe docet. Hinc olim Diuus quoque Hieronymus *lib* 2. *in Ruffinum*, eundem Ruffinum Monachum & Sacerdotem introductæ Hæreſis inſimulat, cuius tamen lucubrationes tum ab Eccleſiâ minimè notatæ, neque ipſe proſcriptus fuerat, vt perſpectum eſt. Quod planè argumento certo eſt, complures ſententias, atque Auctores, quamuis ab Eccleſiâ non palàm Hæreſis damnatos, à Patribus tamen, atque Doctoribus ex varijs fundamentis, quibus quiſque innitebatur, Hæreſibus, atque Hæreticis fuiſſe annumeratos.

VI. Verùm vt in reliquis delictis, ne quis alterum ſine graui cauſsâ, ad damnum ſcilicet maioris momenti vitandum, vel ad bonum publicum procurandum, temerè infamet, ſedulò cauendum eſt: ita in grauiſſimo Hæreſis crimine id potiſſimùm obſeruandum, ne cui huius labes ſine argumentis neceſſarijs, permagniſque de cauſſis inferatur. Adeoque iure optimo idem Alphonſus *lib.* 1. *aduerſus Hæreſes, cap* 7. & 9. nec non *lib.* 1. *de iuſta Hæretic. punit. cap.* 7. in eos acriter inuehitur, qui pręcipiti linguâ & calamo, Hæreſis, Hæreticiq́; probris alios dedecorant. Qui autem alterum in crimen Hæreſis temerè vocat, Hæreticumque inconſideratè nuncupat, peccat ſanè contra iuſtitiam, quæ ſcilicet famam proximi fœdari vetat, non tamen contra Apoſtolicum edictum de iudi-

cio Hæreſis non exercendo, quod ad forum externum dumtaxat, & contentioſum, vt explicatum eſt, pertinet. Iudicium autem priuatum de Hæreſi, atque Hæreticis, quoties ſolidis argumentis, grauibusque cauſis nititur, quin liceat, Theologis maximè, nemo Catholicorum, quem viderim, inficiatur, nemo niſi imperitus, vt longa diſputatio hucuſque texta perſuadet, negare poteſt; neque ſatis etiam intelligo, quo pacto ſine ingenti temeritate, & Hæreſis fouendæ quoque ſuſpicione id quiſquam negare queat.

VII. Hæc omnia copioſiùs atque vberiùs de hac quæſtione, quam à nullo propoſitam, ac pertractatam (quamuis in veſtigando multus fuerim) reperire potui; aliquorum gratiâ præcipuè, qui nodum in ſcirpo quærunt, enucleare operæ pretium duxi. In quâ ſanè diſceptandâ ſicut nullum ducem, quem ſequerer, nanciſci mihi licuit, ita occaſionem ſaltem alijs, vt feliciùs eam abſoluant, à me oblatam, in ſinu gaudeo.

Cap. IV.

Apologetica Catholicæ Religionis, vel innocentiæ aduersùs Hæreticos, aut Calumniatores ſcripta, non eſſe famoſos libellos, conuincitur.

I. Solidam doctrinam de facultate priuatorum Theologorum propriâ, ſingulares Hęreticos, nec dum etiam à Sede Apoſtolicâ expreſſè damnatos, nominatim editis libris refutandi, nuncupandique hactenus varijs argumentis ac tabulis, tanquam mœnibus ac propugnaculis, quan-

tum conniti potui, circumuallaui. Nunc qui cuniculi contrà ad hæc ſubruenda agi, quæ machinationes ad euertenda admoueri queant, non incuriosè diſpiciendum.

II. Cerno in primis famoſi libelli crimen inuidioſiſſimum ijs affingi: tum quia Imperatores Valentinianus, & Valens l. *vnicâ*, vnà cum Gloſſa *verbo*, ſanè, *literâ* Q. C. *de famoſ. libell.* decernunt capite plectendum, qui alteri crimen quodcunque per famoſum libellum, etſi eiuſmodi crimen detegi publicæ ſalutis Principis, vel Reipub. interſit, exprobrauerit. Tum quia hinc Baldus in eam legem ſancit, nullum prorſus famoſo infamandum libello, ſed Iudicem dumtaxat adeundum ab eo, qui ſcelus, quod obiectat, verum exiſtimat. Tum quia Floridus *Conſ.* 112. *num.* 8. *lib.* 1. multis ſacrorum Canonum Conſultiſſimis, duce *Abbate*, in medium allatis, generatim pronuntiat, quamcunque criminationem alterius, extra Iudicij ſepta adornatam lege vetari. Tum quia Farinacius *quæſt.* 105. *num.* 119. propoſito dubio, an conuicij veritas quemquam pœnæ iniuriarum immunem reddat, recitatiſque Doctorum opinionibus planè tredecim, tandem *num.* 147. & *ſeq* ſi crimen alteri per libellum famoſum vitio verſum ſit, conuicij veritatem nunquam noxæ iniuriarum eximere, vt vt aliter accidat, quum quis nomen alterius infamiæ ſubijcit non ſcripto, ſed verborum tenus, laudatque quod anteà *num.* 141. & *num.* 146. retulerat, vbi pleroſque, qui commune placitum eſſe teſtantur, memorat, ac *de iure* quidem *Canonico expeditiſſimum* cenſet. Subditque *nū.* 148 idem vtroque iure tam in Eccleſiaſtico foro, quàm in profano iam vſitatū, etſi fortè iuris ipſa effata ſeueriùs expenſa, ſecùs iubeant, aut certè ſufflamini ſint obnoxia. Tum denique quia Boſſius in *Tit de iniur.* *nū.* 4 *verſ. nec obſtat*, adducto Romano *Conſ* 96 *nū.* 2.

 eandem

eandem doctrinam amplectitur, fidemque facit, omnes exiſtimare nefas eſſe, verum crimen etiam, extra iudicium per libellum famoſum, quamuis illud detegi Reipub. interſit, vulgare; pauloque pòſt *verſ. Aduerte tamen*, ait, *ſe in hoc non reperiſſe contradictorem.*

§. I.

Famoſi libelli infamiam Apologeticis inuſtam perperam, ipsâmet famoſi libelli definitione aboleri.

III. Verùm quàm caſſo labore tota hæc moles extruatur, vel ſolâ ipsâ libelli famoſi definitione liquere poteſt. Famoſus quippe libellus, vt Angelus, & Silueſter in *Summa Verbo, libellus famoſus*, definiunt, nihil aliud eſt, niſi *compoſitio in ſcriptis facta in infamiam alicuius, eius, quod quis probare non vult, & in publico iactata.* Quam definitionem probat quoque Farinacius *q.* 105. *num.* 421. affirmatque eſſe *ſecundùm Doctores.* Atqui in Apologeticis Auctores toti in eo ſunt, vt, quàm maximè poſſunt, crimina calumniarum, atque Hæreſeon probent, oſtendantque, tantum abeſt, vt nolint. Igitur famoſi libelli definitio ac probrum illis hærere non poteſt. Quæ ſanè ratiocinatio eos, qui huiuſmodi definitionem recipiunt, & nihilominùs in famoſi libelli crimen Apologetica vocare non dubitant, penitùs iugulat, vt in confeſſo eſt. At ego hanc definitionem mancam omnino ac mutilam eſſe iudico, eoque facilè vinco, quòd infamia alteri non ſolùm, quum hæc non probatur, ſed multò magis quum ipſa argumentis probatur, vt pateſcit, irrogatur. Imò in iudicio ipſo forenſi, vbi crimen documentis oſtenditur, infamiâ reus laborat illic, vbi verò probationes deficiunt, libelli conditor capite plectitur, & *talis*

libellus

libellus famam eius, in cuius ignominiam compoſitus erat, non lædet, inquit Gloſſa *Si quis, C. de famoſ. libell.* Quum igitur fœdior infamia è crimine probato, quàm non probato proficiſcatur, haud dubium, quin illa ſcripto exarata famoſi naturam libelli multò magis, quàm iſta, induat.

IX. Quocirca meliùs Theologi libellum famoſum ſcripturam eſſe, occulta alicuius crimina ad probrum aperientem, conſentiunt, Ludouicus Molina *de Iuſt. tract.* 4 *diſp.* 35. *num.* 2. vbi egregiè monet, *Quando res, quam ea Scriptura continet, iam erat publica, non habere rationem libelli infamatorij*. Vincentius Reginaldus *lib.* 24 *Fori pœnit num.* 116. Bonacina *de Contract diſp.* 2 *quæſt.* 4 *puncto* 9. *num.* 1. vbi Finellum citat, & alios; Filiucius *tract.* 40. *cap.* 3. *num.* 79. vbi ait, eſſe *Scripturam, qua defectus proximi manifeſtantur*; nonniſi enim, quæ occulta ſunt, produntur. Subſcribunt Rebellus quoque *de obligat. Iuſt par.* 1. *lib.* 4. *quæſt.* 7. *num.* 1. & Malderus 2. 2. *tract.* 7. *cap* 1. *dub.* 6. vbi dicunt, eſſe *Scripturam, quâ fama proximi iniuſtè læditur.* At quando delictum publicum eſt, iam illa deperdita eſt, vel cæſa, adeoque libello iniuſtè non læditur, nec lædi, niſi quid clancularij dedecoris retegatur, poteſt.

V. Hanc eandem conditionem ad libelli famoſi notam ſubeundam, vt crimen, aut vitium, quod ſcripto alicui impingitur, abditum ſit, neceſſariò requirunt omnes illi Doctores, qui actione iniuriarum negant teneri eum, qui alium iam vulgo infamem infami appellauit nomine, vt Mirtillam meretricem totâ vrbe notam, quemadmodum tradunt Angelus in l. *item apud Labeonem* §. *interdum, num.* 1. ff. *de iniurijs*, Beluſius *in pract. lib.* 1. *cap.* 3. *rubr. de iniur. num.* 76. & llij. At extra controuerſiam eſt, libellum famoſum niſi grauem inferat iniuriam, nullum eſſe poſſe, vt Romanus *Conſ.* 378. Bertazzolus *Conſ.* 135. *num.* 3. Cephalus

*Conſ.*341 *num lib.*3. & Farinacius *quæſt.*105. *nũ.*491. obſeruant, quorum poſtremus addit, omnia iura, atque Doctores ita cenſere. Cuius dicti ratio ineluctabilis in promptu eſt, quia quum iniuria ſit velut genus, & famoſus libellus inſtar ſpeciei, atque illa reſpectu huius, veluti animal reſpectu hominis ſe habeat; ſicut non omne animal homo eſt, ita nec omnis iniuria eſt famoſus libellus; turſumque quemadmodum nullus poteſt eſſe homo, quin ſimul animal quoque ſit; ita nec libellus famoſus, niſi iniuria quoque ſit, ſeu niſi iniuriam faciat. Igitur illi Doctores, qui actione iniuriarum eum, qui Mirtillam vulgati corporis ſcortum publicum, meretricem vocat, teneri inficiantur, illum libellum, qui delicta publica tantùm & manifeſta refert, non eſſe famoſum, dare neceſſe habent, ſiquidem huiuſmodi libellus iniuriæ expers eſt, neque cum damno alterius, famam iam infamatam, vt palàm eſt, infamat.

VI. Haud ignoro, Angelum in l.3. C. *de in iur.* Minſingerum *Conſ.*7.*num.*29. & Farinacium *q.*105. *num* 262. diſſentire, quòd eo caſu operæ pretium Reipub. eſſe nequeat, vt crimen publicum innoteſcat, quum iam notum ſit, neque vlli vſui eſſe queat, niſi vt contumeliam edat, adeoque animus tantùm iniuriæ iniungendæ exiſtimetur. Eſto. At ſaltem, ſi compertum ſit, Scripturam, quæ publica alicuius ſcelera recenſet (famam honeſti viri iniuſtè alioqui læſura) à probo viro ſine malo dolo, iuſtamque ob cauſſam fuiſſe elucubratam, ratio omnis iniuriæ Angelo quoque & Farinacio arbitris, ceſſabit; ac proinde etiam libelli famoſi, vt planum eſt; adeoque vbi tria hæc concurrerint, crimen publicum, iuſta neceſſitatis, vel commodi cauſſa, animique probi exiſtimatio, iniuriæ famoſoque libello locus per vtriuſque ſententiæ patronos eſſe non poteſt.

VII. De-

VII. Deinde idem Farinacius *Conſ.* 30. *num.* 90. *notorij iuris* & facti, vt appellat, enucleatâ diſtinctione, quando delictum maiori parti populi manifeſtum eſt, annuit libelli famoſi piaculum non eſſe, quòd tum famæ alterius non detrahatur quicquam, neque dedecus cuiuſquam prodatur. Nec ſanè obeſt, quod idem Auctor *q.* 105. *num.* 428. vbi pœnam libelli famoſi, qui in notam meretricem vulgatus eſt, ait mitiorem eſſe debere, aliter ſentire videatur. Nam eo loco tum dumtaxat libelli famoſi crimen agnoſcit, quum ſcripto meretrici fit aliqua iniuria, ſine quâ famoſus libellus nullus eſſe poteſt, vt conſtat. Atqui meretrici publicæ iniuria eo non fit, quòd eius crimen publicum literis mandetur, ſiquidẽ fama illius iam profligata, turpi meretricis appellatione nihil prętereà læditur, neque ipſa hoc tantùm nomine offendi iure poteſt, ac proinde libellum famoſum hinc tantummòdò concinnare licet. Quare iniuria, quæ illi nihilominùs fit aliquando, alio reſpectu fiat, neceſſe eſt, vt patet; eo ſcilicet, quòd publicum flagitium illi per libellum famoſum cum ignominiâ exprobratur, eiusque ius, ne ſibi ita exprobretur, apertè violatur: adeoque is, qui hoc pacto illi crimen eiuſmodi exprobrat, animum iniuriæ, & contumeliæ faciendæ præ ſe fert, & reapſe facit, proptereaq; meritò etiam famoſi libelli Auctor habetur, quanquã leuiùs, quàm quum in hominem honeſtũ ſcripto inuadit, punitur. Verùm vbi publica infamia ſimpliciter, & candidè, ſine praui animi indicio, vel contumeliæ faciendæ ſuſpicione, ex iuſtâ perſpectâque cauſsâ refertur in tabulas, luciq; creditur, longè alia ratio eſt, quum nullum iniuriæ veſtigium, ideoque nec famoſi libelli tum reliquum eſſe queat, vt Farinacius quoque priore loco *Conſ.* 30. *num* 90. relato non obſcurè ſignificat. Hæc de facti notitiâ.

VIII. Quid verò vbi crimen ſolâ iuris notitiâ compertum eſt? Turrianus cum nonnullis alijs *de Iuſt diſp.53. dub* 3. cenſet, ſi delictum alio in loco narretur, ad quem probatæ ſententiæ cognitio, præ magno interuallo nullâque commercij communicatione ægrè erat peruentura, id nefas eſſe. At ego notitiæ ipſius iuris duplicem conditionem diſtinguendam, obſeruandamque exiſtimo. Vel enim Iudex in Reum certum, atque à ſe agnitum publicam ſententiam damnatoriam pronuntiauit; vel non pronuntiauit. Si pronuntiauit, integrum cuique ac ſolutum arbitror, eiuſmodi ſententiam quocunque in loco, vltra Garamantas etiam & Indos publicare. Quod eo perſpicuè dilucet, quia Iudex, ſicut Reo damnato bona externa, & vitam quoque pœnæ nomine iure aufert, & alijs eandem auferendi ab illo poteſtatem meritò dat: ita etiam ad ſcelus vindicandum famam eidem Reo poteſt ipſe pœnæ item nomine eripere, vel per alios eripiendam curare. Quocirca vbi ſententiam publicè in eum tulit, poſſet eam typis mandare, publicis baſilicis affigere, atque ad longinqua omnia loca, quò omnibus enoteſceret, tranſmittere; adeoque dum publicè eam fert, cunctis facultatem indulget, vt eam vbilibet publicare queant. Quin imò hoc ipſum quoque, vt vbique eadem, quoad fieri poteſt, publicetur, expetere videtur. Vnde fit, vt ſinguli facultate publicandi criminis & pœnæ quouis in loco, etiam remotiſſimo, ſaltem ex Iudicis voluntate, potiantur, & quamuis famam Rei ita lædant, crimen illius & pœnam vulgando; iure tamen ſuo, & poteſtate ab eo, qui poteſt, factâ illam lædant. Quam doctrinam pulchrè ediſſerit, traditque *Cardinalis* de Lugo *tom.1. de Iuſt diſp* 14. *ſect.6. num* 72. eiuſque patronos Caietanum, Maiorem, Azorium, Molinam, Sa, Fagundez, Filliuzium, Lublinum, Dia-

nam *num* 71.laudat,ac refert, nec Farinacius *Conſ.* 30.*num* 90. vt mox liquebit, diſſentire poteſt.

IX. Sin autem damnatoria ſententia publicè à Iudice pronuntiata non eſt, ſed crimen à Reo dumtaxat in iudicio confeſſum, vel legitimis teſtibus plenè probatum eſt, non verò publicatum; non poteſt id neſcientibus aperiri, niſi eâ ratione, & cautione, quâ cætera, quæ occulta ſunt, ex iuſtâ cauſsâ nonnunquam produntur. Quippe in hoc caſu ante latam publicè ſententiam facultas publicandi delicti nondum ab eo, qui illam dare poteſt, reapſe data eſt. Quamobrem etiamſi crimen Iudici ſatis oſtenſum ſit, vel ex propriâ Rei confeſſione conſtiterit; dum tamen occultum, non eſt, cur magis liceat id alibi, vel apud alios publicare, quàm reliquas res arcanas; quandoquidem tota ratio, cur poſt ſententiam publicari queat, auctoritas ſcilicet publica Iudicis concedentis ius ſingulis præſtandi id, quod ipſe facere potuiſſet, hîc, vt clarum eſt, penitùs ceſſat. Quo ſanè pacto commune Theologorum placitum idem *Cardinalis* de Lugo aptè interpretatur, aut temperat, diſerteque Farinacius *Conſ.* 30. *num* 90. ſæpius commemorato docet, vbi, quum delictum ſoli Iudici, Actuario, ac Litigatoribus notum eſt, negat poſſe toti populo citra iniuriam detegi.

X. Quod ſi ſententia à Iudice lata quidem eſt, etiam in iudicio & foro externo, non tamen publicè omnino, ſed eo conſilio vt infra limites alicuius communis maneat; vt ſi Religioſus Antiſtes aliquem è ſubditis iuridiciali ſententiâ damnet, ac multet; haud ſanè fas eſt, huiuſmodi piaculum extra tale commune Ordinemque enuntiare; vt cum Molinâ idem *Cardinalis* inibi *num*.73. auctor eſt, fuſiusque *num*.74. & *ſeqq.* explicat.

XI. Porrò vbi certum eſt, probato iam crimine, Reoque conuicto, ſententiam damnatoriam

à Iudice paulò pòſt eſſe pronuntiandam; ſi quis ante hanc illud euulget, lethiferâ noxiâ idcirco obſtrictus minimè videtur, quum eâ publicationis modicâ anticipatione graue damnum Reo non inferat, vt cum Molinâ rurſum idem *Cardinalis, ibid num.* 79. ſancit. Hæc de iuris notitiâ.

XII. Ex quibus manifeſtum eſt, quoties ſiue publico facto, ſiue publicâ damnatoriâ ſententiâ probra criminum & Rei noti vulgata ſunt, ab eo, qui hæc memorat, refert, aut ſcribit, niſi quam aliam iniquam circumſtantiam addat, iniuriam eidem Reo nequaquam fieri, ac proptereà nec famoſi libelli culpam committi poſſe.

XIII. Verùm eadem occulti delicti conditio ad famoſi libelli piaculum contrahendum neceſſaria, ſuadetur prætereà ex communi ſcito Doctorum, qui, vbi Reipub. expedit manifeſtari flagitium, actione aut pœnæ iniuriarum negant teneri eum, qui alteri id verè obijcit, tritâque Sanctione l. *eum, qui nocentem*, ff *de iniurijs*, nituntur, vbi dicitur: *Peccata nocentium nota eſſe, & oportere, & expedire*, nec damnari debere, *qui nocentem infamauit:* quemadmodum expreſsè decernunt Bartolus, Cynus, Azo, Hoſtienſis, Abbas, Iaſon, Briſcien. Afflictus, Baldus, Salycetus, Socinus, Alexander, Boërius, Bitur. Villalobos, Clarus, Suarez, quos quidam Iuriſconſultus apud Farinacium *Conſ.* 30 *num.* 156. recitat, conſpirantque Bellapert. Angelus, Aretinus, Ioan. Fab. Nicaſ. Anan Felynus, Io. Andreas, Oldradus, Gramaticus, Ludou. Bologninus, Ignatius Lopez, Iodocus, Boſſius, Fabius à Monteleone, Antonius Gomez, Andreas Gayl, Viuius, & Andreas Fachineus, quos idem Farinacius *q.* 105. *num.* 126. recenſet. Atqui alterum nemo infamare poteſt, niſi delictum eius, quod enuntiat, abditum ſit; ſi enim id eſſet publicum, iam ille eſſet infamatus. Igitur quum ſcelus eſt verum, occultumque,

que, ſi Reipub. intereſt id prodi, iniuria alteri, tot ampliſſimis Iureconſultis arbitris, nulla planè irrogatur; adeoque nec famoſus libellus tum cudi poteſt. Quod demum confirmo è Gloſſa l. *vnicâ*, C. *de libellu famoſ. lit.* A. vbi ait: *Sed nec alijs licet pandere per libellum famoſum, ſed in iudicio accuſet*: quibus verbis materiam famoſi libelli, nonniſi occulta crimina, quæ ſola pandi poſſunt, non autem publica eſſe, perſpicuè indicat.

X I V. Quibus ſolidè iam ſtabilitis, palàm efficitur, illa Apologetica, quæ calumnias, Hæreſesúe ab exploratis Calumniatoribus, aut Hæreticis compoſitas, vulgatisque Codicibus inhalatas diluunt, famoſos libellos (quoties I. crimen calumniæ, vel Hæreſis publicum eſt, vtpote publico libro exaratum. II. Iuſta & neceſſaria cauſſa tuendæ innocentiæ, vel Catholicæ religionis vrget. III. Mens & conſilium ab omni prauo affectu libera ſunt) eſſe non poſſe. Vbi namque tria hæc Scripturam ſcelerum exprobratricem muniunt, vtcunque eadem ſcelera ſingularibus quoque hominibus culpæ ab illa dentur, iniuriæ crimen eidem affingi, ex ſententiâ Doctorum omnium non poteſt, ac propterea nec famoſi libelli.

X V. Imò verò quamuis crimen Hæreſis abditum ſit, aut Hæreticus ipſe occultus: quando Inquiſitores neque hunc frænare, quia in poteſtate habere nequeunt; neque illud coërcere omnino ac penitùs extinguere, quia Hæretica lues, Auctoris nomine ſuppreſſo, aut perſonato codicillis euulgata graſſatur, poſſunt; qui eiuſmodi clancularium Hæreticum certo ſibi compertum non ſolùm ad Sacrum Quæſitorum tribunal defert, ſed publicato etiam Apologetico cunctis manifeſtat, & famam eius grauiter lædit, nullā tamen ei facit iniu-

riam;

riam; tum quia huiuſmodi criminis Auctorem vulgò detegi, Reipublicæ Chriſtianæ valde intereſt; tum quia ad graue Catholicæ religionis damnum, quod ei ab occulto Hæretico imminet, neque aliter auerti poteſt, arcendum, iúre ſuo famam illius infamat, vt ex ijs, quæ paulò antè *num* 13. & ſuprà *cap.* 3. §. 15. *num.* 11. notaui, exploratum eſt: ac proinde quum ita eum infamando nullam iniuriam illi irroget, neque famoſi libelli Auctor, aut faber eſſe, vel dici poteſt, vt conſtat.

§. II.

Famoſi libelli labem arcent obiecta crimina, quæ non ignorari Reipub. intereſt, & Principi, vel Iudici probantur; aut Apologetica ipſa, quæ ab Auctore extra ſuſpicionem iniqui animi poſito elucubrata eſſe conſtat.

I. Iam duplici inſuper aggere, præter definitionis vallum, legitima Apologetica, ne famoſi libelli labe notari queant, mihi circumſepienda ſunt.

II. Nam primò, quando crimina, quæ in libello carpuntur, vera ſunt, & ea prodi Reipub. conducit, Iudicique, aut Principi probantur, huiuſmodi exprobrationem & libellum eſſe extra noxiam libelli famoſi, aſſeuerant vnanimo conſenſu Doctores omnes, Albericus, Oldradus, Cynus, Hoſtienſis, Ioan. Fab. Abbas, Felynus, Antonius de Butrione, Io Andreas, Socinus, Azo, Auguſtinus, Romanus, Diaz, Boërius, Aufrer. Boſſius, Gayl, Suarez, Magon. Graffis, quos refert Farinacius *quæſt.* 105. *num.* 232. vbi animaduertit hac de re inter cunctos planè conuenire; cui ſententiæ ipſe

quoque

quoque *num* 247. infrà ſubſcribit, legesque ſcita, & iura ad eius patrocinium recitat. At Apologetica, quæ calumnias, aut Hæreſes firmiſſimis documentis refellunt, vera flagitia, & quæ retegi expedit Reipub. perſequuntur, &, quum Sacris Quæſitoribus, Epiſcopis, ac Principum miniſtris ad facultatem, antequam edantur, impetrandam, cenſenda porriguntur, ijſdem quoque, velut legitimis Iudicibus eadem ſatis probant. Igitur à famoſorum libellorum contubernio, ac probro, ex placito Doctorum omnium longè diſcedunt.

III. Deinde. Quamuis Farinacius eâdem *quæſt.* 105. totâ *Inſpectione* 5. & 4 tam operosè contendit, nefas eſſe verum crimen, etſi Reipub. proſit, id manifeſtari, per libellum famoſum cuiquam obiectare; tamen *num.* 123. vnà cum Bellaperticâ, Cyno, Alberico, Salyceto, Nicaſio, Felyno, Socino, & Angelo ingenuè fatetur, famoſum libellum, quum animus Auctoris, à quo ſcriptus ille eſt, deprauatus minimè exiſtimatur, ſeu præſumitur, nequaquam eſſe. Quod etiam eo oſtenditur planiſſimè, quia nulla iniuria ſine prauo affectu animoque fieri poteſt, vt apertè ex legum ſcitis Alexander, Salycetus, Angelus, Albericus, Auguſtinus, Romanus, Grammaticus, Aymon, Boërius, Corradus, Myſingerur, Baiardus, Maſcardus, Claudius, Hondedus, & Surdus, quos memorat, & probat idem Farinacius *loc cit. num.* 111. & *ſeq.* decernunt, & Baldus quoque Crauetta, & Bertran. quos Bernardinus Biſſa apud eundem Farinacium *Conſ.* 30. *nũ.* 41. adducit, ac ſequitur, confirmant. Sine iniuriâ autem famoſum libellum conflari non poſſe, iam ſuprà §. *num.* 5. à me demonſtratum eſt.

IV. Sed quo pacto vitioſum affectum ab Auctore libelli abſuiſſe probari poteſt? coniecturis ſine dubio variâque exiſtimatione, & quidem tam validè, vt etiamſi verba ipſa vel facta ſuâpte naturâ

turâ ſint iniurioſa, ac proinde in dubio mens iniuriæ cupida præſumatur; nihilominùs per coniecturas eo faciendæ iniuriæ conſilio non fuiſſe edita, vel patrata vincatur, vt docet Bellapertica in l. *Si non conuicij, verſ. Et probabit*, C. *de iniur.* & ibi etiam Cynus *num.2. verſ Dices modò.* & Angelus *num.3 verſ Et ideò incumbit.* Io. Andreas *in addit. ad Specul in tit de iniur. verſ. Per circumſtantias enim.* Felynus in C. *Quum te, num. 18. verſ. Si quod cognoſcitur ex coniect. de ſent & re iud.* Beluiſ. *in pract. lib. 1. cap. 3. de iniur. num. 3.* & plerique alij, quos Farinacius *quaſt. 105. num. 117.* & 121. enumerat, & commendat.

V. Atqui quoties crimina alicui iuſtâ ex cauſâ obijciuntur, toties *æquiſſimum eſt,* Couarruuiâ teſte *lib. 1. variar. cap. 11. num. 6. verſ Tertiò ad præmiſſa* vnà cum Oldrado, Io. Andreâ, Abbate, Romano, Ripâ, Speculatore, Martino Nauarro, quos illic laudat *præſumere, non animo iniuriandi, ſed ex cauſſa contigiſſe.* Quod etiam è generali Legum, & Doctorum pronuntiato, eam ſanctionis interpretationem, quæ delictum excludat, quoties legitima aliqua cauſſa, ex quâ factum manare potuit, præſto fuit, præferendum eſſe, ſciſcente perſpicuè efficitur, vt elicitur è l. *Inter omnes, § rectè. ff. de furt.* & tradunt disertè Menoch. *lib. 1. de arbitr quaſt. 90. num. 25.* Marſilius *Conſ 7. num. 13.* & 25. *in rubr de fideiuſſ. num. 47.* Ruinus *Conſ. 145. num. 10. lib. 3.* & Auguſtinus Lazarinus apud Farinacium *Conſ 30. num. 53.* Quanquam enim quum verba ipſa naturâ ſua indifferentia non ſunt, ſed iniurioſa, malus animus inferendæ iniuriæ ex l *Si non conuicij,* C. *de iniur.* præſumitur, quemadmodum Romanus *Conſ. 96. num. 4.* &, ibi Mandoſius *in addit lit. B.* Socinus *Conſ. 146. poſt. num 7. lib. 1.* Auguſtinus *in addit. ad Angel de malef in gloſ verba iniurioſa, num. 3* Decianus, Craueta, Ioſephus Ludouicus, Petrus Grego-

rius,

rius, Paramus, & alij apud Petrum de Auiles contra Ioannem Spinum *art.4.num.479.*vſque ad 477 vbi egregiè ac luculenter id probat,cæterique omnes à Famiano Centolino aqud Farinacium *Conſ. 30.in addit.lit.*L. commemorati inter ſe concinentes, Auctores ſunt: id tamen intelligitur neceſſariò tum dumtaxat verum eſſe, vbi nulla coniectura,vel præſumptio fortior, quæ huiuſmodi verborum præſumptionem elidat, ad manum eſt; nam vbi hæc adeſt,ſecus omnino cenſendum. At enim cauſſa iuſta tam potens eſt, vt etiamſi verba ipſa ſint iniurioſa, nihilominùs ab actione iniuriarum ſemper liberet, vt dilucidè ſtatuunt Bartolus in l. *vlt.num.7.* ff.*de hæred inſtit.* Cœpol.*Conſ crimin.70. num.13.* Claud *ad Bertaz.Conſ.175 lit.*A. Surdus *deciſ. Mantuan.89.num.29.* Boërius *Conſ.4.nũ.43.* Aymon. *Conſ.9.nũ.56.* multoq́; magis idem ſentiunt, qui iniuſtam quoque cauſſam ad iniuriam excuſandam ſatis eſſe arbitrantur, Anton.Gomez *Tom. 3.variar.reſol.cap.6.rubr.de iniur num.2. verſ aduertendum tamen* vbi pleriſque alijs recitatis commune ſcitum eſſe teſtatur,Alexander *Conſ.112. num.4. verſ. item iſte teſtis*, Ruuius *Conſ. 145. num.16. lib.5.* Io. Andreas *ad Speculatorem in tit. de iniur. verbo, Concipitur, verſ propter quod*, Oldrad.*Conſ.53. num.3. verſ.imò quandoque*, Aymon. *Conſ.386 num.20.* Puteus *Deciſ. 52. num. 2. lib. 3.* Boſſius *in tit. de iniur. num.3.fin.* Quocirca eadem iuſta cauſſa & prauum quoque animum depellat, ſeu praui animi exiſtimationem perimat, neceſſe eſt, alioqui è prauo tantùm affectu iniuriarum reum,qui vērum etiam crimen exprobrat,fieri,& res ipſa loquitur,& Alexander de Neuo *Conſ.82. num.5.* Romanus *Conſ.96.* Ant.Gomez *Tom.3 de delict.*C.*6.de iniur.* Oldradus *Conſ.53.* Io. Andreas *in additionibus in tit de iniur.* Couarruuias *variarum reſolut cap. 11. poſt. num. 6. verſ. primum iniuriarum actione propoſita.* Abbas,

&

& Felynus, & alij in C. *Quum te, de re iud.* Plac. *in Epitome delictor. cap* 1. *num.* 4. & *ſeq* obſeruant, probantque tum ex l. *Iuſtiſſima*, C. *de offic. Rect.* tum ex l. 2. C. *quan. & quib. quart. part.* lib. 2. tum ex *cap.* 1. *fin.* 15. *quaſt.* 6. Demum qui aliud pro Reipub. honore agit, quamuis alium lædat, non teneri actione iniuriarum, quia iniuriæ irrogandæ præſumptio ceſſat, ſancit l. *Quod Reipub.* ff. *de iniur.* & docet Decius *Conſ.* 487. *num.* 54. & Bartolus in l. *Eum, qui nocentem*, ff. *de iniur.* cuius opinionem communem eſſe pronuntiat Alexander *in* l. 3. *col* 2. ff. *de liber & poſthum.* quibus accedunt quoque Boërius *Conſ.* 4. *num* 36. *verſ. teneo opinionem*, Gomez *de delict. tit de iniur cap* 6. *num.* 2. Tolet *Tom* 1 *Conſ.* 102. *num* 7. Clarus *in pract* §. *Iniuria, verſ Item quæro*, vbi pleroſque alios etiam refert. Iam verò in componendis Apologeticis duplex omnino cauſſa grauiſſima, & iuſtiſſima tum Catholicæ religionis ab erroribus, variâque Hæreſi vindicandæ, tum innocentię aduersùs calumnias propugnandę maximè vrget, Reique publicæ honori ac commodo ſummoperè velificatur. Ergo hinc clarè ſyncerus animus apertiſſimis præſumptionibus teſtatus emicat, ſtudiumque egregium de Chriſtianâ Reipub. bene merendi, quacunque prauâ affectione ſubmotâ, probatur. Quocirca vbi peruerſi infenſique animi nulla rima patet, ſed pacati & recti indicia pellucent, iniuria nulla nidulari poteſt; ac proinde neque vllus famoſus libellus hoſpitari.

§. III.

§. III.

Famoſi libelli probro Apologetica, præ ſolâ verborum ac ſententiarum aſpredine ac vehementiâ non eſſe obnoxia.

I. Verùm libros Apologeticos, famoſi libelli cruci, forceps illa, præter alias iam adhibitas, refigit quàm fortiſſimè, quòd ij conuiciorum & contumeliarum Rei, vnde in famoſi libelli crimen lubricus valde & pronus lapſus eſt, incaſſum poſtulantur.

II. Nam primò, Si ratio iniuriæ, ſine quâ nullus libellus famoſus, vt ſæpius dixi, coagmentari poteſt, adeoque ſi & ipſius quoque libelli vis ac forma à conuicijs & contumelijs materiatis tantùm, cæteris attributionibus omnino neglectis, petatur; tum & Prophetarum quoque oracula, & Apoſtolorum chirographa, & veterum Patrum monumenta, & Catholicorum Doctorum lucubrationes, & ipſa etiam Chriſti Domini Euangelia famoſorum libellorum infamiâ neceſſariò laborabunt, quod nemo ſine effræni impudentiâ, immanique mendacio affirmauerit vt integrâ operoſâque diſputatione in meis *Vindicijs* toto *cap.* 10 demonſtraui. Nam in his quoque conuicia materiata & contumeliæ, vt illic patefeci, hoc eſt, verba auſtera admodum, dura, præfracta, rigida, acria abunde ſuppetunt; ideoque ſi hæc ad contumelias, & conuicia formalia fabricanda; ac proinde ad famoſos quoque libellos condendos ſatis ſunt; iam famoſi libelli dica turpiſſima, Vatibus, Apoſtolis, Patribus, Doctoribus, Chriſto ipſi ineluctabili neceſſitudinis malleo impingetur, quod nonniſi delirus, atque impius aſſeuerabit.

III. Sed fortè eſt hic, qui intercedit, priſcosque Patres facilè excuſatos eo autumat, quòd illorum tempeſtate ſanctiones quà ſacræ, quà profanę, quæ huiuſmodi ſcripturas acerbas, ac mordaces vetarent, nec dum latæ fuerant, ac propterea in has ipſi delinquere non poterant. At effugium inane prorſus eſt. Nam I. etſi is color Patres piaculo talium legum violatarum eximit, non tamen crimini irrogatæ iniuriæ, iniurioſique animi, ſine quo ea non irrogatur; neque obtrectandi vitio, ſine quo famoſus libellus non exefficitur; quum naturalis lex, & diuina, iniurias, obtrectationes, famoſosque libellos ſemper prohibuerit: Quocirca antiqui Patres, quanquā in leges ciuiles, & ſacrorum *Canonum* ſcita nondum nata, eiuſmodi ſenticoſis Apologeticis emiſſis nihil peccâſſent, peccâſſent tamen in legem ipſam naturalem & diuinam, quod certè Catholicæ aures de viris ſanctiſſimis ſine graui horrore audire non poſſunt. II. Lex Cornelia, & cæteræ de iniurijs & famoſis libellis, præſertim illa Valentis & Valentiniāni C. *de famoſis libellis* iam antequàm B. Petrus Damiāni, D. Bernardus, Venerab. Petrus Cluniacenſis lucem adſpicerent; ac priùs, quàm D. Hieronymus & Ruffinus, S. Cyrillus Alexandrinus, & Theodoretus ſcriptis mutuò inter ſe dimicarēt, vt ex Bellarmini *Chronologia* liquet, extabant; nec ſolùm ciuilia interdicta, ſed Eccleſiaſtica quoque ſcita nonnulla, iam tum eâdem de re vigebant. Quum igitur ij Apologias, ac libros adeò aculeatos in alios nominatim nihiloſeciùs ediderint, vt in *Vindicijs* eodem loco reuici, à libellorum famoſorum crimine & pœnis, ſi ſola verba conſiderentur, immunes minimè ſunt, quod eſt abſonum, nec ferendum. Neque refert, quòd Bernardus, Damianus, Petrus Cluniacenſis, & alij nomen Hæretici, ac notam ſuis Aduerſarijs non imponant, quandoquidem ad famoſi libelli

delictum

delictum faciendum, pœnasque merendas ſatis eſt, ſi verba ipſa peracria exiſtimationem alterius grauiter lędant, etiamſi Hęretici nomen ac tętrius probrum non ingerant, vt ex cunctis Iuriſperitis compertiſſimum eſt. III. Præter Patres, adhuc reliqui ſunt Prophetæ, Apoſtoli, Chriſtus Orbis Aſſertor, in quorum ſacra volumina nihil iuris, nihil poteſtatis vllis humanis legibus (quamuis tum ſancitæ fuiſſent) neque fuit, neque eſt, neque eſſe poteſt. Et tamen ea quoque, ſi nuda verba ſpectentur, quòd hæc ſubinde aſperrima ſint, in famoſos libellos neceſſariò transſcriberentur, quod eſt fanaticum, & ſacrilegum.

IV. Secundò. Innumeri ferè Scriptores Catholici Apologetica ſuos in Aduerſarios, quos certis & proprijs nominibus diſtinctè exprimunt, cum ſolitâ facultate Præſidum luci commiſerunt, ac publicârunt, in quibus multa criminantur, multa exagitant, multa vitio ijſdem aduerſarijs vertunt, verbisque peracerbis carpunt, ſugillant, explodunt; & nihilominùs in Chriſtianâ Republicâ ſine vllâ notâ, vel exceptione permittuntur, vt conſtat. At quicunque hæc eâdem menſurâ acrium dumtaxat verborum metietur, in totidem planè libellos famoſos neceſſariò omnino referet. Sed profectò non ſine graui tot tantorumque virorum & doctiſſimorum, & integerrimorum iniuriâ; & cum apertâ tum Epiſcoporum, tum Inquiſitorum vbique locorum, quòd eiuſmodi famoſos libellos tam multos probauerint, datâque facultate typis imprimi ſiuerint, ſugillatione; quin etiam cum non leui Sedis ipſius Apoſtolicæ, quòd tantam famoſorũ libellorum minimè vetitorum multitudinem cum ingenti Eccleſiæ detrimento graſſari, magnâ ſanè oſcitatione patiatur, dehoneſtamento. Quæ cuncta ſunt duriſſima, & audaciſſima, & falſiſſima, nec vllo modo toleranda.

V. Ter-

V. Tertiò. Nomen ipſum Hæretici maximam infamiam naturâ ſuâ ei, qui talis renuntiatur, irrogat, vt copioſiſſimè, atque eruditiſſimè docet Farinacius *de Hæreſi quæſt.* 189 *num.* 40. 54. & 55. At ſi famoſi libelli ad normam tantùm materialium conuiciorum, ſeu abſciſſorum mordaciumque verborum exigantur, erunt pariter famoſi libelli omnia Catholicorum monumenta Doctorum, quæ Ario, Neſtorio, Eutycheti, Luthero, Caluino, cæterisque Hæreticis à Sede Apoſtolicâ nominatim ac ſingulari latâ ſententiâ iam damnatis nomina Hæreticorum palàm tribuunt, quod certè dictu nefas eſt, nec paruâ multâ multandum. Conſequentiam oſtendo planiſſimè, ac facillimè. Quia damnatoria illa ſententia à Iudice in certos Hæreticos pronuntiata, iſtorum contumeliam atque infamiam non tollit, neque imminuit, ſed tanto magis auget, atque exaggerat, quanto ea non priuati tantum hominis verbis, ſed publicâ Iudicis auctoritate confirmatur. Ita quoque qui ob nota flagitia infamis vulgo habetur, vbi eorundem à Iudice poſteà damnatur, multo magis infamis euadit, vt exploratum eſt. Alioqui ſi non ita res eſſet, infamiæ nota per damnatoriam ſententiam deleretur, & bipedum nequiſſimi ex ipsâ damnatione id lucrarentur, vt nomina latronis, rebellis, Hæretici valde probroſa expungerent, aut probro ſibi non eſſe vincerent, quod non minus ridiculum, quàm falſum eſt, adeoque Iudicis ſententia non impedit, quo minus ea nomina contumelioſa ſint, atque infamia, ſed potiùs contumeliam ipſam, atque infamiam corroborat, vt patet. Ergo ſi ſola conuicia materiata, ſeu verba aſpera & probroſa dumtaxat perpendantur, quoniam nomen Hæretici maiorem infamiam iam latâ ſententiâ ſingillatim damnato inurit, quàm non damnato; omnes Catholicorum libri, qui Arium, Neſtorium,

rium, Eutycheteum, Lutherum, Caluinum, ac pariles Eccleſiæ perduelles iam ſingillatim anteà à Sede Apoſtolicâ damnatos, poſteà Hæreticos nuncupârunt, in famoſorum libellorum cenſu neceſſariò ſunt numerandi, imò multò magis, quàm ſi nondum damnatos, Hæreticos appellâſſent, ſi quidem tum longè minori infamiâ eos notâſſent, vt probatum eſt. Quis autem ſine impudentiſſimâ temeritate, ac vehementiſſimâ Hæreſis ſuſpicione eiuſmodi Catholicæ religionis vindices Codices libellis famoſis accenſendos exiſtimet?

VI. At, inquies, diuerſa horum ratio ab alijs eſt; nam Iudicis ſententia facultatem cunctis dat, vt ſontem damnatum quilibet infamiâ adſpergat, ac proinde libri in Lutherum, Caluinum, Ariumque iam damnatos ſcripti, famoſi eſſe nequeunt. Audio. Verùm damnatoria ipſa ſententia, ſi ceteræ attributiones ſeponantur, haud quaquam à libelli famoſi crimine & pœnâ expedit, vt ex celeberrimo illo Farinacij Conſilio, quod xxx. ab eo numeratur, teſtatiſſimum eſt. Quippe nobilis quidam Florentinus, etiamſi verum crimen certo Antiſtiti, cuius is à Iudice pronuntiatâ ritè ſententiâ damnatus fuerat, expoſitâ votiuâ tabellâ, in quâ illud perſtingebatur, obiectauerat; famoſi libelli nihilominùs reus tum ab eodem Farinacio, tum ab alijs Iuriſconſultis iure optimo actus, atque à Fabio Menichino Iudice legitimè peractus, & condemnatus eſt, vt ex eodem *Conſ.* 30. Farinacij, in quo iura, leges, ſcita, Doctores, & cætera, quæ eum meritò condemnandum reuincunt, proferuntur, atque expenduntur, perſpicuè dilucet. Vnde conſtat, ſolam Iudicis ſententiam ad libelli famoſi crimen diluendum minimè ſufficere.

VII. Quum igitur nec Iudicis ſententia ſola ad famoſi libelli notam eradendam, neque ſola conuicia materiata, hoc eſt, verba rigida & pro-

broſa ad eandem inurendam ſatis ſint, vt iam probaui; neceſſe omnino eſt, vt ratio iniuriæ, ſine quâ famoſus libellus eſſe nequit, aliunde, quàm à ſolis verbis mordacibus, aut ab irrogatâ infamiâ, aut à non pronuntiatâ ſententiâ quæratur. Porrò iniuria propriè ſumpta, nihil aliud eſt, quàm factum, vel dictum, quo ius alterius læditur, vt ex ijs Farinacius *quæſt.* 105. *num.* 1. vſque ad 10 abundè congerit, manifeſtum eſt; qui verò iure ſuo vtitur, nemini facit iniuriam, vt apertum eſt, & ſanctiones pleræque clamant l. *Gracchus*, C. *de adulter.* l. 1. & *ibi* Doctores, ff. *quod quiſquis iur.* l. *quod reipublicæ*, & l *quod iniuriarum* § 1. ff *de iniuria* l. *nemo damnum*. & l. *nullus*. ff. *de regul iur.* l 3. ff. *de liber. homic exhiben* Nulla autem iniuria ſine dolo & animo faciendæ iniuriæ conflatur, vt l. *quod reipublicæ de iniur. cit.* l. 1. §. 1. l. 3 *penult. & vlt.* cum l. 4 ff. *eodem*, l. *ſi non conuicij*, C. *eodem tit. de iniur.* decernitur, & iam ſuprà § 2. *num* 2. animaduerti. Quarè ea Scriptura, quæ ſine prauo affectu concinnata, alterius delicta iuſtè reprehendit, iniurioſa nullo modo eſſe poteſt. Si enim iuſtè reprehendit, nullius ius lædit, ac proinde iure ſuo reprehendendi vtitur; qui autem iure ſuo vtitur, nulli facit iniuriam. Tum verò iuſtè aliquis ſcripto alterum reprehendit tam extra iudiciũ quàm in iudicio, quum iuſtam & legitimam cauſſam eius ita reprehendendi, etiam extra iudicium preſto habet, vt § 2. *num* 5. demonſtraui· Vnde

VIII. Efficitur I. Prophetarum, Apoſtolorum, Patrum, ſacrarum Scripturarum monumenta vtcunque acribus alicubi verbis exarata ſint, à famoſorum tamen libellorum contubernio adhuc longè diſtare, quia cauſsâ iuſtiſſimâ, & conſilio ſanctiſſimo vbique nituntur, ac propterea nullius ius lædunt, ſed ſuo vtuntur, nulliſque idcirco ſunt iniurioſa, vt copioſius in *Vindicijs*, *cap.* 10. § 8. explanaui;

naui : eodemque modo & cæterorum quoque Scriptorum Apologetica à famoſorum libellorum calumniâ, obiecto legitimæ cauſſæ, ac ſanæ mentis clypeo, vindicantur.

IX. Efficitur II. Quamuis, qui in Lutherum, Caluinum, Arium, & ſimiles Chriſtianæ fidei deſertores iam damnatos, ſtylum ſtringunt, eoſque Hæreticos liberè vocant, illorũ famam apud eos, quibus illi adhuc ignoti erant, multò magis lędãt, quàm ſi non eſſent damnati; à periculo tamen famoſorum libellorũ, quia iuſtè eoſdẽ lędunt, abeſſe.

X. Efficitur III. Etſi, qui Hæreticos nominatim proſcriptos, vt Lutherum, Arium, & ſimiles oppugnant, horum famam iure meritoque lędant, ob facultatem ſcilicet à Iudice datam, vt §. 1. explicaui, atque idcirco libellorum famoſorũ, ſi honeſto conſilio ducantur, fabri non ſint: hoc tamen iure & facultate potiri eos quoque, qui ex grauibus cauſſis, & optimis conſilijs Catholicæ religionis, atque innocentiæ tuendæ Hæreticos ſingulares nondum nominatim perculſos ſcriptis refellunt, Hæreticoſque expreſsè nuncupant. Ratio eſt, quia famoſus libellus eſt illa tantùm *Scriptura, quâ famâ proximi iniuſtè læditur*, vt ſuprà §. 1. definitum vidimus. At non ſolùm quum quis Hæreticum nominatim iam damnatum ſtylo percellit, famam eius non iniuſtè lædit, ſed neque etiam quum non damnatũ, ex legitimâ cauſsâ, & bonâ fide vulgato libro iugulat, ſiquidem iniuria ad nutum iuſtæ cauſſæ, & placati animi illico faceſſit, vt dictum eſt.

XI. Efficitur IV. Nobilem illum Florentinum, de quo antè *num 6.* ceu famoſi libelli reum meritò fuiſſe damnatum, quia etſi eius Aduerſarius Antiſtes reuerâ à Iudice latâ ſententiâ falſi damnatus fuerat, ipſe tamen nul â iuſtâ de cauſsâ, ſed vlciſcendi tantùm libidine huiuſmodi crimen eidem Antiſtiti publicâ tabellâ exprobrauerat, vt

conuictus fuit, adeoque & iniuriam grauem ei fecerat, libellumque famoſum reapſe conflauerat. Quamuis enim falſi damnatus Antiſtes, veracis famâ exciderat, nec iure eiuſdem famæ iam ſententiâ damnatoriâ ademptæ adhuc retinendæ potiebatur, ius tamen adhuc tenebat, ne id crimen ſibi à quoquam animo inferendæ iniuriæ exprobraretur, vt ſuprà §. 1. *num* 5 & 7. in caſu omnino ſimili de publico ſcorto pari iure pronuntiaui: quod ſanè ius niſi adhuc ille tenuiſſet, iniuria illi fieri eâ criminis exprobratione nullo pacto potuiſſet, vt liquet.

XII. Efficitur V. Non omnem Scripturam, quæ extra iudicium alterius vitia carpit, eſſe famoſum libellum, alioqui tales quoque forent omnes illæ, quæ in Lutherum, Caluinum, & alios iam proſcriptos extra iudicium pariter typis vulgatæ ſunt, quod falſum eſſe, atque inſanum iam ſuprà oſtendi; ſed illas dumtaxat, quæ aliorum ſcelera iniuſtè vituperant.

XIII. Efficitur V. Quum animum illius, qui Apologetica elaborat, à conſilio irrogandæ iniuriæ longè alienum ante §. 2. patefecerim; & duplici cauſsâ grauiſſimâ, ac iuſtiſſimâ propulſandi Hæreſes, atque calumnias, ad Catholicam fidem atque innocentiam defenſandam, impulſum docuerim; eundem Auctorem Apologeticorum, extra ſuſpicionem faciendæ iniuriæ, ac proinde, & fabricandi libelli famoſi eſſe; ideoque Scripturas & libros eiuſmodi nonniſi iuſtos & iuſtè coagmentare. Quod eo inſuper roboratur magis, quia etſi conuicia à legibus vetita, praui animi præſumptionem edant, vt pluribus Farinacius *Conſ* 30. *num* 30. Rinaldus Ptolemæus *ibid num* 19. & Hieronymus Gualzeruzius *ibid. num* 60. rurſumque idem Farinacius *quæſt.* 105. *num* 117. euincit: ſecus tamen accidit, quando alijs coniecturis ac præ-

ſumptio-

ſumptionibus palàm factum eſt, deprauatum affectum abeſſe, vt ex communi Doctorum ſententiâ, quos longo agmine recenſet, idem Farinacius *quaſt.* 105. *num.* 113. tradit. At quàm longè infenſus animus Apologiarum architectis peregrinetur, §. 2. euidenter in propatulo collocatum eſt. Igitur & quæcunque iniuria, & quiuis libellus famoſus ab id genus Apologijs longè abiuncti ſunt.

XIV. Vnde poſtremò colligitur, è conuicijs contumelijs materiatis, ſeu è ſpinoſis acidisque verbis tantummodò, reliquis attributis penitùs ablegatis, neque famoſum libellum, neque iniuriam cuiquam conflari poſſe, quod mihi extorquendum rationibus initio propoſueram.

§. IV.

Interceſſiones initio paratæ molli brachio abijciuntur.

I. His de famoſo libello munimentis iam exædificatis; vt machinationes principio obductas vno ferè ictu frangam, atque euertam, interpoſitum ſuprà decretum hîc probè recolendum moneo, nondum probatum eſſe, imò nec probari poſſe, omnem Scripturam, quæ extra iudicium alterius crimina ſiue iniuſtè, ſiue iuſtè publicè carpit, agitatque, eſſe famoſum libellum. Nam ſi hoc ſemel euinceretur, profectò & Apologetica omnia, etiam in Hæreticos ſingillatim damnatos edita, & pleraque Prophetarum, Apoſtolorum, Euangelij, ac Patrum monumenta, in famoſos vtique libellos ineluctabili neceſſitudine, vt anteà patefeci, referenda eſſent. Quod ſanè conſequens ſicut non minùs falſum, quàm impium eſſe iam priùs oſtendi; ita falſum quoque inſanumque illud antecedens tam vniuerſè fuſum, vnde fluit, eſſe, pla-

nè euidens eſt. Nunc ſingulas interceſſiones, quanti ſint roboris, exploremus.

II. I. Ea Codicis *de libellis famoſis* lex ſolos libellos famoſos vetat, non autem legitima Apologetica, vt demonſtratum eſt; nec quid amplius Baldus illic appellatus contendit, vt liquet.

III. II. Doctrina illa Floridi & reliquorum, qui alterius criminationem quamcunque, vbi extra iudicij fines intenditur, generatim damnant, de criminatione ſolùm iniuſtâ, ſeu iniurioſâ neceſſario intelligenda eſt, non verò de iuſtâ & legitimâ, qualem Apologeticis contineri iam palàm feci. Quippe ſi hanc quoque Doctores illi improbâſſent, valde fuiſſent allucinati, omninoque repellendi eſſent, ſiquidem eodem calculo & ſacras Scripturas, & Patrum Codices, & Scriptorum omnium Vindicias in Hæreticos etiam nominatim proſcriptos vulgatas damnâſſent, vt ſuprà ſatis explanatum eſt, quod nullo modo ferendum.

IV. III. Farinacius quoque vnà cum patronis, quos ſequitur, dum ſtatuit, conuicii veritatem, quoties crimen per libellum famoſum alteri exprobratur, nunquam noxiæ iniuriarum eximere, expreſsè de famoſo tantùm libello, ſeu de iniuſtâ tantùm Scripturâ, quâ fama alicuius iniuſtè læditur, non autem de iuſtis Scripturis, quales ſunt libri Apologetici, quibus vel fama alterius iam læſa, ampliùs non læditur, vel certè adhuc illæſâ iure meritoque læditur, vt pateſcit, loquitur; ac proinde enucleatæ ſupra doctrinæ nihil penitùs officit.

V. IV. Boſſius denique vnà cum Romano, quando vterque de libello dùmtaxat famoſo manifeſtè differit, Apologeticis aduerſari non poteſt, vt perſpectum eſt: Cæterùm quòd idem Boſſius teſtatur, Doctorum neminem prorſus à ſe repertum, qui aſſeueret fas eſſe, verum crimen, quod Reipub. manifeſtari interſit, extra iudicium per

libellum

libellum famoſum vulgare, parum admodum ſe in Doctoribus volutatum, ac ſuâ opinatione oſcitanter deceptum prodit, quum id Auctores quinque ſupra viginti, quos ſingillatim Farinacius *quæſt.* 105. *num.* 242. & 245. recenſet, apertè tradant, nempe Speculator, Angelus, Cynus, Bellapertica, Iodocus, Ferettus, Bonifacius de Vitalino, Io. Platea, Lancellotus, Bonacoſſ. Clarus, Burſatus, Plotus, Fachineus, Albericus, Fabius de Monteleone, Abbas, Ioannes Andreas, Oldradus, Aufrerius, Silueſter, Archidiaconus, Turrecremata, Præpoſitus, Alexander, & Bellamera, inter quos etiam Fachineus ſententiam, Boſſij placito oppoſitam, communem eſſe exertè ſcribit, tantum abeſt, vt quod ait Boſſius, dicant omnes, & nemo contradicat; quod ſibi idem Boſſius, ſi pleroſque iſtorum, qui iam lucubrationes ſuas in lucem tum emiſerant, ſedulò conſuluiſſet, excidere nunquam ſuſtinuiſſet.

Cap. V.

Apologetica in crimen temerè vexatæ innocentiæ fruſtra vocantur.

1. Poſt libelli famoſi inuidiam ab Apologeticis libris remotam, ecce tibi, lex vltima è Codice *de accuſat.* ad eoſdem percellendos operosè euocatur, in quâ diſertè vetatur, ne quis, ſimul atque delatus, vel accuſatus eſt, reus criminis, antequàm à Iudice ſententiâ pronuntiatâ damnatus ſit, appelletur, aut exiſtimetur, *ne ſubiectam innocentiam*, vt illic ſubditur, *feriamus.* Neque enim quicunque accuſatur, atque in carcerem includitur, etiamſi in vincla quoque traditus ſit, continuò reus eſt, vel dicitur, ſed

ille tantùm, qui condemnatur, vt cauetur apertè l. 1. C. *de his, qui not. infam.* & *cap vlt.* 15. *quæſt.* 8. notatque Gloſſa in C. *nonne* 8 *quæſt.* 4. cum alijs, quæ Giurb. *Conſ.* 65. *num.* 54. abundè congerit. Quum igitur neque criminoſus, neque Reus cenſeri, aut vocari ille quoque, qui iam & accuſatus, & in carcerem conditus, & in vincula coniectus eſt, niſi poſt ſententiam damnatoriam à Iudice latam, poſſit; multò minùs, qui neque dum delatus, neque carceri addictus, neque poſtulatus eſt, quales plerunque ij ſunt, in quos nominatim Apologetica emittuntur, Reus ac nocens iure vocari, aut reputari poteſt.

II. Verùm hæc nubecula flatu etiam leniſſimo facilè diſflatur. I. Quia tam ea lex, quàm Doctores illius interpretes, ac reliqui paulò antè indicati, de eo dumtaxat, qui ad Iudicem delatus eſt, apertiſſimè loquuntur; & quia non rarò contingit, pleroſque per meras calumnias accuſari, eò nituntur ſummoperè, vt huiuſmodi calumnias, improbasque delationes talionis pœnâ præciſè denuntiatâ, de quâ Gloſſa expreſsè, verbo *appellationis* eâdem lege, ac titulo, compeſcant; ac proinde ſanciunt, ne vllus ſtatim atque accuſatus eſt, nocens credatur, & condemnetur; ſed criminis probatio, Iudicisque ſententia priùs expectetur; neque cuiquam iuris infamia, aut alia iuridicialis pœna, niſi à Iudice, totâ iam cauſâ cognitâ, ac peractâ, decreta irrogetur; ſi quis verò ſecus fecerit, *eandem pœnam* (inquit Gloſſa iam laudata eodem loco) *patiatur, ſi non probet, quam paſſurus eſſet, ſi crimen inſtitutum probatum fuiſſet.* Vnde manifeſtum eſt, de falſis, & calumniarum plenis accuſationibus tantummodò, quas ſolas prohibet lex, & talionis pœnâ impoſitâ refrænare conatur, illic ſermonem eſſe; non autem de cæteris opinionibus, vel nomenclaturis, quæ de quibuſcunque ſontibus, ac

perditis extra iudicij cancellos fabricantur, neque ad vllam pœnam iudicialem infligendam ſpectant; ac proinde eandem legem, & Doctores de huiuſmodi extraneis criminationibus, atque appellationibus nihil prorſus decernere. Quocirca quum libri Apologetici extra iudiciale forum militent, neque ad vllam pœnam iuris cuiquam irrogandam, ſed ad nebulonum calumnias, atque Hæreſes famoſis publicisque libellis deſcriptas iugulandas dumtaxat tendant, in illam legem, atque Doctores, qui caſum longè diuerſiſſimum ab ab his reſpiciunt, nullo modo poſſunt delinquere; ideoque nec telum vllum ab eo caſu in hunc, vt clarum eſt, torqueri poteſt. Nam vt rectè Alphonſus à Caſtro *lib.*1. *de iuſta Haret punit cap.*10. Bartolum (qui è ſingulari lege ſciſcente, ac pronuntiante illum pertinaciter reſiſtere, qui Iudici præcipienti non obſequitur, vt deciditur l *Tutor,*§. *Tutores,* ff. *de ſuſpect tutor.* ineptè colligebat, Hæreticum pertinacem illum eſſe habendum, qui Sacro Quæſitori aliquid de Chriſtianæ fidei arcanis eſſe renuntianti obluctatur) eapropter reijcit, quòd à peculiari illius legis caſu argumentum ad alium valde diſſimilem configendum, Dialecticâ inuitâ omnino inconſultè ducit: idem pariter hîc quoque euenit, dum à certo ſingularique caſu ad alium maximè diſcrepantem immani ſaltu tranſilitur.

III. II. Eadem illa lex, & Doctores de occultis ſolùm delictis Iudici detectis loquuntur; non autem de publicis ac notis: alioqui nefas etiam foret, proſtituti pudoris manifeſtam ac publicam adulteram in carcerem præ infandis adulterijs publicè abreptam, meretricem, ante ſententiam Iudicis, exiſtimare, ac verbo tenus quoque appellare, quod abſonum eſt, atque à cunctis non modò Theologis, ſed Iuriſconſultis quoque

que, vbi factum vulgo iam innotuit, exploditur. Porrò Apologetici libri crimina plerumque publica perſequũntur, ac proinde eiuſmodi legi ac Doctoribus minimè aduerſantur.

IV. III. Si ea lex etiam Apologeticis diem diceret; neque liceret Hæreticum occultum, ne alios inficiat, ne verbis quidem, manifeſtare, quod tamen ſuprà *cap* 3.§.25. *num* 11. & *cap*.4. §.1. *num*.5. fas eſſe probaui.

V. IV. Omnis quoque ſermo extra iudicium de alterius ſceleribus peruulgatis, quamuis ex iuſtâ cauſsâ habitus, foret prohibitus, quod vtique ridiculum eſt. Vt enim ſermo vel iudicium non ſit temerarium, ſufficit quælibet iuſta cauſſa credendi rem ita ſe habere, vt communiter tradunt Doctores. Pone iam à filijs patrisfamilias furtum à mancipio domi factum non dubijs indicijs deprehenſum. Certum eſt, poſſe filios, qui à parente illius furti inſimulantur immeritò, ſermone idem furtum explicare, furemque eidem patri ad ſuam innocentiam tuendam prodere. quo pacto ſeruum mancipiumque iam reum & iudicant, nec temerè, & appellant nec iniuriâ. At hoc per eam legem tam vniuersè ac latè, prout nuda verba ſonant, intellectam, planè vetaretur, quod tamen omnes inficiantur. Ergo huiuſmodi legis intellectus tam amplus, abſurdus eſt, ac propterea falſus.

VI. Quamobrem ſi quis illam legem non ad ſolas accuſationes iuridiciales referendam vellet, vt reapſe refertur; ſed ad cæteras quoque opiniones ac ſermocinationes de aliorum delictis ſiue publicis, ſiue occultis porrigendam contenderet; neceſſariò adhuc temperanda eſſet, vt non quaſcunque, ſed temerarias dumtaxat, atque iniquas, quæ ſine legitimo documento & iuſtâ cauſsâ paſſim feruntur, improbauerit, ac damnauerit, non autem reliquas, prudentes æquaſúe (quales ſunt

Apolo-

Apologeticæ) quæ de criminibus etiam abditis, ne dum publicis, ex graui vtilitate, vel neceſſitate honeſtè ac probè inſtituuntur, vt cuncti Theologi, quos ſuprà iam appellaui, quin & Iuriſperiti quoque, quos pariter recitaui, ſine controuerſiâ ediſſerunt.

VII. At enim, vbi quis nominatim pronuntiatur Hæreticus, grauiſſimâ illicò infamiâ adſpergitur, quemadmodum eruditiſſimè Farinacius *de Hæreſi, quæſt* 189. *num.*40. 54. & 55. vt ſuprà *cap.*4 §.3. *num* 5. memoraui, euincit. Infamiæ verò pœnâ nulla ferè atrocior, quippe quæ famam, quâ nihil pretioſius eſt, quum maxima humanæ felicitatis pars, vt probat Giurb. *Conſ* 65. *num.*54. iam relato, eâ nitatur, de medio tollit. Propterea iure meritoque ſancitum eſt, ne quis infamis dici, aut reputari queat, niſi à legitimo Iudice infamiæ rite damnatus ſit, vt liquet è l. *Athletas* 4. §. *calumniator.* ff *de his, qui not. infam.* Deciano *Conſ* 34. *num* 11 eodem Giurb. *loc. cit.* & in caſu Hæreſis enucleatè Farinacio paulò ante adducto *num.* 56.

VIII. Sed cuneus hic iam ſuprà *cap.* 3. §. 11. *num.* 11. vſque ad 16. vbi duplicem eſſe infamiam, alteram iuris, alteram facti; atque illam ſolam pœnam eſſe, quæ à Iudice irrogatur; non autem iſtam, quæ cuiuſque ſceleris comes indiuidua eſt, animaduerti, à me bellè excuneatus eſt. Infamiâ enim iuris laborat nemo, niſi à Iudice renuntiatus infamis, aut probroſi damnatus criminis, vt conſtat: facti verò infamiæ flagitioſus quiſque obnoxius eſt; cui, ſi ea publica eſt, nihil inſuper infamiæ inurunt Apologetica, vt pateſcit; vel ſi adhuc latet dedecus, ad grauem noxam innocentię, vel religionis propulſandam, meritò id retegunt, illumque dedecorant, vt toties iam inculcatum eſt.

IX. Verùm adhuc ſeuerus vncus impingitur, quia ſi priuato Theologo integrum eſſet, alteri extra contentionem iudicij, Hæretici dicam ex documentis ſuo dumtaxat iudicio examinatis, ac probatis nominatim ſcribere; infamiæ pœnam is, qui Hæreſeos ita argueretur, legitimâ ſui defendendi facultate à naturâ ipsâ Deoque naturæ auctore datâ iniquè fraudatus, perferret; quod ſanè peruerſum valde, ac perdelirum eſſet. Quid enim? Si ſuimet patrocinium tempeſtiuè idem ſuſciperet, fortè Hæreſis quaſcunque teſſeras, argumenta, & coniecturas aduersùm ſe textas nullo negotio retexeret, ac penitùs elideret. Quocirca ius ſuimet tuendi, à Deo, ac naturâ cuique inditum, tam ſacroſanctum eſt, vt etiamſi quis in iudicio crimen confeſſus ſit, atque Hæreſeos planè conuictus; nunquam tamen propterea iuſtâ ſui propugnandi poteſtate orbetur, vt ex communi Doctorum ſcito, ac tribunalium vſu, in crimine quoque læſæ maieſtatis humanæ ac diuinæ, tradit Farinacius *de Hæreſi, quæſt.* 185. *num.* 215 & *ſeq* tum *Conſ* 156. *num* 46 *lib* 2. Neque effugiet, qui forſan cauſſabitur, in Apologeticis non agi de Hæretico condemnando, neque de pœnis in Hæreticos ſancitis ei infligendis. Nam ſatis ſuperque infamiæ pœna, quæ cum Hæretici appellatione neceſſariò coniuncta eſt, & quidem mortis inſtar grauiſſima, vt teſtatum eſt è l. *Iuſſa*, ff *de manumiſſ. vindict.* Menochio *de præſumpt. lib.* 5. *præſumpt* 49 *num.* 5 & Hondedo *Conſ* 105. *num* 43. *lib.* 1. illi imponitur.

X. At tota hæc impreſſio vmbone illo adamantino ex facili repellitur, quòd iuris infamia, quæ pœna à legum conditoribus ſtatuta eſt, nemini ſine præuiâ ſui defenſione irrogatur, vt paulò antè indicaui. Verùm quod ad facti infamiam attinet, Dei ac naturæ ſingulari prouidentiâ fit, vt vulgata crimina pediſequam ſociamque eandem habeant

infamiam;

infamiam; quâ ſanè cuncti, quicunque improbi ac ſceleſti, populo iam notuerunt, nullo ſui patrocinio conceſſo, iuſtè, vt Doctores omnes decernunt, multantur. Qui verò vel falsò, vel temerè alterum infamant, viderint ipſi; nequitiæ perditæ ſine dubio comperti. Sed hi legitimis Apologeticis, quæ non temerè, ſed prudenter; non falsò, ſed verè ex perſpicuis, certisque firmamentis conflantur, nihil officiunt. Vbi enim crimen calumniæ, vel Hæreſis libellis ab altero publicatum eſt, Apologetica eum non ampliùs infamant, ſed iam facto ipſo infamatum, non expectatâ illius defenſione, meritò redarguunt. Quod ſi Hæretici Codicis publici Auctor adhuc ignoratur; ad graue damnum Reipub. quod aliter arceri nequit, vitandum, fas quoque eſt, vt ſuprà iam oſtendi, illum ſcripto manifeſtare ac refellere; nec tum defenſionem ſui vllam indicendam, præmittendamúe Doctores aiunt, ſed omittendam potiùs, ſibi perſuaſum eſſe tacitè innuunt, & iure profectò, quàm qui optimo. Nam ſi Calumniator, atque Hæreticus calumnias, atque Hæreſes emiſſo libro, viris innocentibus Catholicæque Religioni, & Catholicis populis, quamcunque ſui defenſionem præuertens, obtrudit: quanto magis innocentes, & Catholici Homines eaſdem calumnias Hæreſesque, Calumniatoris atque Hæretici patrocinium nihil morati, in crucem agant, Auctoresque, earundem fabros demonſtrent?

***

Cap. VI.

Prætextum; ne Calumniatoris, aut Hæretici fama Apologeticis lędatur, inanem eſſe, neque ijs obſtare.

I. Contentionis vnius finem mox alia excipit oppugnatio. Eſt quippe ita iure comparatum, vt nemo Hæreticorum vtcunque notus, & certarum Hæreſeon manifeſtus, antequàm à Iudice ritè pronuntiatâ ſententiâ, legitimè damnatus ſit, impunè occidi, aut vulnerari, aut cædi poſſit, aut aliâ ratione corpus eius vexari queat, quemadmodum Doctores vnà omnes, quos Farinacius *quæſt.* 199. *de Hæreſi, num* 56. & 58. accuratè recenſet, ſine controuerſiâ definiunt. Neque igitur fama eiuſdem Hæretici, nomine Hæretici impoſito, publicatoque lædi ac infamari, Iudicis ſententiâ minimè expectatâ, iure poteſt; quandoquidem per huiuſmodi infamiam, qui ita dedecoratur, grauiſſimum capit detrimentum, non ſecus planè ac ſi necaretur, vt ſuprà iam commemoratum eſt. Imò magnus Iuriſconſultus l. *Iſti quidem*, 8. § *quod ſi dederit*, ff. *quod met. cauſ.* Cui Baldus quoque *Conſ.* 311. *num* 3 *volum.* 4. Beroius *lib.* 3 *Conſ.* 161. *num.* 1. & *Conſ.* 173. *num.* 10. & Rom. Iun. *Conſ.* 730. *num.* 6. *volum* 6. adſtipulantur, diſertè tradit, viris honeſtis infamiam ipſa mortis pœnâ acerbiorem accidere.

II. Verùm aut ego vehementer fallor, aut huius ſiue gladij, ſiue teli, ſiue ſicæ nullam video cuſpidem, nullam aciem, ictum nullum. Nam I. qui hanc pugnam pugnat, ſeipſum ſuiſmet verbis apertâque ſententiæ repugnantiâ oppugnat, ſimulque expugnat. Quis enim Hæreticus manife-

ſtus

ſtus eſt, niſi ille in primis, qui publicè contra fidem prædicat, vt quum Arnaldus Albertinus *de agnoſcendu aſſert quæſt.* 30.*num.* 3. tum Farinacius *de Hæreſi quæſt* 185.*num* 76.præclarè vincunt? At qui hac ratione manifeſtus Hæreticus eſt, atque habetur, iam Catholici viri famam peremit, Hæreticique infamiam facinore ipſo comperto illico ſubit. Quomodo igitur, qui illum Hæreticum appellat, famam illius lædere eam læſam, atque obliſam? Qui ſibi conſentit, qui famam manifeſti Hæretici quantum ad Catholicam Religionem, quaſi huius exiſtimatione integrâ adhuc potiretur, quum eâ neceſſariò, qui palàm Hæreſim profitetur, exciderit, iure lædi poſſe negat? Quis tam diſſentanea poſſit componere? Atqui enim qui Catholici viri famam, Hæreſis publicâ nundinatione aboleuit, Hæretici appellatione perſtrictus, non poteſt ampliùs eam perdere, adeoque neque quod ad illam attinet, quicquam damni facere.

III. II. Hæreticus manifeſtus poteſt à quouis priuato homine ſine Iudicis mandato capi; quin occultus quoque, quando in fugæ ſuſpicionem venit, vt cum pleriſque Farinacius *de Hæreſi, quæſt.*186.*num.* 26. vſque ad 30.docet. At capturæ laqueus à priuato homine iniectus ſuapte naturâ captum Hæreticum valde offendit, iniuriamque illi & grauem ignominiam, tum damnum irreparabile, velut leges ipſæ loquuntur, infert, vt pluribus idem Farinacius *quæſt.*27. *num.* 135. ad 139. oſtendit. Falſum igitur eſt, quamuis noti Hæretici corpus necari, vulnerari, vel cædi non poſſit, ipſius famam lædi non poſſe, quum eiuſmodi capturâ lædatur maximè, nec etiam corpus ipſum multæ immune omnino non ſit.

IV. III. Apologetica, quæ in Hæretici libri manifeſtum Auctorem vulgantur eodem loco

ſunt, ac qui manifeſtum Hæreticum iure perſequuntur, ideoque famam illius iam infamati non infamant; prætei quam quod etſi Hæreticus penitùs deliteſceret, adhuc fas iusque foret ad graue Reipub. Chriſtianæ damnum, cui aliter obuiam iri nequeat, auertendum ſcripto eum prodere, vt ſæpius iam admonui.

Cap. VII.

Apologeticis libris nullam remoram à præuiâ explorati Hæretici interrogatione ac monitione fieri.

I. MAgna quoque tempeſtas in priuatos Catholicæ fidei vindices inde ingruit, quòd etſi certò conſtaret, Propoſitiones Hæreticas aliquo comperto libro publicatas, & talis libri Auctorem eſſe Titium, v. g. adhuc tamen Titius dici Hæreticus, pronuntiari, aut publicari iure non poteſt. Nam quando Hæretici libri Auctor etiamdum ſuperſtes eſt, non ſtatim Hæreticus cenſendus, declarandusque, ſed priùs accerſendus, ac de Chriſtianâ religione rogandus, vt dignoſci queat, an imprudens ab Eccleſiâ recedat; an verò volens, pertinaxque ei terga vertat; vel è contrario Hæreſis ſuſpectionem, Epiſcopi, aut Inquiſitoris arbitratu, diluere malit, vt egregiè Albertinus *de agnoſcendu aſſert. Cathol. & Hæret. quæſt.* 28. *nũ.* 11. philoſophatur. Accedit inſuper, quód nemo exiſtimandus, vulgandusque Hæreticus eſt, niſi anteà legitimam admonitionem ex formulâ, quam diligenter Alphonſus à Caſtro *lib* 1. *de Iuſta Hæret. punit. cap.* 10. expendit, adhibitam improbâ peruicaciâ contempſerit. Nulla igitur in ſingulares Hæreticos

reticos Apologetica, niſi priùs eorum interrogatio ac monitio fruſtra fuerit, edi poſſunt, aut ſcribi.

II. Verùm tota hæc tempeſtas in ſimpulo dumtaxat excitatur; ideoque non operosè, ſed de præfacili ſedanda. Primò. Quia interrogatio, atque admonitio tum ſolùm præmittenda, quando dubium eſt, an Hæreticus ſit pertinax, quò videlicet eliciatur, an Hæreticam propoſitionem materialem tantummodò enuntiârit, an verò etiam formalem, ac propterea Hæreticus non ſolùm materialis, ſed etiam formalis ſit. Cæterùm vbi in confeſſo eſt, illum eſſe pertinacem, nullus ampliùs interrogationi, vel monitioni eiuſdem locus eſt, vt item Albertinus totâ *quæſt.* 30. idemque Alphonſus inibi *cap* 10. *cit.* ex communi Doctorum placito ſanciunt. Porrò quum is, qui à normâ Catholicæ fidei delirat, erroris à peritis, vel etiam ab imperitis, Chriſtianâ veritate palàm teſtatâ, arguitur, neque acquieſcit, neque doceri prætereà vult, iam Hæreticus pertinax, eodem Arnaldo iudice, *quæſt.* 10. *num* 77. reputandus eſt. Rurſum quando aliquis Catholicus aſſertionem ſemel agnouit, & confeſſus eſt, aut affirmauit; ſi deinde contrariæ ſubſcribat, inter pertinaces Hæreticos pariter ab eodem Arnaldo *ibid. num.* 38. numeratur. Quamobrem quum ex Hæretico libro, vel alijs adiunctis certò conſtat, aliquem Hæreticum eſſe pertinacem; licet in eum libros Apologeticos, aliâ interrogatione, vel monitione inſuper habitâ, tutò emittere.

III. Secundò. Occultos Hæreticos, omiſsâ fraternâ admonitione, Sacris Inquiſitoribus tradendos eſſe è Doctorum celebri ſententiâ demonſtrant Gutierrez *lib.* 1 *Canon. qq. cap.* 11. *num.* 54. Suarez *de fide, diſp.* 20. *ſect* 4. & alij paſſim, ea propter, quòd eiuſmodi admonitioni fidendum prudenter,

denter, meritò negent. Multò igitur minùs fidendum erit, vbi Hæreticus iam non ampliùs in latebris iacet, ſed Hæreſeos publicè infamatus eſt, vt plerumque illi ſunt, in quos Apologetica elucubrantur, adeoque tum, neglectâ eorum admonitione, iſta iure optimo luci committuntur.

IV. Tertiò. Arnaldus ſuprà *num.* 1. obductus illâ *quaeſt.* 28. *num.* 21. non de quacunque Hæretici cenſurâ, extra iudicium etiam peractâ, ſed de eâ tantùm, quæ in foro iudiciali fit, expreſsè loquitur; neque ait, *vt Hæreticus pronuntiari, vel publicari poſſit*; quemadmodum anteà expoſitum eſt; ſed *vt Hæreticus eſſet damnandus*; ſubditque: *Demum cum eo diſcutienda erunt, quæ cum accuſato de Hæreſi diſcuti debent.* Quo loco palàm eſt, id ſolùm decerni, antequàm aliquis velut Hæreticus condemnetur, & pœnis Hæreticorum afficiatur, eſſe interrogandum &c. quod ad forum contentioſum dumtaxat ſpectat, cum quo Apologetica, quæ extra iudicij ſubſellia quæſtiones explicant, nihil habent, vt paret, commercij.

V. Quartò. At nihil planè obiectas ſuprà interrogationis, ac monitionis compedes ab iiſdem Apologeticis magis prohibet, quàm ſtatus mos ſolemniſque conſuetudo Apoſtolicæ Sedis, cui vbi duo certò perſpecta ſunt, I. Aliquem librum Hæreticâ doctrinâ ſcatere, II. Talis libri Auctorem notum eſſe, eundem librum, Auctoremque nec rogatum, nec monitum, nec citatum Hæreſeos nominatim damnat, Hæreticiſque ſimul acceenſet. Quod etſi compertum ſatis eſt, lubet tamen nonnullis exemplis ex Indice Codicum prohibitorum ſyllabatim recitatis id confirmare. In decreto, quod VII. Idus Auguſti, anno CIↃIↃIII. Romæ patratum eſt; ita profectò legitur: *Liber inſcriptus: Franciſci Guicciardini loci duo, an.* CIↃIↃC.I. *impreſſus* &c. *prohibetur liber, & Auctor inter Hæreti-*

cos prima claſſu reijcitur. Rurſus in eodem decreto: *Petri Frideri Mindani de proceſſibus, mandatu, & monitorijs Francofurti* CIↃIↃCI. *liber omnino prohibetur, & Auctor in primâ Hæreticorum claſſe reponitur.* Mox illic pariter additur: *Victorini Strigeli verſio Dialogorum Theodoreti Epiſcopi Ciri cum perpetua analyſi Logicâ omnino prohibetur, & in prima claſſe reponitur Auctor cum expoſitore Marco Beulero Tigurino.* Vnde liquet, Petrum Friderum Mindannm, Victorinum Strigelium, & Marcum Beulerum, quamuis anteà à nullo Iudice Eccleſiaſtico Hæreſeos ſingillatim damnatos, quod conſtet; nihilominùs in Hæreticorū claſſem nominatim referri, ac proinde Hæreticos quoque non obſcurè appellari, ac declarari; & quidem nunquam interrogatos à Iudice, nunquam admonitos, nunquam accitos, nullo alio intento iudicio, nullâ cauſſæ dictione: eâdemque ratione plurimi alij, etiamſi ab Eccleſiâ nunquam aliàs proſcripti, tamen in primâ Hæreticorum claſſe, nihil anteà moniti, nihil rogati, non vocati aut citati recenſentur, & tanquā Hæretici habentur, nuncupantur, publicantur.

VI. Sed quo iure? optimo. Quibus teſtibus? fidei exploratiſſimæ. Quâ confeſſione? apertiſſimâ; ipſis nempe libris Hæreticis, in quibus quum Auctores Hæreſim nomenque ſuum clarè profiteantur, manifeſtamque in amentiâ pertinaciam perſpicuis documentis prodant, omnis interrogatio, monitio, atque in ius vocatus, ſuperuacanea planè ab eminentiſſimis Patribus iure meritoque exiſtimantur. Haud ſecus quoque libellus, quo reus in ius citatur, tum ſanè omittitur, vbi crimen eius tot ac tam illuſtribus argumentis ſignisque lucet, vt nihil ſolidi patrocinij ad ſe tuendum illi ſupereſſe, res loquatur ipſa, vt dilucidè permultis pſephiſmatis cautum eſt, nempe l. *Quum ſeruum, §. ſi quis ſeruum, ff. de fidei com. libert.* l. *recuſare, ff. ad Trebell. cap. vlt de offic. deleg.* in 6. traduntque

que enucleatè, velut commune ſcitum, Bartolus, Baldus, Marſilius, Tort. Conradus, Capra, Boſſius, Clarus, Iacob. Nouel. Abbas, Alciatus, Antonius Burg. Ruynus, Pariſius, & Menochius, quos refert laudatque Farinacius *quæſt. 11. num.* 70. & 71. Ita quum Hæreſis, animusque Hæreticus non ex inſcitiâ, aut ignoratione, ſed ex pertinaciâ aberrans, obſtinateque auctoritatem Eccleſiæ contemnens, in vulgatis libris à quouis Sapiente cernitur, Auctorque ipſe ijs nomen ſuum & cognomen, vnde liquidò dignoſcitur, indidit, Apoſtolica Sedes illum pro comperto habet Hæretico, eumque in Hæreticorum album haud iniuriâ mittit.

VII. At obſtrigillat neſcio quis, nodumque in ſcirpo quærens, negat tantundem eſſe, *Auctorem aliquem inter Hæreticos primæ claſſis reijci* (quod à Sede Apoſtolicâ ſubinde fieri, allata exempla ſanè extorquent) ac Petrum Friderum, Victorinum Strigelium, Marcum Beulerum, ac cęteros nominatim Hæreticos deſignari, ac renuntiari, quod Sedi Apoſtolicæ in vſu eſſe minimè vincitur. Hæc enim, quum ſit quæſtio facti, legitimè decidi, niſi priùs reus ipſe audiatur, non poteſt: illa verò, quoniam iuris controuerſia eſt, ac generatim tantùm agitatur, nullo vocatu præuio, aut monitu opus habet.

VIII. Verùm nullum eſt in hac fugâ præſidium. Nam etſi iuris factique controuerſia, & quæſtio diuidua omnino ſit, hic tamen vtramque ſociari eò tenetur manifeſtè, quòd Hæretici dica non ſolùm Auctori generatim, ſed certo etiam & ſingulari, expreſſeq; appellato impingitur: *Victorini Stringeli verſio,* inquit decretũ, *in prima claſſe reponitur.* Auctor, nempe Victorinus Stringelus paulò antè nominatus. Præterea, *Petri Mindani de proceſſibus* &c *liber omnino prohibetur, & Auctor in prima Hæreticorum claſſe reponitur.* Quid enim ſibi

nult *Petri Mindani liber omnino prohibetur, & Auctor in prima Hæreticorum claſſe reponitur*, quàm talis libri Auctorem in primâ Hæreticorum claſſe numerari? quid verò aliud eſt in Hæreticorum claſſe Auctorem numerari certum & expreſſum, quàm Hæreticorum labe adſpergi, & nomine donari? Quid quod ex Regulis Indicis vetitorum librorum in primâ Hæreticorum claſſe non tantùm damnatæ doctrinæ Auctores generatim, ſed particulatim quoque nomina ſingulorum, videlicet Eraſmus Rotembucher, Clemens Marot, Iacobus Otherus, Thomas Venatorius, Raphael Muſæus, Vincentius Obſopæus, & ſexcenti alij percenſentur, adeoque Hæreticorum quoque nomine, ac infamiâ palàm notantur. Quæro iam, quandónam hi omnes, antequàm huiuſmodi probro, atque appellatione Hæreticorum dehoneſtarentur, acciti ſunt? quando moniti? quando rogati? quando examinati? quando auditi? quando defenſi? Si dicam, nunquam, quod mihi ſanè perſuadeo, quis contra tendat? quis ſecus accidiſſe oſtendat? Nemo, opinor, opinionemque tum deponam meam, vbi me falſum falſimonijs videro. Interim planum eſt, ex ſolis libris Hæreticis luci creditis & Hæreſes manifeſtarias, & Auctorum earum perfidiam, ac propria nomina fuiſſe deprehenſa; ac proinde eoſdem Auctores in Hæreticorum quoque claſſem meritiſſimò adſcriptos.

IX. Quæ mea annotamenta egregio inſuper Eminentiſſimi Cardinalis de Lugo documento illuſtro, ac roboro, *qui Tomo de Fide, diſp. 21. ſect. 2. num. 26.* duplici ratione libros ab Eccleſiâ vetari docet. Primò, *per modum medicinæ, vt bono fidelium conſulatur, auertendo ſcilicet ab ijs venenum, quod ex eorum librorum lectione haurire poſſent.* Secundò, *per modum pœnæ, quâ Auctor Hæreticus iuſtiſſimè plectitur, vt qui in doctrinâ abuſu deliquit, in eadem doctrinâ*

que enucleatè, velut commune ſcitum, Bartolus, Baldus, Marſilius, Tort. Conradus, Capra, Boſſius, Clarus, Iacob. Nouel. Abbas, Alciatus, Antonius Burg. Ruynus, Pariſius, & Menochius, quos refert laudatque Farinacius *quaeſt. 11. num. 70.* & 71. Ita quum Hæreſis, animusque Hæreticus non ex inſcitiâ, aut ignoratione, ſed ex pertinaciâ aberrans, obſtinateque auctoritatem Eccleſiæ contemnens, in vulgatis libris à quouis Sapiente cernitur, Auctorque ipſe ijs nomen ſuum & cognomen, vnde liquidò dignoſcitur, indidit, Apoſtolica Sedes illum pro comperto habet Hæretico, eumque in Hæreticorum album haud iniuriâ mittit.

VII. At obſtrigillat neſcio quis, nodumque in ſcirpo quærens, negat tantundem eſſe, *Auctorem aliquem inter Hæreticos primæ claſſis reijci* (quod à Sede Apoſtolicâ ſubinde fieri, allata exempla ſanè extorquent) ac Petrum Friderum, Victorinum Strigelium, Marcum Beulerum, ac cæteros nominatim Hæreticos deſignari, ac renuntiari, quod Sedi Apoſtolicæ in vſu eſſe minimè vincitur. Hæc enim, quum ſit quæſtio facti, legitimè decidi, niſi priùs reus ipſe audiatur, non poteſt; illa verò, quoniam iuris controuerſia eſt, ac generatim tantùm agitatur, nullo vocatu præuio, aut monitu opus habet.

VIII. Verùm nullum eſt in hac fugâ præſidium. Nam etſi iuris factique controuerſia, & quæſtio diuidua omnino ſit, hìc tamen vtramque ſociari eò tenetur manifeſtè, quòd Hæretici dica non ſolùm Auctori generatim, ſed certo etiam & ſingulari, expreſſeq; appellato impingitur: *Victorini Stringeli verſio*, inquit decretũ, *in prima claſſe reponitur.* Auctor, nempe Victorinus Stringelus paulò antè nominatus. Prætereà, *Petri Mindani de proceſſibus* &c *liber omnino prohibetur, & Auctor in prima Hæreticorum claſſe reponitur.* Quid enim ſibi

vult

vult *Petri Mindani liber omnino prohibetur, & Auctor in prima Hæreticorum claſſe reponitur,* quàm talis libri Auctorem in primâ Hæreticorum claſſe numerari? quid verò aliud eſt in Hæreticorum claſſe Auctorem numerari certum & expreſſum, quàm Hæreticorum labe adſpergi, & nomine donari? Quid quod ex Regulis Indicis vetitorum librorum in primâ Hæreticorum claſſe non tantùm damnatæ doctrinæ Auctores generatim, ſed particulatim quoque nomina ſingulorum, videlicet: Eraſmus Rotembucher, Clemens Marot, Iacobus Otherus, Thomas Venatorius, Raphael Muſæus, Vincentius Obſopæus, & ſexcenti alij percenſentur, adeoque Hæreticorum quoque nomine, ac infamiâ palàm notantur. Quæro iam, quandónam hi omnes, antequàm huiuſmodi probro, atque appellatione Hæreticorum dehoneſtarentur, acciti ſunt? quando moniti? quando rogati? quando examinati? quando auditi? quando defenſi? Si dicam, nunquam, quod mihi ſanè perſuadeo, quis contra tendat? quis ſecus accidiſſe oſtendat? Nemo, opinor, opinionemque tum deponam meam, vbi me falſum falſimonijs videro. Interim planum eſt, ex ſolis libris Hæreticis luci creditis & Hæreſes manifeſtarias, & Auctorum earum perfidiam; ac propria nomina fuiſſe deprehenſa; ac proinde eoſdem Auctores in Hæreticorum quoque claſſem meritiſſimò adſcriptos.

IX. Quæ mea annotamenta egregio inſuper Eminentiſſimi Cardinalis de Lugo documento illuſtro, ac roboro, *qui Tomo de Fide, diſp* 21. *ſect* 2. *num.* 26. duplici ratione libros ab Eccleſiâ vetari docet. Primò, *per modum medicinæ, vt bono fidelium conſulatur, auertendo ſcilicet ab ijs venenum, quod ex eorum librorum lectione haurire poſſent* Secundò, *per modum pœnæ, quâ Auctor Hæreticus iuſtiſſimè plectitur, vt qui in doctrina abuſu deliquit, in eadem*

doctrinâ

doctrinâ puniatur, ablatâ ei poteſtate vllo modo docendi. De primo autem modo ac ratione apertè ſtatim pronuntiat, *immeritò ſæpe Auctores conqueri, quod nec citati, nec auditi condemnentur: hoc enim neceſſarium eſſe, quando cauſſa ageretur contra Auctores, vt Reos: ſecus verò eſſe, quando agitur ſolùm de bonô ſubditorum procurando; licèt inde indirectè Auctoris nota aliqua ſubſequatur. Nam paterfamilias punire non poteſt filium alienum, nec eum corripere: poteſt tamen proprios filios ab eius conſuetudine ſeparare, eamq; illis prohibere, ne fortè ſcelerati ſodalis improbis moribus inficiantur.* Fatetur tamen illico idem doctiſſimus Cardinalis *num 27. Quia conſequenter Auctoris nomen ex libri prohibitione grauiter læditur, diligentiam maximam adhibendam, vt quod deeſt defenſionis propriæ, dum Auctor non auditur, ſuppleatur diligenti examine, &, ſi fieri poſſit, aſſignato quaſi procuratore aliquo Auctoris abſentis, qui bonâ fide adducat, quæ in defenſionem Auctoris allegari poſſent: quando ſcilicet Auctor Catholicus eſt, & bonæ alioquin exiſtimationis: quo caſu* (ſubdit mox) *non videtur prætermittendum, quando error non eſt omnino manifeſtus, vt ab Auctore anteà exigatur, vt declaret ſenſum ſuæ doctrinæ, qui ſenſus ſi Catholicus appareat. poterit iudicum iuſſu, ſi neceſſe fuerit, addi in ipſo libro, nempe Auctorem nonniſi in tali ſenſu doctrinam illam tradidiſſe, atque ita eam explicaſſe.* Quâ lenitate erga Catholicos Auctores bonæ exiſtimationis vtendum, iure cenſet prudentiſſimus Cardinalis.

X. Quo pacto autem Hæreticos tractandos idem arbitratur? mox ſic ediſſerit: *Aliter cum Hæreticis Eccleſiæ hoſtibus agendum eſt, quorum verba etiam dubia in deteriorem ſenſum iuxta eorum mentem interpretanda ſunt: ſubdolè enim verbis ambiguis vtuntur, vt ſeſe ſimplicioribus mentibus inſinuent: aliter verò cum Catholicis, quando ij tales ſunt,*

ſunt, vt ſperari poſſit ab ipſis vel ſpontanea correctio, vel talis interpretatio, quâ appoſitâ periculum totum doctrinæ parum tutæ præcaueatur. Vnde

XI. Obſeruo I. Quoties vel Auctor Catholicus non eſt, ſed Hæreticus; aut ſi Catholicus, non eſt bonæ exiſtimationis, eiuſque error manifeſtus eſt; ex ſententiâ ſapientiſſimi Cardinalis de Lugo, vt ex eius verbis palàm ac neceſſariò colligitur, non eſſe locum procuratoris aſſignationi, neque talem Auctorem interrogandum, audiendum, aut citandum.

XII. Obſeruo II. Hæreticorum nomine ab eodem Cardinali hîc haud dubiè comprehendi etiam nondum nominatim damnatos, & denuntiatos, quos ſcilicet tales eſſe ex manifeſtis erroribus libro vulgatis ſatis certò compertum eſt, quod perſpicuè eo reuincitur, quia *ibidem, num.* 40. vnà cum communi Doctorum placito ſancit, ad *Cenſuram Bullæ Cœnæ* prohibentis libros Hæreticorum *incurrendam* non requiri, vt ij ſint condemnati, denuntiati, vel declarati, ſed ſatis eſſe, ſi Lectori conſtet Auctorem eſſe Hæreticum, etſi is nominatim damnatus minimè ſit. Ex quo euidenter colligitur, huiuſmodi Hæreticos minimè declaratos, nec denuntiatos, ab Eccleſiâ, quando tales eos eſſe ex Hæreticis ipſorum libris certò agnoſcit, ac propterea talium librorum lectione, intentato quoque dirarum fulmine, interdicit, grauiter admodum puniri, vt planum eſt. Si igitur Eccleſia teſtatas libris tantùm Hæreſes ſatis eſſe iudicat, vt eos vetet, Auctoreſque illorum, quanquam minimè denuntiatos tam graui pœnâ, quanta eſt in Hæreticorum claſſem ipſos reijcere, afficiat; haud dubium, opinor, eſt, quin Cardinalis de Lugo eaſdem Hæreſes ſufficere quoque putet, vt ijdem Auctores tanquam Hæretici ab eâdem Eccleſiâ in eo-

rundem

eundem librorum cenſurâ tractentur, ipſorumque verba etiam, *quæ dubia ſunt, in deteriorem ſenſum iuxta eorum mentem*, accipiantur, neque prius ipſi interrogentur, audiantur, aut citentur, tametſi ijdem neque dum nominatim antè damnati, & declarati ſint.

XIII. Obſeruo III. Quando Eccleſia Auctorem aliquem in primâ Hæreticorum claſſe reponit, huiuſmodi Auctorem ab illâ non ſolùm obliquè, ſed directo etiam puniri, vt liquet. Nam quamuis pœna ſontibus, quò innocentibus, & bono communi conſulatur, irrogetur; id tamen non tollit, quin ijſdem ſontibus directè infligatur. Haud ſecus etiam, quanquam Eccleſia, vt Catholicis proſpiciat, Hæreticorum libros damnat, Auctoresque errorum Hęreticorum primæ claſſi damnatorum ſcriptorum accenſet, hoc tamen certè eos minimè eximit, quo minùs huiuſmodi pœnâ admodum graui, etſi iuſtiſſimâ, directè multentur, vt patet.

XIV. Hinc in rem meam ſic præualidè vrgeo. Sedes Apoſtolica nomen Hæretici ex certis librorum Hæreticorum documentis tantummodò, ſingulis Auctoribus eorum non citatis, nec monitis iure imponit, vt demonſtratum eſt. Igitur priuati quoque Theologi ex ijſdem librorum teſſeris æquè exploratis nomen pariter Hæretici talium librorum architectis, & conditoribus ſingillatim multo magis etiam non vocatis, neque interrogatis, poſſunt tribuere. Conſequutionem euinco facillimè: quia etſi Apoſtolica Sedes cenſuram priuatorum Theologorum hac prærogatiuâ maximè ſuperat, quòd ipſa auctoritate, & iuriſdictione præſtat, iſta autem caret; ideoque illa ſententiæ à ſe pronuntiatæ cunctos obſtringit, hæc minimè, vt ſæpius indicaui: tamen eadem Apoſtolica Sedes multo grauiorem, fœdioremque infamiam

Aucto-

Auctoribus ipſis Hæreticis, quàm priuata Theologorum cenſura, inurit, quandoquidem tantâ Auctoritate ipſa pollet, hæc orbata penitùs eſt, vt notum eſt, & iam antè probatum. Adde, quod illa Apoſtolicæ Sedis cenſura non tantùm facti, ſed iuris etiam infamiam, pœnam videlicet morte ipsâ ſæuiorem irrogat; hæc Theologorum nonniſi facti, longè nempe mitiorem. Ergo quum Sedes Apoſtolica ex ſolis libris Hæreticis, infamiam Hæretici criminis, & nominis, multò atrociorem Auctoribus eorundem librorum meritò conflet; multò magis priuati Theologi ex ſolis item Codicibus Hæreticis ignominiam paris quidem delicti, atque appellationis, at longè leniorem iiſdem Auctoribus inferre poſſunt: præſertim quum eam non pœnæ, ſed defenſionis tantùm nomine inferant.

XV. Confirmatur I. Quia ſi libri Hæretici Theologis ad notam Hæretici eorundem fabris architectiſque imprimendam ſatis non eſſent; neque Sedi Apoſtolicæ maiorem pœnam imponenti ſufficerent, vt palàm eſt. Et tamen ſufficiunt, vt docet experientia. Ergo multò magis Theologis minorem irrogantibus ſatis erunt. Confirmatur II. Quia vt duo teſtes Iudici ad Reum condemnandum, quum illi nulli exceptioni obnoxij ſunt, planè ſufficiunt; ita duo quoque teſtes omni exceptione maiores ad idem eiuſdem Rei crimen exploratum omnino habendum, antequam etiam ab vllo Iudice damnetur, vel citetur, prudenti cuique ſatis ſunt, vt conſtat. Ergo Theologi ex ſolis libris Hæreticis nomen Hæretici, ſcelus & probrum, certis eorum Auctoribus non monitis, neque rogatis, Sedis Apoſtolicæ imitatione, quanquam diſpari auctoritate, vt explanaui, iure optimo poſſunt affingere.

XVI. Videant igitur, qui priuatim Theologorum

rum in ſingulares Hæreticos nondum nominatim proſcriptos cenſuram & nomenclationem è ſolis voluminibus diuulgatis expreſſam improbant, ne ipſummet Apoſtolicæ Sedis eundem prorſus vſum moremque priſcum imprudenter percellant, conuellantque, quod certè nemo, niſi improbus valde vnquam tentauerit.

Cap. VIII.

Nullam tragulam in Apologetica ab vllo Reipub. offenſaculo, vel incommodo inijci.

I. Hoc defunctus prœlio haud ſanè leui, ſed, ni me ludit opinio, feliciter; cerno modò eò decurrere amicum interpellatorem, vt Reipub. ſalutem tutam, ſi Apologetica in tuto conſiſtant, neget, perturbatamque admodum ac penè euerſam penitùs contendat. Quid enim? Si priuato cuique, iuridiciali criminis accuſatione omnino prætermiſsâ, libellos publicæ vtilitatis nomine, vel priuatæ correctionis grattâ, concinnare, ac foras dare, in quibus graue delictum certo ab homine, puta Titio, commiſſum varijs argumentis, indicijs, & coniecturis probare niteretur, quemadmodum Apologeticorum conditoribus ſolemne ferè eſt, liceret; quæ rixæ, quæ contentiones, quæ odia, offendicula hinc non pullularent? Si id fortè ſoli Hæreſeos piaculo exagitando conceſſum quis aiat; nemo iure, cur idem quoque alijs etiam flagitijs longè tæterrimis (quæ Reipub. intereſt, ne dira lues graſſetur, retegi) euerberandis fas ſit, cauſſari, aut tergiuerſari poterit. Eodem namque exemplo quibuſcunque priuatis integrum ac ſolutum foret, adornato, ac publicato libello Titium adulteratæ monetæ, paratæ necis Prin-

Principi, multiplicis ſacrilegij, capitalis veneficij, ac ſimilium criminum valde atrocium Reum agere. quod ſicut leges omnes ſacræ, & profanæ vetant; ita nullus adeò pudorem decoxerit, vt ſomniare non erubeſcat.

II. Verùm fulgura iſta omnia, vtpote ex vitro, nulli formidanda, quilibet non inuitus fatebitur, qui vigilanter expendet. I. Sicut Hæretici delationem ad Sacros Quæſitores nullo Apologeticorum obtentu vnquam omittendam diſertè monui; ita neque accuſationem apud iudicem eorundem titulo negligendam, ſeriò me hîc denuntiare.

III. II. Longè aliam Hæreſeos eſſe rationem, quàm cæterorum criminum. Ea quippe crimen exceptum eſt, vt ex Hoſtienſi, Speculatore, Angelo, Cónrado, Gomezio, & reliquis Doctoribus Farinacius *quæſt.18.num.60* docet: ac propterea in ſacro Quæſitorum foro nomina ipſa teſtium, ac delatorum, qui Reum perſtrinxerunt, eidem Reo minimè aperiuntur, contra vſum planè, & conſuetudinem cæterorum omnium tribunalium, vt idem Farinacius *quæſt.* 188. *num.* 7. demonſtrat. Quocirca mirum non eſt, ſi certum Hæreticum nominatim refellere, edito quoque Apologetico fas eſt, non autem continuò quemcunq alium etiam facinoroſum, tametſi Reipub. valde noxium.

IV. III. Manifeſtarium quoque diſcrimen patere, quòd Hęreſis velut cancer ſerpit, eſtque animi morbus præ cunctis alijs pellaciſſimæ contagionis, quum ea, quod delictum immane eſt, crimen eſſe inficietur, contraque quod infandum mendacium eſt, excoctam prædicet veritatem; quo fit, vt maximè omnium frenos vitijs perniciabili indulgentiâ ex profeſſo quaſi laxet. At reliqui flagitioſi vtcunque perditi, quanquam alijs prauo exemplo vtique ſunt; nunquam tamen eò impudentiæ rapiun-

tur, vt peccata immania, quæ admittunt, negent eſſe peccata (alioqui & ipſi forent Hæretici) atque ita frænum ipſum peccandi, notitiam ſcilicet, teſſeramque peccati de medio auferant. Quare delicta Monetarij, Latronis, Sicarij, ac aliorum reſpectu Hæreſeos videntur potiùs ſingularia; at ipſa Hæreſis, generalis quædam lues peſtifera, quæ omnes communiter inficit.

V. I V. Caſum initio expoſitum ab Apologeticis magno interuallo diſtare. Hæc enim de publicis libris Hæreticis, eorumque Auctoribus refutandis agunt; ille de improbis quidem ac ſceleſtis, ſed qui ſuis de flagitijs in libros nihil retulerunt. Hæc de eo, qui Catholicam fidem ab Hæretico publicis Codicibus nequiſſimè oppugnatam defendendam iuſtiſſimè ſuſcipit; ille de eo, qui non defenſionem vllam, ſed accuſationem tantùm adornat.

VI. V. Si caſus æqualis componatur, vtrumque eâdem facultate gaudere. Si enim mores turpiſſimos ac impuriſſimos blandiloquo ſtylo deſcriptos, typiſque editos, Lectoreſque ab ijs ad libidinem, ad fœnus, ad homicidia, ad proditionem, atque ad alia delicta inuitari, incitari, ſolicitari ponamus, quum huiuſmodi Codices Reipub. noxioſiſſimi ſint, vt clarum eſt; liberum vtique cuiuis docto, vbi accuſationem fruſtra interpoſuit, erit, contrarijs libris vulgatis illos reijcere, eorumque Auctores, vbi aliæ rationes ad grauiſſimum Reipub. damnum ex tam flagitioſorum voluminum lectione redundans auertendum non ſufficerent, tanquam libidine alijſque vitijs fœdatos notare, appellare, vituperare. Neque id tum ab honeſtate, aut rectâ ratione deflecteret, quod quis fruſtra omnino ſuſpicaretur, ſed remedium neceſſarium prorſus foret, ſicut viri ſapientiſſimi plerique Machiauello, alijſque improbis

Aucto-

Auctoribus, nigrum ſtigma, antequam etiam eorum monumenta eſſent prohibita, liberè inuſſerunt, & quæ ipſi ſerunt, delicta ijſdem meritò impegerunt.

VII. Quando libri aliquem Hæretici nomine inſignientes, priùs quàm emittantur, Epiſcopis, Inquiſitoribus, Magiſtratibus examinandi, probandique ex Sacrorum Conciliorum, ac Pontificiorum decretorum præſcripto exhibentur, nullum rixarum, contentionum, incommodorum, vel offendiculi, niſi fortè Phariſaici, ac proinde ex Chriſti Domini & Doctorum omnium ſcito ob bonum commune contemnendi, periculum eſſe poteſt, dum illi, quorum eſt, quid Reipub. Chriſtianæ vtilitas, vel neceſſitas poſtulet, diſpicere, ſedulò excubant, atque in ſpeculis toti ſunt.

§. IX.

Sacrorum Canonum Sanctionibus Apologetica nequaquam aduerſari.

I. PRofano legum armamentario exinanito, iam è ſacro tormenta promuntur, quæ in libros Apologeticos exonerentur. Quis enim I. in his tam hoſpes eſt, quis tam rerum ignarus, qui neſciat, alieni obtrectationem nominis, Summorum Pontificum, Anacleti, Alexandri, & Clementis interdictis quà C *ex merito, 6 q.1.* quà C. *Summa ibidem*; quà C. *homicidiorum, de pœnit. diſtinct.1.* ſeuerè vetari, ipſumque obtrectatorem homicidam appellari?

II. Deinde quis non animaduertit in C. *qui ambulat*, §. *ſed & aliud. 5.q.5.* aliud eſſe, ex ſententiâ Gratiani, crimina deferri Iudici, vt improbos, qui ſecreto admoniti, reſipiſcere noluerunt,

pronunciatâ ſententiâ corrigat; aliud, falſa obijcere, ſeu veram etiam inſultando exprobrare; illud namque caritatis, hoc impietatis eſſe officium?

III. Prætereà quis non legit in C. *Si Sacerdos*, 2. *de offic. ordinar.* ab Eugenio Pontifice Maximo ſtatutum, vt, ſi Sacerdos quis certi criminis manifeſtum aliqnem nôrit, eum nominatim, *niſi iudiciario ordine probare poſſit*, minimè arguat, *ſed indeterminatè, ſicut dixit Chriſtus: Vnus veſtrum me traditurus eſt?*

IV. Demum quis ignorat hiſce alijsque ſimilibus decretis permotos Hoſtienſem, Io. Andream, Cardinalem Butrionem, & alios in *cap vlt. de iniur.* magnâ ſuffragiorum conſpiratione aſſeuerare, per Canonum iuſſa nefas omnino eſſe, crimina, tametſi vera, cuiquam extra iuridiciale forum impingere, ac vitio dare? quod ſanè, ſi Canonum ſcitis ſtetur, eſſe indubitatum Alexander de Neuo *Conſ.* 82. *num* 5. & *de iure Pontificio expeditiſſimum* Farinacius *quæſt.* 105 *num.* 146. teſtificantur, Doctoreſque huius ſententiæ patronos, quos hîc recenſere non attinet, ingenti numero afferunt. Hæ porrò Sanctiones omnes, Iuriſque Conſultiſſimi viri, quid, niſi Apologetica feriunt, à quibus commemorata piacula, quæ ab illis damnantur, contrahi palàm eſt?

V. Verùm hi omnes globi, quantumuis tantâ excuſſi vi, culcitâ nihilominùs quàm molliſſimâ à me iam iam excepti, ad irritum mox cadent. Singulorum, age, periculum faciamus. Primus fruſtra planè eſt, ſiquidem obtrectatio alienæ exiſtimationis, etſi naturali & diuino iure, ne dum Pontificio vetita ſit; tamen, quoties crimen, quod carpit, eſt publicum, locum nullum habere poteſt, vt Theologi omnes apud Leſſium *lib. 2. de Iuſt.*

Inſt cap. 11. *dub.* 2. *num.* 6. Bonacinam *de Contract. diſp.* 2 *quaſt.* 4. *propoſ.* 1. *Cardinalem* de Lugo *Tom.* 1. *de Inſt. diſp.* 14. *ſect.* 5. *num.* 39. & alios paſſim definiunt, quicquid ſecus de ipſo affectu, quo quis de aliorum commiſſis loquitur, ſentiendum ſit. Quocirca vbi Apologetica publicis tantum flagitijs inurunt ſtigma, obtrectationis culpæ obnoxia eſſe non poſſunt. Quid quod vbi crimen etiam penitùs occultum eſt, ad graue Reipub. damnum, quod aliter vitari nequit, arcendum fas quoque omnino eſt ſine obtrectationis vitio illud detegere, imò etiam neceſſe eſt, vt ijdem Theologi apud Bonacinam *loc. cit. punct,* 8. *num.* 1. & Cardinalem de Lugo *ibid ſect.* 7. *num* 110. conſentiunt? Proptereà quum aduersùs libellos Hæreticos, quando nomina Auctorum ſuppreſſa, atque ignota ſunt, ſatis efficax remedium aliud non ſuppetit, quàm Apologetico publicato ad auctoritatem illis detrahendam, atque ita ad Hæreſim quoque frangendam ea prodere, & compeſcere, hoc vtique ſine obtrectationis ſcelere licet, & verò etiam opus eſt. Canones verò ſuprà *num.* 1. enumerati, de obtrectatione, atque obtrectatore dumtaxat, qui clancularia delicta vel infamandi libidine, vel ſaltem ſine iuſtâ cauſsâ pandit, apertè loquuntur, meritòque iniuſtitiæ, atque impietatis officium eſſe pronuntiant.

VI. Gratianus autem, qui deinde in aciem eductus eſt, rectè, ſanè ac prudenter in C. *Qui ambulat,* aliud eſſe crimina deferre Iudici, vt latâ ſententiâ peruerſos corrigat; aliud falſa obijcere; *ſeu vera etiam inſultando exprobrare* animaduertit. Nam etiamſi crimen verum, & publicum ſit, id tamen animo vindictæ eupido, aut aliàs iniurioſo cuiquam petulanter inſultando in faciem ingerere, nefas ſine dubio eſt. At Apologetica innocentię,

vel Catholicæ religionis propugnandæ gratiâ conſcripta longè à tam prauo affectu, vt ſupra *cap.* 4. §. 2. patefactum eſt, peregrinantur.

VII. Neque Eugenius Pontifex tertio loco appellatus expoſitæ fundatæque doctrinæ refragatur, Quippe non de quocunque Sacerdote, ſed de Antiſtite ſolùm, atque Epiſcopo, vt ipſo è themate Canonis liquet. *Qui ſcit*, inquit, *non vt Iudex, vel homo, ſed vt Deus, ſubditum eſſe reũ criminis*, affirmat integrum illi non eſſe eiuſmodi ſubditum nominatim arguere. At hic Canon I. ad alios, qui neque Antiſtites, neque Epiſcopi ſunt, neque vllâ iuriſdictione potiuntur, inuitâ planè Dialecticâ, & cunctis legibus reclamantibus, quæ ab vno ſingulari caſu ad alios valde diuerſos tranſiliendum negant, extendendus non eſt.

VIII. II. Reſpectu etiam Antiſtitis, atque Epiſcopi cum grano ſalis intelligendus, videlicet non licere Præſidi crimen ſubditi occultum manifeſtare, nominatimque illi exprobrare; niſi grauis cauſſa nimirum boni communis procurandi, vel damni cauendi aliud ſuadeat, vt Theologi vniuersè de alterius abdito crimine ſine legitimâ cauſâ non aperiendo præcipiunt.

IX. III. Verba ipſius Canonis attentè inſpicienda, quæ ſunt huiuſmodi; *Si Sacerdos ſciat, pro certo aliquem eſſe reum criminis; vel ſi confeſſus fuerit, & emendare noluerit, niſi iudiciario ordine quis probare poſſit; non debet eum arguere nominatim, ſed indeterminatè, ſicut dixit Chriſtus; vnus veſtrûm me traditurus eſt.* Quæ verba ſupra *num.* 2 ita interpretata ſunt, vt Sacerdos, qui aliquem delicti compertum nouit, non eum nominatim arguat, *niſi iudiciario ordine probare poſſit*; *ſed indeterminatè, ſicut dixit Chriſtus* &c. perinde, ac ſi ea clauſula, *niſi iudiciario ordine quis probare poſſit* cum ſequenti membro, quaſi ad Sacerdotem, & non ad reum quoque perti-

pertineret, iungenda foret. Sed perperam omnino; nam ſi ita verba traijcerentur, ſenſum valde perturbatum, ineptumque parerent. Quum enim eo in Canone de occulto crimine ſubditi agatur, vt indicaui, & ipſis è verbis ſatis dilucet; ſic ille neceſſariò explanandus eſſet: Quando Præſul ſubditi occultum crimen nouit, ſi non habet duos teſtes, quorum fide illud in Iudicio probare queat, non debet eum publicè ac nominatim arguere. Occultè namque ac priuatim poſſe Antiſtitem, imò etiam debere abditum ſubditi peccatũ, quod exploratò nouit, nominatim reprehendere, ex ipſo Euangelio perſpectum eſt, & tanquam certum Theologi omnes ſanciunt. Quare ex adultero huiuſmodi ſenſu efficitur, etiamſi crimen occultum ſit, quando Præſuli duo teſtes ad id in iudicio reuincendum præſto ſunt, poſſe ſubditum publicè ab illo extra iudicium quoque eiuſdem occulti criminis ſemper argui; quod tamen ita generatim acceptum falſum omnino eſt. Quum enim adhuc idem crimen, quanquam Præſes duobus teſtibus illud probare poteſt, occultum ſit, vt Canon ipſe haud obſcurè ponit, equidem nefas ei eſt id extra iudicium publicè redarguendo prodere, niſi grauis aliqua cauſſa ei præ manibus ſit, vt conſtat. Ne igitur tam peruerſus ſenſus inde eliciatur, ſpectant illa verba: *Niſi iudiciario ordine quis probare poſſit,* neceſſariò ad Reum quoque atque ad membrum præcedens, gignuntque hanc commodiſſimam, planiſſimamque ſententiam: Sacerdos, qui aliquem criminis Reum certò comperit, ſeu quia aliquis ſe reum eſſe, ei tanquam Patri extra forum arcanæ, & ſacræ confeſſionis vltro faſſus eſt, ſeu quia res aliunde illi innotuit; vbi ſubditus in ſcelere ita erit pertinax, vt, niſi cernat hoc non ita latêre, vt aliquis *iudiciario ordine* idem probare non poſſit, nullam emendationis ſpem pollicea-

tur, tunc ſolùm nempe bonam ad frugem redituſus, quum in iudicio illud probari poſſe ſibi perſuaſerit: donec crimen ipſi tanquam Patri confeſſum, manet abditum, haud debet iſtud publicè ac nominatim carpere. Vnde patet Canonem de propoſitâ Apologeticorum quæſtione, an poſſit quis alterum omiſſâ iudiciali contentione, editoque libro, exagitare, nihil prorſus innuere.

X. Venio iam ad Sacrorum Interpretes Canonum poſtremâ in acie locatos, qui vera crimina extra iudicium alicui exprobrare nefas eſſe aientes, explicatæ doctrinæ nihil officiunt. Aliud enim eſt, abſentis crimen verum narrare ſimpliciter, atque vrgere, aliud præſenti ſcelus inſultandi conſilio exprobrare. Primum, quando crimen vulgatum eſt, prauusque animus faceſſit, ex honeſto fine, vt quum Parens filijs, quò ſibi caueant, illud refert, atque execratur, ex omnium Theologorum ſententiâ licet. Alterum minimè, quia exprobratio atque inſultatio iniurioſum animum ſonat. Quocirca illud Interpretum placitum non quemcunque alterius de crimine ſermonem, ſed eum tantùm, qui occulta crimina ſine neceſſitate retegit, vel certè quæ ſunt publica animo inſultante, hoc eſt iniuriæ architecto exprobrat, ac proinde & iniuriam facit, complectitur. Propterea Farinacius communem Doctorum ſententiam *q* 105 *num* 246. teſtatus, ita cum eis appoſitè philoſophatur. *De iure Canonico iniurians tenetur indiſtinctè, etiam quod verum dixerit, extraiudicialiter tamen, & illud quod dicit, Reipub. interſit ſciri. Et hoc quia extraiudicialiter informando videtur habere iniuriandi intentionem, quæ facit aliquem iniuriarum pœnâ teneri.* Subditque idem Farinacius vnà cum Ignatio Lopez, id eſſe *de iure Pontificio expeditiſſimum.* Quibus planè ſcitis atque Doctoribus ego quoque lubens aſſentior. At hi omnes, Apologetica, quæ ab omni verborum in-

iuriâ

ntiâ, iniuriæque faciendæ conſilo iam *cap.4. §.2.* & 3.vindicaui,nihil prorſum attingunt,vt patet.

XI. Addo inſuper eundem Farinacium, quanumuis allatam modò doctrinam *de iure Pontificio expeditiſſimam* pronuntiârit, paulò pòſt tamen *num.251.* hoc pacto ſapienter excipere: *Si iniuria fuerit prolata cum cauſſa, & ſine animo iniuriandi, tunc veritatem excuſare, prout dixi in octaua opinione, nũ.231.* vbi palàm docet, quod ſuprà *nũ.246.* vt modò retuli,ex communi Doctorum placito aſſeuerarat,tum reſcindi,irritumque eſſe;quum animus iniuriæ irrogandæ abeſt; & vera piacula ex iuſtâ cauſsâ velut legitimæ defenſionis obiectantur, quemadmodum Apologeticis ſolemne eſſe toties iam denuntiaui. Quod eo etiã illuſtrius clareſcit, quo idem Farinacius eo *nũ.251.* iniuriam cum cauſsâ, & ſine animo faciendæ enuntiatã, non formalem veramque iniuriam, ſed materialem tantùm ac planè inanem intelligit, alioquin ſecum ipſe pugnaret, atque id, quod *num. 246.* conſtituerat, turpiter vel pueriliter expungeret. Eodem enim modo *cap.4 §.3.* oſtendi,verba aſpera,& aliàs iniurioſa,quum iuſtè ſanoque conſilio vſurpantur, iniurioſa ampliùs non eſſe. Iam Farinacio, & cæteris Doctoribus illo *nũ.251* arbitris,quęcunque verba acria ac mordacia ſontem maximè vrunt,quando ſine animo inferendæ iniuriæ, & cum cauſsâ, verè proferuntur, etiam extra ſubſellia iudicij, quamuis eiuſmodi ſint,vt ſi abſque cauſsâ,vel cum iniuriæ irrogandi conſilio proferrentur, iniuriam vtique facerent, ab omni iniuriarum labe ſunt omnino pura. Quamobrem hæc eadem verba cum cauſsâ,ac ſine animo faciendæ iniuriæ,ſi in librum referantur, atque ad innocentiæ, vel Catholicæ fidei neceſſarium patrocinium typis vulgentur, inculpari iure non poterunt: ſiquidem verba iuſtè enuntiata, eo dumtaxat, quòd ſcribantur,

atque edantur, iniuſta, aut iniurioſa minimè redduntur, niſi aliqua mala circumſtantia, vel deprauati affectus, vel alicuius interdicti, vel improbæ cauſſæ, vel alia ſimilis accedat, quæ in legitima Apologetica nequaquam cadit, ac proinde hæc cunctis quoque Doctoribus plaudentibus elucubrari, atque in lucem emitti poſſunt.

CAP. X.

Apologetica neque in Pij V. Pontificis Maximi diploma, neque in Regulas Indicis quicquam delinquere.

I. SAcrorum arce Canonum depulſus Aduerſarius, Pij V. Sanctionem, quæ nouo in *Bullario Tom.1 fol.339.* exarata eſt, atque ex ordine inter eiuſdem Pij Diplomata, CXLVII. numeratur, in Apologeticos libros magno niſu eiaculatur. Nam in eâ Sanctione Pontificum ille Maximus, atque Sanctiſſimus, vt obuiam iret, frænumque inijceret odijs, Simultatibus, Iurgijs, Seditionibus, Rixis, atque Homicidijs, quæ graui animarum periculo, pernicioſoque Reipub. exemplo atque offendiculo, vt illic *in Præmio,* & *§. præcedenti, num.* 1. disertè præfatur, graſſari ſolent; pœnis acerbiſſimis propoſitis, quamcunque libellorum famoſorum, ſeu quarumuis Scripturarum, quæ conuicia, iniurias, vel famæ, honoriſúe alicuius probra continent, compoſitionem præcisè vetat, ijſdem pœnis teneri vult, *qui de alio fuerint oblocuti, alicuiuſq; famæ ac honori vera etiam exprobrando detraxerint*, quæ ſunt verba ipſiuſmet Diplomatis. Præterquàm quod eodem illo §. 1. denuntiat, id ipſum aliàs pleriſque ſacris legibus fuiſſe cautum,

atque ad marginem ibi lex vnica C *de famoſis libell.* alijque Canones è Decreto Gratiani laudantur. Quâ etiam de Sanctione Farinacius *quaſt*, 105. *num.*241. & *num* 244. meminit, eiuſque beneficio controuerſiam omnem penitùs ſublatam eſſe teſtatur. Quum autem Apologetica proximi famam grauiſſimè omninò ſeu calumnias, ſeu Hæreſes ei exprobrando lædant, haud dubium, hæc ab eo Diplomate damnari.

II. Sed auertat Deus infauſtum omen. Pius V. legitimis Apologeticis aquâ, atque igni interdixit? Non patiar ijs tam inſignem, compertamque iniuriàm fieri. Aio planiſſimè, hæc extra ictum omnem illius Pontificiæ Sanctionis poſita eſſe. 1 Quia Pius Pontifex eo Diplomate non ſanè *quarumuis Scripturarum, quæ conuicia, iniurias, vel famæ, honoruúe alicuius probra continent, compoſitionem vetat*, vt obiectum eſt, ſed certarum dumtaxat & ſingularium, quas nominatim exprimit, fabricationem, vt ex verbis ipſis Sanctionis apertum eſt, quæ, hîc omiſſis breuitatis gratiâ ijs, quæ ad rem non pertinent, neque ſenſum vllo mōdo variant, ſic habent, §.2. *Statuimus* &c. ne quis audeat, *nec præſumat libellos famoſos, nec literas monitorum vulgo appellatas, Lettere d' auuiſi, continentes conuicia, iniurias, vel famæ, & honoru alicuius læſionem, nec aliquam Scripturam, in qua de famoſis ſucceſſibus diſſeratur, vel ea, quæ coram nobis, vel alijs ad vniuerſalis Eccleſiæ Status regimen deputatis ſecreto tractantur, reuelentur, componere, dictare, ſcribere.* Vbi palàm eſt, à Pio V non omni, vel cuiuis Scripturæ, ſed peculiari tantùm, in quâ *de futuris ſucceſſibus diſſeratur*, vel ſecreto acta cum Pontifice, eiuſúe admi-niſtris deteguntur, ſtigma inuri. Nunc quæro ex te. Vel tu Scripturam quamlibet, alienæ famæ obtrectantem, quam à Diplomate Pij perſtrictam ais, à libellis famoſis, quos ibidem percellit, diſtin-

guis. Si non diſtinguis, fateor, eam omnem Scripturam, quæ famoſo libello reapſe eadem eſt, à Pontifice omnem libellum famoſum diras ibi deuouente, omnino verari. Sin autem diſtinguis; tunc exploratum eſt, ab eo, non quamlibet Scripturam, quæ alienam lædit famam, ſed illam dumtaxat, *in qua de futuris ſucceſſibus diſſeritur*, vel ſecreto acta cum Pontifice &c manifeſtantur, prohiberi; multoquè minùs per illam clauſulam, *Nec literas monitorum vulgo appellatas, lettere d' auuiſi*, omnibus Scripturis proximi exiſtimationem obtrectantibus diem dici, pœnamque irrogari; ſiquidem hæ quoq; literæ peculiares quædam ac certæ Scripturæ ſunt. Quis autem neſcit, minimè integrum eſſe, ex ſingulari interdicto aliquot Scripturarum, interdictionem generalem omniū colligere; præſertim quum in odioſâ materiâ, in quâ leges, pœnasque eſſe reſtringendas vulgato Iuriſperitorum effato vel tonſoribus conſtat, verſemur?

III. II. Si Pontificij illius Diplomatis pœnis tenentur ij quoque, *qui de aliquo fuerint oblocuti, alicuiusq; famæ ac honori vera etiam exprobrando detraxerint*, vt principio *num*. I. exiſtimatum patet; ineluctabili conſequutione fit; vt omnis planè honoris famæúe alienæ obtrectatio, etiamſi non ſcripto, ſed verbis ſolis efferatur, ac vera exprobret, non tantùm flagitium ſit, naturali, ac diuinâ lege, quæ proximi famam honoremúe lædi prohibet, vetitum, de quo nemo dubitat; ſed cunctis etiam pœnis, quas Pius V. in ea Sanctione imponit, vrgeatur, quod ſicut falſum omnino eſt, ita apud Theologos omnes, ſacrorumque Interpretes Canonum prorſus inauditum, atque à mente & verbis ſapientiſſimi Pontificis alieniſſimum. Nam Diplomatis genuina periodus hæc eſt. *Quibus pœnis etiam eos ligari volumus, qui huiuſmodi libellis, literis, ſeu Scripturis de aliquo oblocuti fuerint, alicuius famæ,*

&

& honori, vera etiam exprobrando detraxerint, ac ea, quæ coram nobis, vel alijs, vt ſuprà, ſecreto tractantur, reuelauerint. Ex hoc equidem animus deprehenditur prauus iniuriandi, & nocendi, atque ideò eos eâdem pœnâ teneri conuenit. Vnde perſpicuum eſt, huiuſmodi clauſulâ idem planè, quod anteà illo §. 2. decretum fuerat, repeti, vt ijs è vocibus, *vel alijs, vt ſuprà*, dilucet, atque hîc hoc dumtaxat adijci, vt etiamſi vera crimina exprobrentur, conſtitutæ pœnæ nihilominùs non effugiantur. Neque verò hîc Pontifex quamcunque obtrectationem pœnis multatam vult, ſed eam tantùm, quæ libellis, aut Scripturis circumfertur. At talem obtrectationē libellis, Scripturisúe addictam, ad omnem aliam obtrectationem, etiam verborum tenus, porrigere, neq; per ſcita Dialectices, neq; per Iuriſconſultorū reſpōnſa fas eſt. Vt vero etiam porrigeretur, nihil certè adhuc ipſa Apologetica, quæ minimè obtrectant, ſed obtrectationes diluunt, infeſtaret, vt notum eſt.

I V. I I I. Pontifex prudentiſſimus illic famoſos tantùm libellos, & *literas moniterum, vulgo lettere d'auuiſi appellatas*, quæ conuicia &c. continent; nec non Scripturas de futuris ſucceſſibus &c. ſiue vera, ſiue falſa exprobrent, prohibet, vt paret; de alijs autem Scripturis nullam prorſus facit mentionem. At Apologetica neque ſunt libelli famoſi, vt probatum eſt *cap.* 4. neque *literæ monitorum*, quæ nihil docent, ſed ad opprobrandum tantummodò adornantur, qualia Apologetica non ſunt; neque Scripturæ de futuris ſucceſſibus, vt manifeſtum eſt; neq; ſecreto acta cum Pontifice euulgant, vt pariter teſtatum eſt. Igitur in confeſſo eſt, eam Pij V. Sanctionem Apologeticis non repugnare.

V. I V. Quamuis darem Diploma Pij V. cuicunque Scripturæ conuicijs ſcatenti Chriſtianâ Respub. interdicere, quod tamen minimè do, falſumq́; id eſſe iam vici; adhuc tamen non omnes huiuſ-

modi

modi Scripturas prohiberet, ſed eas tantùm, quæ famam honoremúe proximi iniuſtè lædunt, ac proinde & ipſæ quoque iniuſtæ ſunt, non autem reliquas, quæ eandem famam atque honorem iuſtè ſugillant, adeoque iuſtæ ipſæ etiam ſunt. Quod profectò ſuadetur I. ex præfatione ipſiuſmet Diplomatis, in quâ Pontifex eiuſmodi Sanctionem ad iniurias, ſcripto præcipuè inferri ſolitas, de medio tollendas à ſe edi ſignificat. *Quum itaque*, inquit, *iracundia, ſic perturbatio immanis potiſſimùm ex iniurijs verbo, vel ſcriptis, vel facto illatis naſcatur.* Et paulò pòſt: *Nos conſiderantes, quod in dies creſcente malitiâ, quamplures &c. non erubeſcunt varijs modis nonnullos Principes, Prælatos* &c. *varijs iniurijs, & conuicijs afficere, eorumq; famæ & honori detrahere*, &c. *adeò vt plerumque odia, inimicitiæ, ſeditiones, rixæ & homicidia oriantur.* Quum igitur Pius V. ſolas eas Scripturas, quæ iniurias irrogant, deſignet, atq; execretur; Apologetica ſanè, quæ iniurijs vacua ſunt, damnare ibi nō poteſt. II. Si Pontifex illic quamcunq; Scripturam conuicijs etiam materiatis tantùm perſperſam quoque vetuiſſet, & pleraque etiam ſanctorum Patrum volumina, & ipſas ſacroſanctas literas, & eas quoque Catholicæ fidei Vindicias, quæ in Hæreticos ab Eccleſiâ nominatim ac ſingillatim damnatos foras datæ ſunt, quibus omnibus eiuſmodi materialia conuicia ineſſe ſuprà *cap.* 4. §. 3. oſtenſum eſt, ineuitabili neceſſitatis nexu prohibuiſſet, quod non minùs inſanum, quàm falſum eſt, ac proinde & dictu nefas. Quocirca ſtatuendum neceſſariò eſt, iniurias & conuicia formalia dumtaxat (quæ ab animo deprauato fluant, neceſſe eſt, ac propterea expreſsè ſubdit idem Pontifex: *Ex hoc equidem animus deprehenditur prauus iniuriandi & nocendi*) ab eodem Pontifice vetari. At iniuriæ formales & conuicia ab Apologeticis, quæ ex iuſtiſſimâ cauſsâ, ſeu innocentiæ

nocentiæ tuendæ, ſeu Catholicæ religionis propugnandæ elaborantur, omnino exulant, vt eo §. 3. demonſtratum eſt. Igitur ab illo Pontificio interdicto eadem Apologetica toto cœlo diſtare planum eſt.

VI. Sed contrà adhuc Regulæ Indicis librorum prohibitorum *tit. de correct. librorum* §. 2. *verſ. Item quæ fama*, & *verſ. facetia*, ingeruntur, à quibus ibi apertè præcipitur, vt *quæ in perniciem, aut præiudicium famæ, & exiſtimationis aliorum iactantur, repudientur.* Verùm neque hæc è Regulis illius Indicis excuſſa phalarica, Apologeticis pertimeſcenda eſt, quandoquidem ea iniurias, contumelias, & conuicia formalia dumtaxat, non autem materialia tantùm; nec non iniuſtam ſolùm famæ proximi violationem, non verò iuſtam expungi iubent; alioqui & complures veterum Patrum Codices, & ſacrarum oracula Scripturarum, & plurimos libros, qui in Lutherum, Caluinum, Arium, & ſimiles Hæreticos nominatim iam ab Eccleſiâ proſcriptos, à Catholicis Doctoribus emiſſi ſunt, in quibus eiuſmodi conuicia & iniuriæ materiales extant quidem, ſed iuſtiſſimè, vt toties memoraui, vibratæ, neceſſariò culparent, improbarentque, vt paulò antè etiam redarguebam, quod minimè ferendum eſt.

VII. Denique Farinacius ſuprà *num.* 1. obductus, & Pij V. Diplomate controuerſiam omnem ſublatam eſſe aiens, nihil penitùs Apologeticorum luminibus obſtruit, ſiquidem de famoſorum libellorum dumtaxat quæſtione, non autem de aliorum librorum, vel Scripturarum contentione manifeſtò differit. *Non immeritò*, inquit, *numero illo* 14. *quæſt.* 105. *iſta controuerſia fuit ſublata per illum Sanctiſſimum Pontificem Pium V in eius Conſtitutione* CLV. *in qua cauetur pœnam libelli famoſi locum habere, etiam quod in eo vera fuerint expreſſa.*

CAP.

Cap. XI.

Exemplum à Iureconſulto petitum Apologetica non oppugnat, ſed propugnat.

I. Vltimò tandem Apologetica ab æqualis iuris ariete, quo Iuriſconſultus vnà cum Theologo gaudet, vehementer pulſantur. Nam ſi priuato Theologo fas eſt, Hæretici notam, nomenque alicui, tametſi ab Eccleſiâ non expreſsè damnato, ſingillatim imponere, quidni etiam cuique priuato Iuriſperito liceat, certum hominem, puta Titium, quem planè ſontem eſſe ſibi ſuà opinione perſuadet, adornato libro, in quo patrati ab eo ſceleris, v. g. latrocinij indicia & probationes recenſet, confirmatque, Reum publicè agere, ac proſcribere? Id verò tam abſonum, atque in bene inſtitutâ Repub. omnino intolerandum quis ſomniare auſit?

II. Verùm ego huiuſmodi Iuriſconſultum non reformido Aduerſarium, ſed meæ patronum cauſſæ, vt mox docebo, lætus excipio. Quid enim? Mitto in primis Hæreſeos crimen, quod Theologi in Apologeticis perſequuntur, eſſe delictum exceptum, atque inter excepta diſparis quoque rationis, vt ſuprà *cap*.8. & in *Vindicijs* meis *cap*.7. notaui, cui proinde reliqua flagitia vndique componi nequaquam poſſunt. Illud nunc quæro, an Titij latrocinium certò exploratum ſit, an verò incertò? Si incertò, conſtat iam, quanquam id cum Hæreſi etiam eſſet coniunctum, à nullo priuato, imò neque à Iudice ipſo Titium eiuſdem noxiæ Reum iure peragi ac damnari poſſe. Sin certò; quæro rurſum, an latrocinium occultum, vel publicum ſit? Si occultum; nemo poteſt illud cuiquam

quam detegere, niſi iuſtâ ad retegendum cauſſâ moueatur, vt communis doctrina Theologorum ſancit. Sin publicum; poteſt quilibet id liberè, quemadmodum ſolent Hiſtorici, non ſolùm commemorare, ſed etiam ſcriptis tradere, vt ſæpius anteà expendi.

III. At ſi quis caſum noſtro omnino ſimilem comminiſcatur, parique conditione librum à Titio luce donatum ſtatuat, in quo is populos ad rebellionem ſolicitet, criminaque infanda in Regem ſuum, ac magiſtratus euomat: tum enimuerò cuiuis Iuriſconſulto, qui accuſationem eiuſdem Titij vel fruſtra fuiſſe, vel auertendo malo imparem cernit, fas eſſe aio, alio libro tempeſtiuè edito, illum Titij Codicem refellere, eundemque Titium, antequàm etiam à Iudice latâ ſententiâ damnetur, rebellem appellare, ac reuincere. Quod ſi præſtet, officio fideliſſimi ſubditi defunctus meritò exiſtimabitur, laudemque ac pręmia ſuum apud Regem ac magiſtratus promeritus iure cenſebitur, vt iuris vtriuſque Interpretes vltro concedent, neque vllus eorum inficias ire audebit. Ergo pari quoque laude ac præmio à Summo Pontifice, & alijs Eccleſiæ Præſidibus afficiendi ſunt, qui quoſcunque Hæreticos Hæreticis libellis foràs datis ad defectionem à Catholicâ fide Chriſti gregem adhortantes impellenteſque, nec non conuicijs & contumelijs præcipua ſacri Senatus capita ſæpe proſcindentes, iuſtis vindicijs compeſcunt, Hæreticoſque, quos iam Inquiſitoribus detulerunt, neque vllis alijs remedijs adhibitis peſtem eorum extingui poſſe animaduerterunt, apertè nuncupant, reuincunt, & diuulgant.

IV. At ſi ita res eſt, inquies, & Concionatori quoque, cuius munus, & partes ſunt, flagitioſos reprehendere, increpare, corrigere, integrum erit improbum homidem ipſo de ſuggeſto in templo nomi-

nominatim deſignare, intentoque digito commonſtrare, quod tamen inconceſſum eſſe, ac planè nefas explicare docet Alexander de Neuo *Conſ.* 81. vbi quendam diuini verbi præconem, qui certum Sacerdotem adulterij, & ſacrilegij in ipſâmet ſacrâ concione publicè arguerat, etſi non perſpicuis omnino verbis, ſed inuolutis ac tectis illum delineauerat, veraque eiuſdem ſcelera perſtrinxerat, & animo quidem & conſilio, vt aiebat, probo, hominis ſcilicet perditi bonam ad frugem reuocandi; nihilominùs & iniuriarum actione, & damnorum, quæ præ famæ iacturâ idem Sacerdos fecerat, reſarciendorum obligatione teneri contendit.

V. Verùm neque id exemplum legitimis Apologeticis nocet. I. Quia diſpar longè ratio Hæreſis eſt, vt paulò antè innui. II. Quia tam imprudentis correctionis expreſſæ nulla plerumque vtilitas, vel neceſſitas, ſed certa potiùs, & grauis offenſio. Secus verò eſt de Apologeticis, quæ publicos alterius libros Hæreticos iugulant. Concionator non pugnat in vllum, qui libros nefarios in lucem emiſerit, Auctores verò Apologeticorum maximè. Quod ſi quis nebulo, Titius v. g. Hæreſim publicè nundinaretur, ac prædicaret, profectò quicunque Concionator, qui eum validè retunderet, Hæreticumque enucleatè appellaret, ac velut peſtem tæterrimam fugiendum totis viribus perſuadere niteretur, facinus valde egregium, opusque ſanctiſſimum faceret, quod nemo iure improbare poteſt. Alexander autem de Neuo, illo *Conſ.* 81. de caſu longè diuerſo cuiuſdam Concionatoris diſputat, qui etſi probum corrigendi conſilium prætexebat, reapſe tamen, vt illic planè vincit, ex odio atque inimicitiâ, occulta crimina illi Sacerdoti ſuomet capitali hoſti, non vllâ probabili cauſâ permotus, ſed eius infamandi tantùm

gratiâ exprobrauerat. Idcirco ibi *num* 5. ſuæ opinionis firmamenta afferens idem Doctor, eam Concionatoris publicam reprehenſionem violatæ alienæ famæ ream, ac proinde clancularij flagitij neceſſariò enuntiatricem clarè pronuntiat. Mox verò addit: *Qui verum dicit ſine legitima cauſſa, & ita mouetur malo zelo.* Et paulò pòſt: *Quod non licet alicui detrahere dicendo verum, quando nulla probabilis cauſſa ad hoc impellit:* Denique: *Quia non conſtat, quod verum dixerit.* At enim Apologetica de ijs plerumque, qui flagitioſis libris excuſis, aut Hæreſeos, aut calumniarum iam infamati ſunt, diſſerunt, atque ex iuſtiſſimâ & grauiſſimâ cauſsâ neceſſariæ defenſionis quà innocentiæ, quà Catholicæ fidei, ſine vllâ deprauati animi affectione, vt toties aduerti, conflantur; Atque adeò horum factum ab eo illius Concionatoris, toto cœlo diuerſum.

His ita expeditis, coronidem quæſtioni ab alijs prætermiſſæ non minùs operoſæ, quàm ſpiſſæ hîc tandem aliquando lætus impono.

LA-

LAPIDIS LYDII PARS SECVNDA.

Paucis de Hareſi, atque Haretico pro Lydij huius neceſſitudine generatim hactenus enucleatis, nunc de profani hominis inſanâ doctrinâ, ijsq́; teſſeris, quæ multiplicem illius Hareſim palàm faciunt, anquirendum, ac primò tempeſtiuè, accurateq́ diſpiciendum.

Cap. I.

Quanti Chriſtianæ Reipublicæ interſit, Gaſparis Scioppij artes, ac fraudes detegi, ac reuinci.

EX occultis, & clancularijs Hæreticis, de quibus *part* 1. *num.* 2. ſermo mihi fuit, duas ego claſſes ſecerno; in quarum primâ eos numero, qui ſuas Hæreſes ita defodiunt, abduntque, vt earum veſtigium extrinſecus nullum omninò relinquant, vel nonniſi pauciſſimos conſcios habeant, de quibus nihil mihi hoc loco dicendum. In alterâ illos cenſeo, qui, etſi in receſſu ac latebris degant, nihilominùs ſuæ amentiæ alios participare fraudulenter ſtudent, paulatimque ſuæ graueolentis nidore doctrinæ Catholicorum plurimos inodorant; quorum de grege turbulentus quidam Grammaticus eſt, intrinſecus lupus planè rapax, extrinſecus verò Proteus religionis, mirè verſicolor, qui quum ex Hæreticorum patrijs ſtabulis quendam vtcunque ſe emerſiſſet, ita in Catholicam Rempub. ouis corio quoquo modo circumtectus, non tam nouus hoſpes, quàm nocens

cens hoſtis, irrepſit, vt eam quà peſtilentibus libellis, quà multiplici conſternatione, quà flagitioſis moribus inficere, agitare, affligere, ac vexare in præſens quoque non deſinat.

II. Simili prope dolo olim Philippus quoque Melanchthon, nefariæ auſpex Sectæ, vt Catholicam religionem labefactaret, noſtram Societatem Ieſu circumueniendam ſibi euertendamque exiſtimauit. Nam ſuo è famulitio verſuti hominem ingenij, qui noſtri Ordinis res ac mores exploret, nonnulloſque ex eo Socios, ſi quo aſtu, vel arte tantum conſequi poſſit, ad ſuum execrandum dogma traducat, Romam ſubmittit. Hîc emiſſarius ille ac ſycophanta, religionis ſpecie inſigniter ementitâ, noſtram in familiam per compoſitam ludificationem bellè ſe penetrat, tironumque in album relatus, mox ſacræ recentiſque militiæ, quanquam ſimulatè dumtaxat cultæ, partes omnes ſtrenuè obire, animi labes in hebdomade ſæpius expiare, diuinum epulum frequenter libare, ſuum in corpus voluntarijs flagris identidem ſæuire, externa pietatis officia ad vnguem implere, totum denique ſeſe ad diſciplinæ præſcriptum, nutumque moderatorum fingere. Verùm haud ita multo poſt, vt vt inuolucris ac tenebris ſeſe obruere annixus fuerat, quum imprudenti quinque ſupra viginti perniciabiles opiniones à Catholicis ſcitis abhorrentes excidiſſent, ad *Cardinalem* Io. Petrum Caraffam. Hæreticæ prauitatis Summum Quæſitorem confeſtim delatus, cauſsâ diligenter cognitâ, ad probroſa triremium tranſtra perpetuum inopinatò damnatur.

III. Pari ferme exemplo verſipellis quidam præſtigiator, quum Lutheri Hæreſim maternis ab vberibus ſuxiſſet, diuque inter Hæreticos educatus, vnà cum reliquis orthodoxæ fidei ianuâ complures annos decrrâſſet, obortâ tandem luce, ſa-

niora

niora inire conſilia, veterumque flagitiorum cubilibus quomodocunque excedere viſus eſt. Romam continuò aduolat, Epiſtolam de ſuâ ad Catholicos migratione ſcribit, Chriſtianorum Aulas Principum ſedulò luſtrat, Italiam Hiſaniamque diuerſor Germanus peragrat, varijs officijs atque offucijs multam ſibi apud ſummates auctoritatem conciliare omnibus vnguiculis, vt dicitur, contendit. Romanæ verò iam aggregatus Eccleſiæ, modeſtè aliquandiu ſe habere, boni viri mores præ ſe ferre, pietatis ſtudium non mediocre oſtendere, Catholici perſonam viri egregiè induere, de Hæreticis quoque ab errore euellendis agere, quin etiam de omni planè ordinum genere reformando complura documenta ſuggerere.

IV. At quia lupus pilum facilè, mentem ægrè mutat, vt eſt in prouerbio; vir inquieti ſpiritus, ad ingenium pedetentim regrediens, Chriſtianæ laruam fidei ſiue doloſè ſumptam, ſiue diu quocunque modo geſtam ſenſim ſine ſenſu poſuit, donec temporis lapſu eò demum euaſit inſaniæ, vt qui mitis Chriſti ouis credebatur à multis, rurſum lupum, qualis acceſſerat, ſed multò inſaniorem, perfidiâ non obſcuris pellucente argumentis, ſeſe prodiderit. Nam quum ſacram profanamq; Rempub. homo ventoſus, ſupraque humanæ ſuperbiæ menſuram tumens, nutu ſuo atque arbitrio, hoc eſt, meris ſui capitis ludibrijs, neque à Summo Pontifice, neque ab Eccleſiaſticis Præſulibus, neque à Catholicis Principibus, neque à cæteris Chriſtiani cœtûs Optimatibus adminiſtrari cerneret; ingentium munerum æruſcandorum ſpe fruſtratus, impotenter excanduit, ſuaque monita & commoda poſthaberi fremens, in apertam erupit vecordiam; cunctaque penè Reipub. munia atque honeſtates arroganter deſpicere aggreſſus, palàm ſumma capita allatrare, in Principes, in Re-

ges, in Cæſares, in Antiſtites, in Epiſcopos, in *Car-dinales*, in ipſum quoque Pontificem Maximum virulentos ſuos dentes adigere, Sacerdotes, Clericos, Religioſos tum linguâ, tum calamo dedecorare, virorum integerrimorum famam diſcerpere, Religioſas familias anteà concordes ſceleſtè inter ſe committere, omnia denique Eccleſiæ luminaria famoſis libellis calumniarum mendaciorumq́ue congerie ſtipatis, foraſq́ue datis fœdè polluere.

V. Neque hoc ſatis. Supremi iura Pontificatus, Hæreticorum voluntarius patronus, temerat, auctoritatem irridet, decreta explodit. Quin Eccleſiæ quoque ſuffragia diuinitus adminiculata, erroris inſimulat, ſacroſanctas literas, Generalia Concilia, Doctorum Catholicorum libros nequiter mutilat, peruersè explicat, improbè diſtorquet, in ſcelerum tutelam ſeruitiumq́ue abducit; contra verò damnatos ab Eccleſiâ Codices laudat, retinet, legit, diſſeminat, è tenebris editione iteratâ extrahit, luciq́ue reſtituit. Quid amplius? toties approbatum à Sede Apoſtolicâ Ordinem irreligiosè improbat, viros ſanctos ſolemni conſecratione cœlo iam pridem aſſertos, de cœlo ſacrilegâ impietate deturbat. Quibus facinoribus iam nefarijs prætereà veteratoriam, & plus quàm Phariſaicam *hypocriſim*, vt vocant, ad reliqua crimina fallaci ſanctimoniæ colore pingenda, eoque ad venenum Chriſtianorum animis propinandum inſtillandumq́ue, illecebroſiùs concinnatam adiungit. Quid quod ipsâmet in Italiâ ſubdolus ſomus diuerſans, nouas ſubinde Satyras ac Loeorias, tanquam ſulphurata pernicioſæ doctrinæ, ac veluti inſaniæ malleolos fabricat, perq́ue conerrones ſuos in tranſalpinis Hæreticorum regionibus clanculum, ac ſine facultate, niſi fortè eorundem Hæreticorum, publicandos curat? Neque iſce artibus, quaſi adhuc minùs, quàm vellet, no-

xijs contentus, dolis dolos ſemper nequiores nectit, ipſamque Apoſtolicam Sedem, quò auctoritatem ab iſtâ ſuis chartis addat, in *Anatomia, pag. ult.* appellare ſimul, ac infamare non dubitat. Nempe vt hyena, bellua efferatiſſima, hominis ſimulatâ voce hominem certo accitum nomine, quod addidicit, fraudulenter euocat, & crudeliter vorat; non ſecus monſtroſus hic planus Chriſtiani viri fucatâ ſpecie, Chriſtianas animas flagitioſè decipit, illaqueat, infatuat, ac perimit: quanto autem totius Catholici Orbis detrimento, lacrymis potiùs, quàm verbis, enuntiare fas eſt.

VI. At quis tandem is ardelio, quis hic blatero, & lanius eſt, qui Chriſti Eccleſiam quum linguâ ferit, tum calamo vulnerat, vt eum quilibet, qui ſe perditum ire non vult, agnoſcere queat, ac veluti anguem fugere? Iam ego illum ſuis deſcripſi coloribus; ſed ne cuiquam deinceps lateat, aut quemquam poſſit fallere, ſuo inſuper nomine diſtinctiùs nunc à me exprimetur. Gaſpar Scioppius ipſiſſimus ille eſt, in quem ductus & lineamenta, quæ paulò antè recenſui, ad vnguem quadrant omnia, vt facilè qui mores eius callet, & Codices maximè famoſos leget, deprehendit. Quid ergo? in tam effrænata debacchantis iſtius Cerberi procacitate, ac rabie ſtupidis adhuc naribus ſtertendum eſt? Ego ſanè, vt quàm maximè etiam tacere cuperem, cœleſti tamen claſſico, quod Magnus Cyprianus Carthaginienſis Antiſtes contentè inflat, torpentem hactenus ſtylum meum vellementer excitari, ac laceſſi ſentirem. Quanta enim ſpiritus contentione ille tonat? a *Vitate lupos, qui oues à paſtore ſecernunt; vitate linguam diaboli venenatam, qui ab initio mundi fallax ſemper, & mendax mentitur, vt fallat; blanditur, vt noceat; bona promittit, vt malum tribuat: vitam pollicetur, vt perimat. Luceant nunc quo-*

a *Epiſt.* 40.

que verba eius (de Nouatiano loquitur) *& venena manifeſta ſunt : pacem pollicetur , ne perueniri poſſit ad pacem ; ſalutem promittit , ne qui deliquit , veniat ad ſalutem : Eccleſiam ſpondet, quando id agit , vt qui illi credit, in totum ab Eccleſia pereat.* At quid hominis Scioppius eſt ? quæ eius conſilia ? quæ artes ? qui animus ? nónne is , qui eò tendit, vt oues à paſtore diuidat ? is, cuius linguam venenatam tam multi innocentes ab eo laniati experiuntur ? is, qui ab initio ferè, quo ex Hæreticorum contubernio demigrauit, fallax ſemper & mendax , mentiendi dolos omnes verſat,vt fallat ? is,qui omnia blandimenta vafrè concinnat , vt noceat ? is , qui vitam pollicetur , vt tollat ? is , cuius verba nunc quoque lucent, ſed aconita ſunt manifeſta; pacem ſpondet , ſed ne perueniri poſſit ad pacem ; Eccleſiam iactat,ſed adeò inſidioſè,vt qui illi credit, ab Eccleſiâ omnino extorris in totum pereat ?

VII. Quanti igitur Chriſtianæ Reipub. refert huiuſmodi tot capitum hydram in Solem è tenebris, ne ab vllo ignoretur,euocari ? quanti, vt tam multæ illius fraudes & mendacia, ne cuiquam deinceps imponant,detegantur ? quanti, vt tot eiuſdem Hæreticæ intemperiæ,ne quem inficiant, prodantur ? quanti , vt grauiſſima detrimenta ab eo Catholicæ fidei importata reſarciantur,atque imminentia arceantur ? Equidem quum hinc monſtri huius tam varij ac deformis argumenta & numero plura,& robore valida tenerem manibus; illinc verò nomen ab adoleſcentiâ ei Societati à me datum , cui pro ſui ratione Inſtituti , quâ ſe Deo, proximiſq; authorauit , antiquiſſimũ ſemper fuit, & perenne bellum aduersùs Chriſtianæ religionis hoſtes gerere , & Chriſti gregem atque oues à lupis,hoc eſt,Hæreticis,horumque catulis, proxenetis , ac fautoribus defenſare , perſæpe animo meo accuſaret ; hanc , qualemcunque poſſem, ope-

tam à me Eccleſiæ Catholicæ eſſe præſtandam, ne tam infeſtus lupus impune graſſari in eâ pergat, pro meo eiuſdem Eccleſiæ ſtudio, atque obſeruantiâ iure planè optimo exiſtimaui. Ac ne quis quicquam iſtorum, quæ modò hîc perſtrinxi, à me vel malitioſè fingi, vel temerè Scioppio exprobrari ſuſpicetur, en tibi, amice Lector, Lydium hunc meum Lapidem, in quo omnes eas nequitiæ teſſeras, quas ſuprà produxi, aliaſque prætereà ab eodem Scioppio verè editas dilucidè oſtendo. Vnde quis ille, quo ingenio, quâ doctrinâ, quâ animi morumque compoſitione ſit, liquidò cognoſces, ſimulque à patefacto, agnitoque lupo, niſi amas ei in prædam cedere, illico faceſſes.

VIII. Verùm vt cunctas, quas deinde proferam, teſſeras, bene compertas nemo non habeat, ipſas meas *Generales Societatis Ieſu Vindicias*, quas nuper luci commiſi, hîc teſtor, in quibus ſine fuco palàm docui complures libellos famoſos ab eodem Scioppio fabricatos, ac typis impreſſos, illos nimirum, quorum titulos eo annorum ordine, quo exierant, fideliter hîc modò ſubijcio.

I. *Actio Perduellionis in Ieſuitas S. R. Imperij hoſtes Auctore Philoxeno Melandro*, An. CIↃIↃCXXXII.

II. *Flagellum Ieſuiticum*, eodem Anno.

III. *Colloquium inter Paulum V. Papam, Philippum Hiſpaniarum Regem, & Ferdinandum Archiducem Auſtriæ*, &c. ſub idem tempus.

IV. *Myſteria Patrũ Societatis Ieſu* }
V. *Ieſuita exenteratus* } An. CIↃIↃCXXXIII.
VI. *Anatomia Societatis Ieſu* }

VII. *Conſultatio Fr. Iuniperi de Anconâ*, Anno CIↃIↃCXXXIV.

VIII. *Fr. Ludouici Soteli Relatio de Eccleſiæ Iaponicæ Statu*, Eodem Anno.

IX. *Alphonſi de Vargas Toletani Relatio*, Anno CIↃIↃCXXXV.

X.

Arcana Societatis Ieſu cum Appendicibus, eodem Anno.

In quibus idem Scioppius diuerſa nomina & cognomina, Fortunij ſcilicet Galindi, Auguſtini Ardinghelli, Bernardini Giraldi, Danielisque Hoſpitalij ſibimet impoſuit.

IX. At circa hos libros obſeruandum I. Pleroſque commentitijs inſignitos quidem nominibus, ſed reapſe ab eodem Architecto Scioppio, vt in Vindicijs meis loco iam indicato probaui, fuiſſe deſignatos ac ſcriptos. II. Priores quinque Germanicâ linguâ eſſe exaratos, atque in his Auctorem Lutheri aſſeclam vel ſe palàm profiteri, vel non obſcurè patefacere: reliquos autem totidem Latino Idiomate. III. Nomen Loci, vbi libri impreſſi ſint, aut Typographi, qui impreſſerit, omnino ſupprimi. IV. Quanquam nonnulli eodem anno prodierunt, in manus tamen Ieſuitarum priùs Anatomiam, & Ieſuitam exenteratum, quàm Myſteria; Arcana antè, quàm Relationem Vargianam perueniſſe.

X. Sed præter hæc decem volumina emerſit etiam

XI. Renati Verdæi Statera, Lugduni apud Gelaſium Nemimelcum, Anno CIↃIↃCXXXVII.

De cuius Stateræ perſonato Auctore, ac ſuppoſititio nomine dolisque compluribus, non ieiunè in iiſdem meis Vindicijs cap. 6. diſceptaui, vbi etiam docui, quàm non temerè, Scioppiano ære, vel Symbolo eam procuſam eſſe, perſuaſum ſit. Si quos verò alios prætereà huiuſce notæ cudit, ego non vidi.

Cæterùm ſine laruâ, nominisque fallaciâ hi quoque ab eodem fabro conditi ſunt.

XII. Gaſparis Scioppij Epiſtola de ſua ad Orthodoxos migratione, Ingolſtadij apud Sartorium CIↃIↃC.

XIII. *Gaſparis Scioppij Scaliger Hypobolymaus, Moguntia apud Io Albinum* cIↄIↄCVII.

XIV. *Gaſparis Scioppij Eccleſiaſticus, Hartberga* cIↄIↄCXI.

XV. *Gaſparis Scioppij Scorpiacum, Moguntia apud Io Albinum* cIↄIↄCXII.

XVI. *Gaſparis Scioppij Alexipharmacum, ibidem* cIↄIↄCXII.

XVII. *Legatus Latro, & Relatio de Latrocinio in Scioppium adornato, eodem Scioppio Auctore, Ingolſtadij ápud Eliſabetham Angermariam* Anno cIↄIↄCXV.

XVIII. *Gaſparis Scioppij Claſſicum belli ſacri, Ticini apud Petrum Bartholum* cIↄIↄCXIX.

XIX. *Gaſparis Scioppij Conſilium Regium, ibidem* eodem Anno.

XX. *Gaſparis Scioppij Suppetia Logica, Roma, & Mediolani* Anno cIↄIↄCXXIII.

XXI. *Gaſparis Scioppij Caſarij & Regij Conſiliarij Aſtrologia Eccleſiaſtica ad Ferdinandum II. Caſ. Auguſt. Romanorum Imperatorem, ex officina Sangeoriana* Anno cIↄ.ↄCXXXIV.

XXII. *Gaſparis Scioppij Comitis à Clarâ Valle de Padiâ humanarum, & diuinarum literarum, Patauij apud Paulum Frambottum* cIↄIↄCXXXVI.

XXIII. *Gaſparis Scioppij Comitis à Clarâ Valle Conſultationes de Scholarum, & Studiorum ratione, & Eloquentia paranda modis, Patauij* apud eundem eodem Anno.

Placuit hos omnes Scioppij genuinos fœtus, quos ipſemet vero ac proprio nomine deſignauit; tum ibi, quando, & à quo typis vulgati ſint, accuratè hoc loco deſcribere, quo Lectori deinceps; quum horum mentio inciderit, aut quidpiam ex ijs recitauero, fides omnium conſtet.

XI. Sed quia Apologetica quoque complura à P. Lau-

à P. Laurentio Forero noſtro in eundem Scioppium emiſſa ſubinde appellabo, eorum etiam Indicem hîc habeto.

I. *Antimelander* Germanicè elucubratus, Monachij apud Nicolaum Henricum CIƆIƆCXXXIII. quo tum *Actionem Perduellionis*, tum *Ieſuiticum Flagellum* eiuſdem Scioppij egregiè flagellauit.

II. *Anatomia Societatis Ieſu*, Oeniponte apud Io. Găcchium, Anno CIƆIƆCXXXIV. quâ eiuſdem Momi *Anatomiam*, & *Ieſuitam exenteratum* penitùs exenterauit.

III. *Mantiſſa Antanatomiæ Ieſuiticæ*, ibidem apud eundem Anno CIƆIƆCXXXV. quâ Scioppij item *Myſteria Societatis Ieſu*, *Conſultationem Iuniperi*, & *Relationem Soteli* confutauit.

IV. *Proteus Grammaticus*, *Auctarium Animaduerſionum in Gaſparis Scioppij Eccleſiaſticam Aſtrologiam vnà cum Appendice ad Grammaticum Proteum*, Ingolſtadij apud Gregorium Hænlin Anno CIƆIƆCXXXVI. quo in opere vario eiuſdem Calumniatoris *Arcana Societatis*, *Aſtrologiam Eccleſiaſticam*, & *Relationem Vargianam* funditus euertit. Atque hæc omnia idem P. Forerus in Scioppium. Quibus

Accedunt quoque *P. Henrici Wangnereckij è Societate Ieſu Vindiciæ Politicæ*, Dilingæ apud Caſparum Sutorem Anno CIƆIƆCXXXVI. quibus Scioppij Suppetias Logicas omnino iugulauit.

Tum Eugenij Lauandæ Grammaticus Pædieus in Pædiam diuinarum, humanarumque literarum Gaſparis Scioppij An CIƆIƆCXXXVIII. quibus eandem illam Pædiam perbellè confixit.

XII. Hiſce omnibus ex libris Lydium hunc meum Scioppiani ingenij, ſpiritus ac morum lapidem

pidem nullo negotio excidam, quem tibi, Chriſtiane Lector, xenium non minùs iam neceſſarium, quàm tempeſtiuum lubens porrigo, illud diſertè admonens, Hæretici nomine toto ferè in opere, non Hæreticum formalem, ſeu pertinacem; ſed materialem dumtaxat, qui propoſitionem Hæreticam ſeu ſcripto, ſeu dicto enuntiat, à me intelligi, prout à Theologis quoque, nec non à Pontificij iuris Interpretibus ipſum Hæretici nomen nonnunquam paulò remiſſiùs accipi iam ſupra 1. *par. cap.* 1. animaduerti. An autem Scioppius prætereà, non qualiſcunque Hæreticus ſit, ſed planè etiam pertinax, hoc eſt, Hæreticus etiam formalis cenſendus iure videatur, infrà *par.* 4. ex profeſſo diſquiram.

Cap. II.

Gaſpar Scioppius Hæreſis iam pridem manifeſtò infamatus.

I. NOn me fugit, Scioppi, quàm ſæpe tuis in libris Catholicam Romanæ Eccleſiæ fidem cordi tibi eſſe, præ te feras; quàm frequenter tua erga Apoſtolicam Sedem promerita iactare ſoleas; quàm magnificè eiuſdem doctrinam & verbis, & ſcriptis à te propugnatam vendites. Nihilominùs tota tua iſta gloriatio, atque oſtentatio ſatis non eſt, vt te Catholicum verè eſſe, ijs, qui tuarum ſycophantiarum ignari non ſunt, perſuadeas; atque vt diu multumque te torqueas, nihil tamen prorſus extorques. Etſi enim inter Catholicos verſaris, luemque tuarum intemperiarum abſtrudere ſtuduiſti, haud tamen tam ſollerter & cautè, vt tuæ improbitatis inſanorumque dogmatum nidor emunctas Catholicorum virorum nares grauiter tandem non perſtrinxerit, nomenque tuum Hæreſeos infamiæ denique

nique non ſubiecerit; quod ego hoc loco genera-
tim exponendum ſuſcipio.

11. Hîc tu repugnas acriter, tibique immanem fieri iniuriam, clamas, ac fremis. Túne repugnes? tibi fiat iniuria? Adeſto animo. paucis te circumretiò. Dic, quæſo, Scioppi, quid magis vulgatum & publicum, quàm publici, qui publicè habentur, libri? qui in oculis hominum palàm ſunt? qui per Bibliopolarum officinas paſſim circumferuntur? Atqui tu bone vir, & *Aſtrologiam Eccleſiaſticam*, & *Suppetias Logicas* multiplicis Hæreſis contagione fœdatas in lucem iam dudum extruſiſti. Et miraris, ſi Catholici viri fama hinc tibi infuſcata, & temerata eſt? ſi paulatim extabuit? ſi ad vltimum perijt? quot prætereà Codices ſuppoſititijs perſonatos nominibus, variarum Hæreſum promos condos elucubrâſti, quos tibi tanquam genuino Auctori, etſi cætera, quæ in *Vindicijs* meis produxi, argumenta hoc ipſum oſtendentia deeſſent, fama certè ingens, hoc eſt, rumor, vt communiter definitur, *ex ſufficientibus indicijs ortus, atque ad multos propagatus* (vnde famoſum crimen, quod huiuſmodi infamiæ obnoxium eſt, à Doctoribus apud Molfeſium *in Summa, Tract.* 11. *cap.* 11. *num.* 41. appellatur) aſſerit? An tergiuerſaris? an abnuis? At memineris, duos tantùm teſtes ad manifeſtarium Hæreticum probandum, quemadmodum Farinac. *quæſt.* 185. *num.* 84. cum pluribus diſertè tradit, ſat eſſe. Hîc verò qui fidem locupletem faciant, vulgatâ famâ te eorundem librorum Hæreticorum architectum fabrumque exiſtimari, quàm multi teſtes omni exceptione maiores, ne dum duo tantùm, nullo negotio centuriari poſſunt? Vt ergo famâ ſatis conſtat, eiuſmodi libros Hæreticos tui ingenij calamique partus eſſe legitimos, ex æquo etiam & te Hæreſis Infamatum eſſe, planè compertum eſt.

III. Sed præter id, quod ſeu iure, ſeu facto notum dicitur, an neſcis aliud quoque ex præſumptione dumtaxat iuris perſpectum ratumque cenſeri, quod quamuis ex ſe euidens minimè ſit, tale nihilominùs, vt notat Molina *Tract. 4. diſp 31. de Iuſt.* iure præſumitur? Sic nempe quia Titius Sempronij filius ſemper habitus eſt; ſtatuitur, ferturque, manifeſtum eſſe, hunc illius filium eſſe, vt C. *Quoniam, de fil presb.* & *cap per tuas, de probat.* apertè decernitur. Atqui eiuſmodi libros Hæreticos commentitijs nominibus fruſtra infucatos pro tuâ verâ prole ſemper fuiſſe exiſtimatos, porroque exiſtimari, neque tu diffiteberis, neque, quum eos tibi à P Laurentio Forero adſcribi haud ſemel intellexiſti, inficiari vnquam auſus es. Adeoque notitiâ ipſius facti ex iuris præſumptione notum quoque iam, Scioppi, eſt, illoſmetipſos tuum genuinum fœtum eſſe, ac proinde & te quoque Hæreſis infamatum eſſe.

IV. Verùm non ſola fama, aut præſumptio te flagitioſorum eorum libellorum parentem vociferatur, neque mentitur; ſed Religioſi etiam Viri, Paulus Layman, idemque Laurentius Forerus prævalidis documentis planum faciunt, & quidem tuo nomine perſpicuè enuntiato, ille in ſuâ *Eccleſiaſtica Aſtrologia* à te editæ *cenſurâ*, iſte a *Animaduerſ. 1*, in tuam eadem *Aſtrologiam*; in alijs verò libris, in *Antimelandro*, in *Antanatomia*, in *Mantiſſa*, in *Proteo*, in *Appendice*, quanquam tuum nomen ſyllabatim non expreſſit, ita tamen apertè clarèque illud tam multis ex adiunctis, quæ tibi dumtaxat hærent, deſcripſit, vt vulgo perſuaſiſſimum ſit, teipſum omnino illum eſſe, quem idem Forerus ſuis in libris deſignat. Quæ planè deſignatio adeò euidens, vel ipſimet nominis appellationi dilucidæ penitùs ſe æquat. Idcircò qui famoſo libello

a *In priore Præmin.*

bello ſuppoſititium nomen, ſuppreſſo illius, quem dedecorare cupit, nomine, quò id reapſe feriat, exagitat, pœnam tali decretam crimini minimè euadit, ſed perinde plectitur, ac ſi nomen illius palàm explicaſſet, vt diſertè Gloſſa in l. *Lex cornelia*, §. *ſi quis librum*, ff. *de iniur. litera* C. animaduertit, Imò licet aliquis nullius nomen in libello exprimat, *ſi tamen ex ſignis, & circumſtantijs demonſtrauit, de quo intelligeret, perinde habetur, ac ſi proprio nomine expreſſiſſet*, vt totidem verbis pronuntiat Alexander de Neuo *Conſ* 82. *num.* 1. vbi id luculenter probat, famoſique libelli pœnam ſibi eiuſmodi ſontem contrahere ſtrenuè vincit, quod etiam Farinacius *quæſt* 105 *num* 474. vnà cum Salyceto, Azone, Hoſtienſi Bonifacio, & Bertazzolo confirmat. Iam, quum per libros permultos à P. Layman, & à P. Forero vtriſque Viris doctiſſimis atque integerrimis, ium complurium aliorum librorum editione inclytis, deque Dei Eccleſiâ optimè meritis in lucem emiſſos liquidò pateat, à te, Scioppi, Hæreticos illos Codices fuiſſe proſeminatos, planum indidem quoque neceſſariò eſt, Hæreſeos infamiâ te iam dudũ adſperſum.

V. At enim idem P. Forerus non ſolum te Hæreticorum voluminum Auctorem enucleatè, vt indicaui, nuncupat, ſed *Hæreticum* etiam, *Atheumque* teipſum pariter tum in *Antanatomia*, *ſect.* 5. *num pag* 59 tum *Animaduerſ* 1. in tuam *Aſtrologiam* expreſsè nominat. Quæ nomenclatura, quum Foreri libri in Catholicâ Repub. publicè legantur, neque à te ijs quicquam reſponſi hactenus redditum, neque eiuſmodi crimina diluta, notamúe deletam, in meis *Vindicijs* oſtenderim, infamiam Hæreſis tibi iam pridem ineluctabili connexi lege ſanè irrogauit.

VI. Verùm non tantùm Layman, & Forerus, ſed plurimi quoque alij Ieſuitarum, vbiq; gentium

iam pridem eam animo de te opinionem multis ex capitibus, præſertim tuis è libris famoſis imbiberunt, vt te Hæreticis, aut Diagoris Numen omne de Mundi vniuerſitate expungentibus accenſendum iure arbitrentur; quam opinionem ſententiamque cum externis etiam omnibus, quibuſcum agunt, vbi de te incidit mentio, liberè communicant, vulgant, publicant; nec voce ſolùm efferunt, ſed documentis etiam probant. Vide iam, quàm graui, quàm latè diditâ, quàm longè inueteratâ Hæreſis notâ notatus ſis. Quid enim? an ignoras, Scioppi, quod neque iuris notitiâ, neque facti euidentiâ manifeſtarium eſt, famâ tamen id vulgante, id publicum eſſe, hoc eſt, è communi hominum exiſtimatione per veriſimiles coniecturas (vt egregiè Ludouicus Molina, inſigne non Theologiæ tantùm, ſed Iuriſprudentiæ etiam lumen, *Tract.* 4. *diſp.* 51. iam laudatâ, obſeruat) rite deriuatum? Age nunc, quod ſit publicum crimen, quæ publica macula, ab eodem Molinâ quærito; & perſpicuè ab illo explicatum, deciſumque inuenies, vt aliquis in oppido è XL. domibus conflato rei alicuius infamatus dicatur, *Satis eſſe, ſi opinio de ea re ſit apud viginti de eo oppido*; vt autem toto regno infamatus cenſeatur, ſufficere, *ſi in Curia ſit infamatus, aut in illuſtri alio loco, quo influere ſolent ex toto regno, & vnde fama in regnum totum facilè ſpargitur.* Generatim verò, vbi *res ita limites ſecreti, ſeu occulti egreditur, vt prudentis arbitrio, attentâ qualitate communitatis iudicetur eſſe adeò propalata, ac publica; vt moraliter attentâ conditione humanâ, ſit vlterius ea res diffundenda, cenſendum ſanè eſſe, de quo ea opinio à tot iam habetur, amiſiſſe ibi eâ in re ſuam famam, eſſeque eâ de re ibi infamatum.* Quam etiam doctrinam affert, amplectiturque Ioannes de Lugo purpurâ, ingenio, ſapientiâque eminentiſſimus *Tom.* 1. *de Iuſtit. diſp.* 14. *ſect.* 6. *num.* 70. ac ne

Ieſuitas

Ieſuitas ſolos, aut Theologos ita decernere putes, aut rideas, magnus quoq; Iuriſconſultus, Proſper Farinacius neceſſariò omnino conſenrit, dum *quaſt* 185. *num.* 85. manifeſto Hæretico (qui magis vtique vulgo notus eſt, quàm qui Hæreſis infamatus dumtaxat eſt) occultum opponens, *Limita,* inquit, *propoſitam regulam, vt non dicatur manifeſtus ſeu notorius Hæreticus, cuius Hæreſis non pluribus, ſed paucis, vt puta quinque perſonis nota ſit*, ſubditque occultum dici, quod ſit coram duobus, vel tribus teſtibus. Quid ſi verò Hæreſis infamia non ampliùs quinque tantummodò, ſed decem, viginti, vel triginta viris innotuit? certè eam non occultam, ſed publicam iam idem Farinacius aſſeuerabit. Cerne nunc, Scioppi, tot Ieſuitarum millia per Chriſti Eccleſiam in tam varias multaſque prouincias ac regiones longè lateque diffuſos; quorum omnium, qui vitam tuam, mores, ac doctrinam cognitam habent vtcunque, vna vox, vna ſententia eſt, te plures nundinari Hæreſes, & plures alias quoque parturire; qui verò te penitùs ac medullitus nôrunt, inter Hæreticos noſtri æui teterrimos meritò referendum, idque vtrique palàm, quum de te ſermones cædunt, vbiq; locorum planiſſimè ſine vllâ circuitione prædicant. Quocirca vel ſoli Ieſuitæ, tuæ infamiam Hæreſis è latebris in lucem ita extrahunt, vt non ſolùm humanæ conditionis imbecillitate, & garrulitate ſpectatâ, ea tum per eoſdē Ieſuitas, tum per illorum diſcipulos, cæteroſq; vlteriùs porrigenda ſit, ſed etiam iam per eoſdē in tam diuerſa ac longinqua loca propagata ſit Non eſt igitur, Scioppi, cur Catholici viri nomine ac famâ, vel fuco ampliùs glorieris, aut tibi placeas, quum Hæreſis infamiâ publicè iam pridem tam multis in locis labores.

VII. At hîc tu magno impetu, ac tribunitio prope furore intercedens, exclamas repentinò:

Quæ te inſania agitat, vt à Ieſuitis infeſtiſſimis mei hoſtibus honeſtiſſimam mei nominis famam dehoneſtari, meque in Hæreſis infamiam populo poni poſſe opineris? O te plumbeum, quum tam plumea eiaculas tela! Nec luna latrantes canes moratur, neque ego Ieſuitas oblatrantes. Audio baubantem Cerberum, Scioppi, moloſſorum quorumcunque latratibus palmam facilè præripientem, quam tibi nemo ſapiens inuidet, nos vltro aſſerimus. Ceterùm fruſtra hîc ringeris, fruſtra obſtrepis. Nam primò, huiuſmodi prætextu vel exceptione adhuc non elidis cætera Hæreticæ tuæ infamiæ, quæ integra nihilominùs ſuperant, argumenta. Deinde narro tibi. Infamia ab hoſtibus quoque orta, quando non temerè, ſed ex veriſimilibus cauſſis cuipiam inuritur, ad purgationem habendam, Farinacio cum pleriſque alijs *q* 187. *num.* 69. teſte, ſatis eſt, ac proinde ad fidem quoque faciendam ſufficit. At ieſuitis cauſſas non ſolùm veriſimiles, ſed planè neceſſarias quoque & perſpicuas ad multiplicis Hæreſis crimen tibi affigendum ſuppetere, nemo qui huiuſce Lydij teſſeras luſtrauerit, dubitabit. Quum autem duo teſtes, vt aliquem Hæreſis infamatum legitimè probent, vt idem Farinacius *ibidem, num* 65. tradit, ſatis ſint, iiſdem Ieſuitis, ad hanc ipſam Hæreſis infamiam tibi iam dudum irrogatam demonſtrandam, non duo tantùm teſtes, ſed decem, ſed quadraginta, ſed centum, facilè, ſi experiri adlubeſcat, præſto erunt. Ergo teſtimonium Ieſuitarum, quantumuis hoſtium, vt tu vis, adhuc Hæretici hominis infamiam tibi afflat, quam difflare nequis. Denique ſcitor ex te, Scioppi. Ieſuitæné omnes tui hoſtes ſunt, an pauci dumtaxat? Pauci? Manet igitur teſtimonium longè plurium tibi minimè infeſtorum, teque nihilominùs Hæreticum vociferantium incorruptum. Et ſanè tum à ratio-

ne,

ne, tum à Scitis maiorum, tum ab omni vſu alienum eſt, vt ſi quis externus cum nonnullis Religioſis viris ſimultates priuatim exercet, continuò reliqui omnes eiuſdem Ordinis Religioſi à teſtimonio aduersùs illum in cauſſis longè diuerſis dicundo repellantur. Si igitur paucos Ieſuitarum dumtaxat inſectaris (quibus nominibus, tu videris, hîc quærere neceſſe non eſt) adhuc ſuperſunt cæteri omnes longè plurimi, extra hoſtilitatis exceptionem poſiti, qui in Hæreticorum album mittendum germanâ ac priſcâ fide teſtificantur. An verò Ieſuitas omnes cuiuſque modi, aut plurimos ſaltem, iuratos tui hoſtes iuras, aut peieras? At quæro ego, cur, aut quomodo tuas ij inimicitias ſuſceperint? Eorum complures tecum erant priùs familiaritate coniuncti, te non vulgaribus beneficijs obſtrinxerant, te ſyncerae caritatis officijs demereri ſæpius ſtuduerant, te præclaris elogijs, quæ tu ipſe tuâ in *Tadiâ humanarum & diuinarum literarum* recitas, ad inuidiam vſque exornârunt. Quæ igitur magica vis carminis illos tam repente mutauit? quæ importuna mentis vèrtigo peruertit? quis violentus turbo tranſuerſos egit? vt te paulò ante amicum paulò pòſt angue peiùs cuncti oderint? vt capitali odio à te diſſidere cœperint? vt in ſimultate tecum eſſe maluerint? Quæ cauſſæ, quæ iniuriæ interceſſerunt? Commuta, Scioppi, vt lubet, quadrata rotundis, cauſſam diſſutæ amicitiæ, grauiſque offenſæ à Ieſuitis contractæ, veram ac genuinam profectò, nullam aliam extundes, ac ne in ſpeciem quidem comminiſci poteris, quam quòd tam multis infandiſque libellis ijdem Ieſuitæ generatim à te contumelioſè perſtricti, ac lacerati ſunt. Sed quam lacunam Saperda inſipiens hîc tu commoues? Non animaduertis, dum Ieſuitas omnes tanquam tui hoſtes proſcribis, à te eoſdem in tui infamiâ maxi-

mè

mè armari; dumque teſtimonium eorundem, qui te Hæreticorum Codicum Auctorem aiunt, inimicitiarum nomine infirmare conaris, multò magis confirmari? Rogo enim. Veréne, Scioppi, tu illos libros fabricâſti, nec ne? Fabricâſti? Salua res eſt, vici. Iam Hæreſis infamatus abunde teneris. Non fabricâſti? Et Ieſuitarum tam multi adeò ſtulti, & perfidi ſunt, vt in veterem amicum, talem ac tantum, planè innocentem furiosè excanduerint, Hæreticumqne promulgantes, crudeliter ſæuierint? At decepti ſunt. Et cui tu fabulam impingis? Nimirum exoculati ſumus omnes; quid diſtent æra lupinis, cernere, aut Solis radios à tenebris in meridie internoſcere non poſſumus. At ne cui id prudenter exiſtimare integrum ſit, meæ *Vindiciæ cap.* 4.5.6.& 7. facilè, reor, euincit.

VIII. Verùm quid Ieſuitarum teſtimonio ad tuæ Hæreſis oſtendendam infamiam opus eſt, quum tu ipſe Lutheranam Hæreſim (quam olim vnà cum luce à parentibus hauſiſti, multisque annis mordicus retinuiſti) iterum tum in *Actione Perduellionis*, tum in *Flagello Ieſuitico* apertè profeſſus ſis; quemadmodum tibi Forerus *Animaduerſ.*1. in *tuam Aſtrologiam* iam commemoratâ palàm exprobrat; nec tu hactenus inficias ire auſus es? Porrò confeſſum pro iudicato habendum, ſatis ex Alexandri de Neuo conſilio ſuprà allato liquet: & confeſſione vltroneâ ad facti euidentiam conuincendam, nihil eſſe efficaciùs, ſolidè Burſatus *Tom.* 2. *Conſil* 293. *num.*11. probat; quin etiam vnico teſti, etſi aliàs infami proprium factum fatenti credendum, idem Burſatus *Tom.* 1. *Conſ.* 94. *num.*16. docet. At enim gemino tu libro publico Lutheri Hæreſim ſponte confeſſus, & profeſſus es, & quiſquam ambigat, aut in dubium reuocet, quin Hæreſeos nimirum infamatus probè ac publicè iamdudum ſis?

IX. Sed

IX. Sed neſcio, quis commodùm hîc tibi ſuppetias aduenit, negatque huiuſmodi infamiâ te ampliùs flagrare, quando iam tui iſti inauſpicati libri in prohibitorum Indicem relati ſunt, atque ita totum illud probrum ac labes tui nominis adobruta penitùs, ac ſepulta. O hebetem amentemque tui patronum, Scioppi, cui ſi fidis, aut credis, næ tu oppidò vnà cum eo allucinaris. Quid? num interdictio librorum infamiam Auctorum delet, ac non potiùs exaggerat? Itáne Lutheri, Caluini, Bezæ, ac cæterorum Hæreticorum infames Codices, quia damnati vetitique ſunt, infamiam flagitioſiſſimorum hominum expungunt? palmare deliramentum. Quid quod nullus liber, proprium Scioppij nomen, hoc eſt, tuum ſine inuolucris præferens in illum damnatorium Indicem, quod ſciam, relatus eſt? Quid quòd ne cæteri quidem tui famoſi, alienis perſonati nominibus, omnes in illum ipſum Indicem adhuc redacti ſunt? Quid quòd ille Index vltra alpes vbique minimè receptus eſt, adeoque non impedit, quo minùs tui libri, quamuis prohibiti, in Germaniâ, in Vngariâ, in Boëmiâ, in Poloniâ, alibique paſſim legantur? Quid quòd in Italiam quoque, vbi improbi huiuſmodi libri à Sacris Quæſitoribus non tolerantur, à te nihilominùs, vt meis in *Vindicijs cap* 5. palàm feci, clam inuehuntur, ſceleſteque ſparguntur? Quid quòd tua *Aſtrologia Eccleſiaſtica*, ac *Suppetiæ Logicæ* tuo præſcripto nomine multiplicem Hæreſim, vt infrà docebo, blandè propinant, & tamen impune adhuc graſſantur? Quid quòd Foreri Apologetica, quæ te Hæreticum produnt, ac probant, in Catholicis vrbibus cum Præſidum facultate impreſſa, atque in Dei Eccleſiâ permiſſa, liberè, publiceque leguntur? Quid poſtremò quòd pleraque alia indicia ac probationes, de quibus antè, quæ te Hæreſis infamatum cumu-

latè

latè perſuadent, adhuc integra ac robuſta ſuperſunt?

X. Pone igitur, Scioppi, criſtas, pone faſtum; Catholici viri nomen exue, qui fidem iam pridem expectoraſti. Imò nomen ipſum quoque tibi, iam fœdâ turpatum ignominiâ agnoſcito. Romanæ filium Eccleſiæ mentiri te deſine, qui tam multas Hæreſis teſſeras ſermone & ſcriptis oſtentas. Verùm quum has vniuerſè tantùm hic ego libauerim, age nunc, ſingulas particulatim exploremus.

Cap. III.

Prima Scioppianæ Hæreſis teſſera, Apoſtolica Romana Sedes impuratis patuliſque pulſata cornibus.

I. Ordiamur ab Apoſtolicâ Romanâ Sede, quam quum Hæretici cuncti, quibuſcunque poſſunt, machinationibus quatere, nunquam, vt conſtat, deſinant (quanquam conatu omni aduerſus eam, quæ & Infernis arietibus immota ſtat, ſemper fuſtrato) nunc, quæ tua, Scioppi, erga illam reuerentia ſit, ex te quæro; quod tuum obſequium, quis animi ſenſus; vt albúſne, an ater; Catholicus, an Hæreticus ſis, nulli clam ſit. Quid ſubinde commentus ac fabulatus ſis, hic ego non moror. In animi tui penetralia, ſi pateris, penetrare me cupio. Quæ tua inſita, & non fucata mens ſit, è præcordijs emedulla. Quid obluctaris? quid hæres?

II. Interrogo te, Gaſpar Scioppi, an qui verè Catholicus, & non de ganeis Hæreticorum eſt, Romanam Sedem Apoſtolicam ſuperbiæ, ac fatuitatis inſimulare audeat? Negant Catholici omnes.

nes. Tu quid ais? qui tibi à ſecretis eſt, tuumque frumentum ſtylo ſubegit, ac moluit, Renatus Verdæus, vt in *Vindicijs* meis *cap* 6. monſtraui, tuorum *Myſteriorum* patronus, Forcrique Maſtix, nónne in *Statera, cap*. 7. *pag*. 74 *typum & ſuperbiam Sedis Romanæ in extrauaganti Bonifacij* Summi Pontificis *iam olim bonis omnibus diſplicuiſſe* mentitur? nónne eundem Pontificem *digniſſimum auctorem ſuperbiſſimæ decretalis, de qua tam inſolenter gloriantur Monarchomachi*, appellat? nónne eiuſdem *fatuitatem, qui intrauerit, vt vulpes, regnarit vt leo, mortuus ſit, vt canis, à Philippo Pulchro redargutam* memorat? Sed quo iure? Lutheranæ procacitatis, aut Caluiniani ſpiritus vtique æmulo. At parum hoc, niſi etiam *cap*. 10. *pag*. 119. *Romanæ Sedis auctoritatem* infrunito ore *tyrannicam* vocare non dubitaret; parum, niſi certa quædam de Romani Pontificis ac Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ac prærogatiuis pronuntiata, à Gregorio VII. Antiſtite Maximo, ac Viro Sanctiſſimo in Synodo Romanâ, vt Baronius *Tom*. 11. ad annum Chriſti CIↃLXXVI. narrat, explicata & confirmata, *ſuperbiſſima, & abſurdiſſima* eodem loco pronuntiaret; parum, niſi illos, qui eiuſdem Sedis Apoſtolicæ auctoritatem vulgatis libris tueri, atque à calumnijs vindicare conati ſunt, *eo nomine infames fuiſſe* ibidem perfrictâ fronte ſcriberet; parum, niſi *inſanam Epiſcoporum Romanorum libidinem propagandi terminos ſuos quà iure, quaùe iniuriâ, cap* 11. *pag*. 136 hoſtili licentiâ confingeret; parum denique, niſi illic quoque, *vtile eſſe, conſtitui vnum Summum Monarcham ſpiritualem in vniuerſa terrâ*, haud obſcurè negaret. Viden' Scioppi, viden' tuam Hæreticam impudentiam? viden' ad Sedem Apoſtolicam ſubruendam, perduellionis cuniculos palàm actos?

III. Sed quid ego clancularios cuniculos refero, quàm apertè, quàm meridianâ in luce ca-

pitatum

pitatum arietem ad eandem Sedem penitùs euertendam intorques? An non Catholicæ religionis diuino oraculo compertum eſt, fidem Petri, illam videlicet, quæ à Chriſto Domino, ipſi, eiusque Succeſſoribus, ſui Vicarijs, qui Apoſtolicâ Sede potiuntur, tradita eſt, deficri non poſſe, neque eiuſdem Chriſti Sponſæ Eccleſiæ vnquam defuturam? Extra controuerſiam cunctos apud Catholicos poſitum eſt. Quæ autem extra cancellos eiuſdem Eccleſiæ, ac Sedis, genuina Chriſti fides vſpiam eſſe poteſt? nulla prorſus. Tu verò verſipellis Protee, eandem Petri Sedem de medio quàm dilucidè ſuſtuliſti? quàm perſpicuè Sedem peſtilentiæ dixiſti? quàm enucleatè falſæ doctrinæ fermento corruptelas ſerere affirmâſti? Caue, hiſcas. Caue, inficieris. Hæc cuncta de te rabula tuus & ſcriba Verdæus, teſtis omni exceptione maior, ſine fuco & fallaciâ diſertè prædicat. Fatetur, inquit ille *cap.* 1. eiuſdem *Stateræ, num.* 3. *pag* 13. Fatetur Myſteriographus (nempe Scioppius, tu ipſe faber faberrime, qui ea *Myſteria*, vt in *Vindicijs* meis *cap.* 5. reuici, fabricâſti) Se Apoſtolicæ Sedis auctoritatem *ſi qua iam eſſet Sedes Apoſtolica* (poteráſne clariùs hanc abolere?) neque irridere, neque ludificari *vnquam velle. Sed non ſolùm irridet, verùm deteſtatur, Phariſæos, qui ſe profitentur* ſedere in cathedrâ Moſis, *& tamen fermento falſæ doctrinæ mundum corrumpunt: Sedem etiam* peſtilentiæ *illius, qui in Templo Dei tanquam Deus ſedet, præ ſe ferens ſe eſſe Deum,* 2. Theſſal. 2. verſ 4. Intelligo, Scioppi, quid velis, cerno, quò tendas. Tibi Sedes Apoſtolica nulla iam eſt, Eccleſiæ Præſules omnes Phariſæi ſunt, Romanus Pontifex Antichriſtus, Sedes Petri ſedes peſtilentiæ; quæ ſunt conſpicuæ certæque tuæ Hæreſis, vt liquet, teſſeræ. Perge. *Id etiam non ſolùm agnoſcit, ſed de eo gloriatur* (ſubdit *ibidem pag.* 14. tuo nomine Verdæus) *quod conatur eos, qui nomen vni Chriſto dederunt,*

Sede peſtilentia auocare; *ne ad eius gremium redeant, quæ mater eſt* fornicationum, & abominationum terræ, *Apoc. 17. verſ. 5.* Iam rogo te, Scioppi, quicquámne Hæreticis tam frequens in ore, tam familiare in ſermone, tam inculcatum in libris eſt, quàm hæc ipſa *Antichriſti, Sedis peſtilentiæ, matris fornicationum, & abominationum* vocabula, & portenta, à te in eandem Sedem Apoſtolicam, Maximumque Pontificem per ſummum nefas iactata? Negare non potes. Et tuæ Hæreticæ perfidiæ manifeſta chirographa teneri manibus non ſentis?

IV. Hinc Catholicum Bellarmini ſcitum *lib. 1. de Cleric cap. 30.* & *lib. 1. de offic Principis, cap. 1.* vbi meritiſſimò negat, *Reges ſeculi eſſe legitimos Superiores, & Iudices Clericorum*, ceu inſanam doctrinam, inſaniam tu ipſe inſaniens maximam *cap. 7.* eiuſdem *Statera, pag. 71.* irrides. Hinc alteram eiuſdem *Cardinalis* certam apud Catholicos ſententiam, quâ ſolidè docet, *Principem Laicum Epiſcopo* (quod ad res *ſpirituales* pertinet) *ſubditum eſſe debere, non Epiſcopum Principi*, velut flagitioſam eodem *cap. 7. pag 82.* explodis. Hinc librum Franciſci Suarez Defenſionis Fidei, contra Anglicanam Sectam ab Epiſcopo Conimbricenſi probatum, in quo Apoſtolicæ Sedis, Summique Pontificis iura egregiè propugnat, tanquam Hæreticum inibi *cap. 8. pag 85.* traducis, illiusque Epiſcopi approbationem huiuſmodi ſcommate nequiſſimo perſtringis: *Sed quid tum, ſi ſicarius, aut latro, habeat ſuos approbatores, an propterea innocens iudicabitur?* Hinc tam frequenter immunitatem Eccleſiaſticam in eâdem *Statera* obteris, ſummâque contentione euertere niteris. Hinc Sacrorum Canonum auctoritatem *cap. 12. pag. 145. & ſeqq.* ne pili quidem facis. Hinc poſtremo, quicquid vſpiam excogitare, aut effodere potes, quod ad Catholicos Principes ac Reges à Romani Pontificis obedientiâ ac

reuocren-

iam pridem eam animo de te opinionem multis ex capitibus, præſertim tuis è libris famoſis imbiberunt, vt te Hæreticis, aut Diagoris Numen omne de Mundi vniuerſitate expungentibus accenſendum iure arbitrentur; quam opinionem ſententiamque cum externis etiam omnibus, quibuſcum agunt, vbi de te incidit mentio, liberè communicant, vulgant, publicant; nec voce ſolùm efferunt, ſed documentis etiam probant. Vide iam, quàm graui, quàm latè diditâ, quàm longè inueteratâ Hæreſis notâ notatus ſis. Quid enim? an ignoras, Scioppi, quod neque iuris notitiâ, neque facti euidentiâ manifeſtarium eſt, famâ tamen id vulgante, id publicum eſſe, hoc eſt, è communi hominum exiſtimatione per veriſimiles coniecturas (vt egregiè Ludouicus Molina, inſigne non Theologiæ tantùm, ſed Iuriſprudentiæ etiam lumen, *Tract.* 4. *diſp.* 51 iam laudatâ, obſeruat) rite deriuatum? Age nunc, quod ſit publicum crimen, quæ publica macula, ab eodem Molinâ quærito; & perſpicuè ab illo explicatum, deciſumque inuenies, vt aliquis in oppido è XL. domibus conflato rei alicuius infamatus dicatur, *Satis eſſe, ſi opinio de ea re ſit apud viginti de eo oppido*; vt autem toto regno infamatus cenſeatur, ſufficere, *ſi in Curia ſit infamatus, aut in illuſtri alio loco, quo influere ſolent ex toto regno, & vnde fama in regnum totum facilè ſpargitur.* Generatim verò, vbi *res ita limites ſecreti, ſeu occulti egreditur, vt prudentis arbitrio, attentâ qualitate communitatis iudicetur eſſe adeò propalata, ac publica, vt moraliter attentâ conditione humanâ, ſit vlterius ea res diffundenda, cenſendum ſanè eſſe, de quo ea opinio à tot iam habetur, amiſiſſe ibi eâ in re ſuam famam, eſſeq; eâ de re ibi infamatum.* Quam etiam doctrinam affert, amplectiturque Ioannes de Lugo purpurâ, ingenio, ſapientiâque eminentiſſimus *Tom.* 1. *de Iuſtit. diſp.* 14. *ſect.* 6. *num.* 70. ac ne

Ieſuitas

Ieſuitas ſolos, aut Theologos ita decernere putes, aut rideas, magnus quoq; Iuriſconſultus, Proſper Farinacius neceſſario omnino conſentit, dum *quaſt.* 185. *num.* 85. manifeſto Hæretico (qui magis vtique vulgo notus eſt, quàm qui Hæreſis infamatus dumtaxat eſt) occultum opponens, *Limita,* inquit, *propoſitam regulam, vt non dicatur manifeſtus ſeu notorius Hæreticus, cuius Hæreſis non pluribus, ſed paucis, vt puta quinque perſonis nota ſit*, ſubditque occultum dici, quod fit coram duobus, vel tribus teſtibus. Quid ſi verò Hæreſis infamia non ampliùs quinque tantummodò, ſed decem, viginti, vel triginta viris innotuit? certè eam non occultam, ſed publicam iam idem Farinacius aſſeuerabit. Cerne nunc, Scioppi, tot Ieſuitarum millia per Chriſti Eccleſiam in tam varias multaſque prouincias ac regiones longè lateque diffuſos; quorum omnium, qui vitam tuam, mores, ac doctrinam cognitam habent vtcunque, vna vox, vna ſententia eſt, te plures nundinari Hæreſes, & plures alias quoque parturire; qui verò te penitùs ac medullitus nôrunt, inter Hæreticos noſtri æui tæterrimos meritò referendum, idque vtrique palàm, quum de te ſermones cædunt, vbiq; locorum planiſſimè ſine vllâ circuitione prædicant. Quocirca vel ſoli Ieſuitæ, tuæ infamiam Hæreſis è latebris in lucem ita extrahunt, vt non ſolùm humanæ conditionis imbecillitate, & garrulitate ſpectatâ, ea tum per eoſdē Ieſuitas, tum per illorum diſcipulos, cæteroſq; vlteriùs porrigenda ſit, ſed etiam iam per eoſdē in tam diuerſa ac longinqua loca propagata ſit. Non eſt igitur, Scioppi, cur Catholici viri nomine ac famâ, vel fuco ampliùs glorieris, aut tibi placeas, quum Hæreſis infamiâ publicè iam pridem tam multis in locis labores.

VII. At hic tu magno impetu, ac tribunitio prope furore intercedens, exclamas repentinò:

Quæ te inſania agitat, vt à Ieſuitis infeſtiſſimis mei hoſtibus honeſtiſſimam mei nominis famam dehoneſtari, meque in Hæreſis infamiam populo poni poſſe opineris? O te plumbeum, quum tam plumea eiaculas tela! Nec luna latrantes canes moratur, neque ego Ieſuitas oblatrantes. Audio baubantem Cerberum, Scioppi, moloſſorum quorumcunque latratibus palmam facilè præripientem, quam tibi nemo ſapiens inuidet, nos vltro aſſerimus. Ceterùm fruſtra hîc ringeris, fruſtra obſtrepis. Nam primò, huiuſmodi prætextu vel exceptione adhuc non elidis cætera Hæreticæ tuæ infamiæ, quæ integra nihilominùs ſuperant, argumenta Deinde narro tibi. Infamia ab hoſtibus quoque orta, quando non temerè, ſed ex veriſimilibus cauſſis cuipiam inuritur, ad purgationem habendam, Farinacio cum pleriſque alijs *q* 187. *num.* 69. teſte, ſatis eſt, ac proinde ad fidem quoque faciendam ſufficit. At Ieſuitis cauſſas non ſolùm veriſimiles, ſed planè neceſſarias quoque & perſpicuas ad multiplicis Hæreſis crimen tibi affigendum ſuppetere, nemo qui huiuſce Lydij teſſeras luſtrauerit, dubitabit. Quum autem duo teſtes, vt aliquem Hæreſis infamatum legitimè probent, vt idem Farinacius *ibidem*, *num* 65. tradit, ſatis ſint, ijſdem Ieſuitis, ad hanc ipſam Hæreſis infamiam tibi iam dudum irrogatam demonſtrandam, non duo tantùm teſtes, ſed decem, ſed quadraginta, ſed centum, facilè, ſi experiri adlubeſcat, præſto erunt. Ergo teſtimonium Ieſuitarum, quantumuis hoſtium, vt tu vis, adhuc Hæretici hominis infamiam tibi afflat, quam difflare nequis. Denique ſcitor ex te, Scioppi. Ieſuitæné omnes tui hoſtes ſunt, an pauci dumtaxat? Pauci? Manet igitur teſtimonium longè plurium tibi minimè infeſtorum, teque nihilominùs Hæreticum vociferantium incorruptum. Et ſanè tum à ratio-

ne,

ne, tum à Scitis maiorum, tum ab omni vſu alienum eſt, vt ſi quis externus cum nonnullis Religioſis viris ſimultates priuatim exercet, continuò reliqui omnes eiuſdem Ordinis Religioſi à teſtimonio aduersùs illum in cauſſis longè diuerſis dicundo repellantur. Si igitur paucos Ieſuitarum dumtaxat inſectaris (quibus nominibus, tu videris, hic quærere neceſſe non eſt) adhuc ſuperſunt cæteri omnes longè plurimi, extra hoſtilitatis exceptionem poſiti, qui in Hæreticorum album mittendum germanâ ac priſcâ fide teſtificantur. An verò Ieſuitas omnes cuiuſque modi, aut plurimos ſaltem, iuratos tui hoſtes iuras, aut peieras? At quæro ego, cur, aut quomodo tuas ij inimicitias ſuſceperint? Eorum complures tecum erant priùs familiaritate coniuncti, te non vulgaribus beneficijs obſtrinxerant; te ſynceræ caritatis officijs demereri ſæpius ſtuduerant, te præclaris elogijs, quæ tu ipſe tuâ in *Tadiâ humanarum & diuinarum literarum* recitas, ad inuidiam vſque exornârunt. Quæ igitur magica vis carminis illos tam repente mutauit? quæ importuna mentis vertigo peruertit? quis violentus turbo tranſuerſos egit? vt te paulò ante amicum paulò pòſt angue peiùs cuncti oderint? vt capitali odio à te diffidere cœperint? vt in ſimultate tecum eſſe maluerint? Quæ cauſſæ, quæ iniuriæ intercefferunt? Commuta, Scioppi, vt lubet, quadrata rotundis, cauſſam diſſutæ amicitiæ, grauisque offenſæ à Ieſuitis contractæ, veram ac genuinam profectò, nullam aliam extundes, ac ne in ſpeciem quidem comminiſci poteris, quam quòd tam multis infandisque libellis ijdem Ieſuitæ generatim à te contumelioſè perſtricti, ac lacerati ſunt. Sed quam lacunam Saperda inſipiens hic tu commoues? Non animaduertis, dum Ieſuitas omnes tanquam tui hoſtes proſcribis, à te eoſdem in tui infamiâ maxi-

mè

mè armari; dumque teſtimonium eorundem, qui te Hæreticorum Codicum Auctorem aiunt, inimicitiarum nomine infirmare conaris, multò magis confirmari? Rogo enim. Veréne, Scioppi, tu illos libros fabricâſti, nec ne? Fabricâſti? Salua res eſt, vici. Iam Hæreſis infamatus abunde teneris. Non fabricâſti? Et Ieſuitarum tam multi adeò ſtulti, & perfidi ſunt, vt in veterem amicum, talem ac tantum, planè innocentem furioſè excanduerint, Hæreticumque promulgantes, crudeliter ſæuierint? At decepti ſunt. Et cui tu fabulam impingis? Nimirum exoculati ſumus omnes; quid diſtent æra lupinis, cernere, aut Solis radios à tenebris in meridie internoſcere non poſſumus. At ne cui id prudenter exiſtimare integrum ſit, meæ *Vindiciæ cap.* 4. 5. 6. & 7. facilè, reor, euincit.

VIII. Verùm quid Ieſuitarum teſtimonio ad tuæ Hæreſis oſtendendam infamiam opus eſt, quum tu ipſe Lutheranam Hæreſim (quam olim vnà cum luce à parentibus hauſiſti, multiſque annis mordicus retinuiſti) iterum tum in *Actione Perduellionis*, tum in *Flagello Ieſuitico* apertè profeſſus ſis; quemadmodum tibi Forerus *Animaduerſ.* 1. in *tuam Aſtrologiam* iam commemoratâ palàm exprobrat; nec tu hactenus inficias ire auſus es? Porrò confeſſum pro iudicato habendum, ſatis ex Alexandri de Neuo conſilio ſuprà allato liquet: & confeſſione vltroneâ ad facti euidentiam conuincendam, nihil eſſe efficaciùs, ſolidè Burſatus *Tom.* 2. *Conſil* 293. *num.* 11. probat; quin etiam vnico teſti, etſi aliàs infami proprium factum fatenti credendum, idem Burſatus *Tom.* 1. *Conſ.* 94. *num.* 16. docet. At enim gemino tu libro publico Lutheri Hæreſim ſponte confeſſus, & profeſſus es, & quiſquam ambigat, aut in dubium reuocet, quin Hæreſeos nimirum infamatus probè ac publicè iamdudum ſis?

IX. Sed

IX. Sed neſcio, quis commodùm hîc tibi ſuppetias aduenit, negatque huiuſmodi infamiâ te ampliùs flagrare, quando iam tui iſti inauſpicati libri in prohibitorum Indicem relati ſunt, atque ita totum illud probrum ac labes tui nominis adobruta penitùs, ac ſepulta. O hebetem amentemque tui patronum, Scioppi, cui ſi fidis, aut credis, næ tu oppidò vnà cum eo allucinaris. Quid? num interdictio librorum infamiam Auctorum delet, ac non potiùs exaggerat? Itáne Lutheri, Caluini, Bezæ, ac cæterorum Hæreticorum infames Codices, quia damnati vetitique ſunt, infamiam flagitioſiſſimorum hominum expungunt? palmare deliramentum. Quid quod nullus liber, proprium Scioppij nomen, hoc eſt, tuum ſine inuolucris præferens in illum damnatorium Indicem, quod ſciam, relatus eſt? Quid quòd ne cæteri quidem tui famoſi, alienis perſonati nominibus, omnes in illum ipſum Indicem adhuc redacti ſunt? Quid quòd ille Index vltra alpes vbique minimè receptus eſt, adeoque non impedit, quo minùs tui libri, quamuis prohibiti, in Germaniâ, in Vngariâ, in Boëmiâ, in Poloniâ, alibique paſſim legantur? Quid quòd in Italiam quoque, vbi improbi huiuſmodi libri à Sacris Quæſitoribus non tolerantur, à te nihilominùs, vt meis in *Vindicijs cap* 5. palàm feci, clam inuehuntur, ſceleſteque ſparguntur? Quid quòd tua *Aſtrologia Eccleſiaſtica*, ac *Suppetiæ Logicæ* tuo præſcripto nomine multiplicem Hæreſim, vt infrà docebo, blandè propinant, & tamen impune adhuc graſſantur? Quid quòd Foreri Apologetica, quæ te Hæreticum produnt, ac probant, in Catholicis vrbibus cum Præſidum facultate impreſſa, atque in Dei Eccleſiâ permiſſa, liberè, publiceque leguntur? Quid poſtremò quòd pleraque alia indicia ac probationes, de quibus antè, quæ te Hæreſis infamatum cumulatè

latè perſuadent, adhuc integra ac robuſta ſuperſunt?

X. Pone igitur, Scioppi, criſtas, pone faſtum; Catholici viri nomen exue, qui fidem iam pridem expectoraſti. Imò nomen ipſum quoque tibi, iam fœdâ turpatum ignominiâ agnoſcito. Romanæ filium Eccleſiæ mentiri te deſine, qui tam multas Hæreſis teſſeras ſermone & ſcriptis oſtentas. Verùm quum has vniuersè tantùm hic ego libauerim, age nunc, ſingulas particulatim exploremus.

CAP. III.

Prima Scioppianæ Hæreſis teſſera, Apoſtolica Romana Sedes impuratis patuliſque pulſata cornibus.

I. ORdiamur ab Apoſtolicâ Romanâ Sede, quam quum Hæretici cuncti, quibuſcunque poſſunt, machinationibus quatere, nunquam, vt conſtat, deſinant (quanquam conatu omni aduerſus eam, quæ & Infernis arietibus immota ſtat, ſemper fruſtrato) nunc, quæ tua, Scioppi, erga illam reuerentia ſit, ex te quæro; quod tuum obſequium, quis animi ſenſus; vt albúsne, an ater; Catholicus, an Hæreticus ſis, nulli clam ſit. Quid ſubinde commentus ac fabulatus ſis, hic ego non moror. In animi tui penetralia, ſi pateris, penetrare me cupio. Quæ tua inſita, & non fucata mens ſit, è præcordijs emedulla. Quid obluctaris? quid hæres?

II. Interrogo te, Gaſpar Scioppi, an qui verè Catholicus, & non de ganeis Hæreticorum eſt, Romanam Sedem Apoſtolicam ſuperbiæ, ac fatuitatis inſimulare audeat? Negant Catholici omnes.

tes. Tu quid ais? qui tibi à ſecretis eſt, tuumque frumentum ſtylo ſubegit, ac moluit, Renatus Verdæus, vt in *Vindicijs* meis *cap 6.* monſtraui, tuorum *Myſteriorum* patronus, Forcriſque Maſtix, nônne in *Statera, cap. 7. pag.* 74 *typum & ſuperbiam Sedis Romanæ in extrauaganti Bonifacij* Summi Pontificis *iam olim bonis omnibus diſplicuiſſe* mentitur? nônne eundem Pontificem *digniſſimum auctorem ſuperbiſſimæ decretalis, de qua tam inſolenter gloriantur Monarchomachi*, appellat? nónne eiuſdem *fatuitatem, qui intrauerit, vt vulpes, regnarit vt leo, mortuus ſit, vt canis, à Philippo Pulchro redargutam* memorat? Sed quo iure? Lutheranæ procacitatis, aut Caluiniani ſpiritus vtique æmulo. At parum hoc, niſi etiam *cap.* 10. *pag.* 119. *Romanæ Sedis auctoritatem* infrunito ore *tyrannicam* vocare non dubitaret; parum, niſi certa quædam de Romani Pontificis ac Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ac prærogatiuis pronuntiata, à Gregorio VII. Antiſtite Maximo, ac Viro Sanctiſſimo in Synodo Romanâ, vt Baronius *Tom.* 11. ad annum Chriſti ɪↄLXXVI. narrat, explicata & confirmata, *ſuperbiſſima, & abſurdiſſima* eodem loco pronuntiaret; parum, niſi illos, qui eiuſdem Sedis Apoſtolicæ auctoritatem vulgatis libris tueri, atque à calumnijs vindicare conati ſunt, *eo nomine infames fuiſſe* ibidem perfrictâ fronte ſcriberet; parum, niſi *inſanam Epiſcoporum Romanorum libidinem propagandi terminos ſuos quà iure, quàue iniuriâ, cap* 11. *pag.* 136 hoſtili licentiâ confingeret; parum denique, niſi illic quoque, *vtile eſſe, conſtitui vnum Summum Monarcham ſpiritualem in vniuerſa terrâ*, haud obſcurè negaret. Viden' Scioppi, viden' tuam Hæreticam impudentiam? viden' ad Sedem Apoſtolicam ſubruendam, perduellionis cuniculos palàm actos?

III. Sed quid ego clanculariós cuniculos refero, quàm apertè, quàm meridianâ in luce capitatum

pitatum

pitatum arietem ad eandem Sedem penitùs euertendam intorques? An non Catholicæ religionis diuino oraculo compertum eſt, fidem Petri, illam videlicet, quæ à Chriſto Domino, ipſi, eiuſque Succeſſoribus, ſui Vicarijs, qui Apoſtolicâ Sede potiuntur, tradita eſt, deficeri non poſſe; neque eiuſdem Chriſti Sponſæ Eccleſiæ vnquam defuturam? Extra controuerſiam cunctos apud Catholicos poſitum eſt. Quæ autem extra cancellos eiuſdem Eccleſiæ, ac Sedis, genuina Chriſti fides vſpiam eſſe poteſt? nulla prorſus. Tu verò verſipellis Protee, eandem Petri Sedem de medio quàm dilucidè ſuſtuliſti? quàm perſpicuè Sedem peſtilentiæ dixiſti? quàm enucleatè falſæ doctrinæ fermento corruptelas ſerere affirmâſti? Caue, hiſcas. Caue, inficieris. Hæc cuncta de te rabula tuus & ſcriba Verdæus, teſtis omni exceptione maior, ſine fuco & fallaciâ diſertè prædicat. Fatetur, inquit ille *cap.* 1. eiuſdem *Stateræ, num.* 3. *pag.* 13. Fatetur Myſteriographus (nempe Scioppius, tu ipſe faber faberrime, qui ea *Myſteria*, vt in *Vindicijs* meis *cap.* 5. reuici, fabricâſti) Se Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, *ſi qua iam eſſet Sedes Apoſtolica* (poteráſne clariùs hanc abolere?) neque irridere, neque ludificari *vnquam velle. Sed non ſolùm irridet, verùm deteſtatur, Phariſæos, qui ſe profitentur* ſedere in cathedrâ Moſis, *& tamen fermento falſæ doctrinæ mundum corrumpunt:* Sedem *etiam* peſtilentiæ *illius, qui in Templo Dei tanquam Deus ſedet, præ ſe ferens ſe eſſe Deum,* 2. Theſſal. 2. verſ. 4. Intelligo, Scioppi, quid velis, cerno, quò tendas. Tibi Sedes Apoſtolica nulla iam eſt, Eccleſiæ Præſules omnes Phariſæi ſunt, Romanus Pontifex Antichriſtus, Sedes Petri ſedes peſtilentiæ; quæ ſunt conſpicuæ certæque tuæ Hæreſis, vt liquet, teſſeræ. Perge. *Id etiam non ſolùm agnoſcit, ſed de eo gloriatur* (ſubdit *ibidem pag.* 14. tuo nomine Verdæus) *quod conatur eos, qui nomen vni Chriſto dederunt,*

à Sede

à Sede peſtilentiæ auocare; ne ad eius gremium redeant, quæ mater *eſt* fornicationum, & abominationum terræ, *Apoc.* 17. *verſ.* 5. Iam rogo te, Scioppi, quicquámne Hæreticis tam frequens in ore, tam familiare in ſermone, tam inculcatum in libris eſt, quàm hæc ipſa *Antichriſti, Sedis peſtilentiæ, matris fornicationum, & abominationum* vocabula, & portenta, à te in eandem Sedem Apoſtolicam, Maximumque Pontificem per ſummum nefas iactata? Negare non potes. Et tuæ Hæreticæ perfidiæ manifeſta chirographa teneri manibus non ſentis?

IV. Hinc Catholicum Bellarmini ſcitum *lib.* 1. *de Cleric cap.* 30. & *lib.* 1. *de offic Principis, cap.* 1. vbi meritiſſimò negat, *Reges ſeculi eſſe legitimos Superiores, & Iudices Clericorum,* ceu inſanam doctrinam, inſaniam tu ipſe inſaniens maximam *cap.* 7. eiuſdem *Stateræ, pag.* 71. irrides. Hinc alteram eiuſdem *Cardinalis* certam apud Catholicos ſententiam, quâ ſolidè docet, *Principem Laicum Epiſcopo* (quod ad res *ſpirituales* pertinet) *ſubditum eſſe debere, non Epiſcopum Principi,* velut flagitioſam eodem *cap.* 7. *pag* 82. explodis. Hinc librum Franciſci Suarez Defenſionis Fidei, contra Anglicanam Sectam ab Epiſcopo Conimbricenſi probatum, in quo Apoſtolicæ Sedis, Summique Pontificis iura egregiè propugnat, tanquam Hæreticum inibi *cap.* 8. *pag* 85. traducis, illiusque Epiſcopi approbationem huiuſmodi ſcommate nequiſſimo perſtringis: *Sed quid tum, ſi ſicarius, aut latro, habeat ſuos approbatores, an propterea innocens iudicabitur?* Hinc tam frequenter immunitatem Eccleſiaſticam in eâdem *Statera* obteris, ſummâque contentione euertere niteris. Hinc Sacrorum Canonum auctoritatem *cap.* 11. *pag.* 145. & *ſeqq.* ne pili quidem facis. Hinc poſtremò, quicquid vſpiam excogitare, aut effodere potes, quod ad Catholicos Principes ac Reges à Romani Pontificis obedientiâ ac

reuocren-

reuerentiâ abducendos, nec non aduerſus Apoſtolicam Sedem irritandos, ſolicitandos, inflammandosque torqueri poteſt, auidiſſimè arripis, totoque conatu, præſertim *cap* 7. 8 & 9. eiacularis. Vnde ſceleratæ tuæ Hæreſis immania cornua ſat ſuperque, vt conſtat, protuberant.

V. Cæterùm quæ hîc in ſacroſanctam Sedem inſolentiſſimè elatrâſti, comprimere, aut diluere, quum procaciſſimi nebulonis decumana mendacia & apertæ calumniæ ſint, in Catholicorum libris iam pridem contuſa, ac penitùs iugulata, ſuperuacaneum omnino exiſtimo. Porrò ne de iniuriâ fortaſſe, quòd quæ in *Statera* delirauit Verdæus, tibi vitio vertam, iure expoſtulare queas, meæ *Vindiciæ cap* 6. planiſſimè intercedunt, vbi palàm oſtendi, quàm tibi ſolemne ſit, alienos vultus & nomina tuis in libris induere, ſubdoleque mentiri, neque temerè gnaris rerum perſuaſum, eâdem in *Statera* te mutuum cum Verdæo facere, hoc eſt, vt ſine fuco dicam, aut Riuetum *Scioppizare*, aut Scioppium *Riuetizare*. Elige tu, quod mauis.

Cap. IV.

Secunda Sciopianæ Hæreſis teſſera, corrupta doctrina de Summi Pontificis in bona Eccleſiaſtica iure.

I. QVàm effrænatè, Scioppi, in Pontificem Maximum ſæpenumero debacchatus ſis, paulò antè ex iniquiſſimâ *Staterâ* æquiſſimâ lance ſum trutinatus. Nunc peculiarem tantùm appendicem de eiuſdem Pontificis in bona Eccleſiaſtica poteſtate, à te pariter, non minùs petulanter, quàm imperitè temeratâ, lubet hîc adtexere.

II. Scitor enim ex te, quid facultatis Summo Pontifici in cuncta Sacerdotia, & bona Eccleſiaſtica, cuiuſmodi iſta ſint, eſſe cenſeas? Potéſne in controuerſiam vocare, quod ratum fixumque eſt, eundem Pontificem minimùm horum eſſe ſupremum adminiſtrum, ac diſpenſatorem? Si diſſentis, vel abnuis, grauiſſimi ſapientiæ Myſtæ & numero multitudinis, & pondere auctoritatis extemplo te obruent. Ducit agmen Magnus Aquinas 2.2.*quæſt.*C.*a.*1. ad 3. Sequitur Caietanus ibidem. Adſtipulatur Turrecremata *lib* 2.*Summ. cap.* 113. Subſcribit Nauarrus in C. *Non liceat, de ſpolijs Cleric.* §.3. Concinunt Azor *lib.* 6. *cap.*1. *quæſt. vlt.* Molina *Tract* 2 *de Iuſtit. diſp* 29 *quæſt* 2. Adrianus in 4 *de reſtitutione.* Leſſius *lib.* 2.*de Iuſt.cap.*4.*dub* 4. & Filliucius *Tract* 41 *de Beneficijs, cap.* 2. *quæſt* 2. *num.*6. Conſpirant denique cæteri omnes quum Theologi, tum Sacrorum Canonum Interpretes. Sed non de nihilo *minimùm* dixi. Quippe eorundem Interpretum complures, Pontificem bonorum Eccleſiaſticorum Dominum etiam omnino, ne dum diſpenſatorem, exiſtimant.

III. Sed fac diſpenſatorem tantummodò eſſe. Quàm latè pertinens nihilominùs, quàm ampla & cumulata illius poteſtas in huiuſmodi bona eſt? Nolo hîc, cuiquam explanatorum credas; nolo, vllis Doctorum opinionibus mouearis; nolo, priuatæ auctoritatis ſuffragijs cedas. At publicum ſacrumque Eccleſiæ totius caput adſpectabile, Clementem V. Pontificem Maximum, quid in Sacerdotijs poſſit, enuntiantem, non potes, ſi Catholicus audire vis, eludere, aut reijcere. Lege ſis, ſi adhuc tibi oculi in capite ſunt, nec acies eorum præ ſenio hebetata eſt, quid ille *Clement* 1. *vt lite penden.* Ediſſerat. Quàm perſpicuè? quàm infinitè? *Ad Romanum*, inquit, *Pontificem Eccleſiaſticarum Dignitatum, aliorumq́ Beneficiorum Eccleſiaſticorum plena,*

&

& libera diſpoſitio ex ſua poteſtatis plenitudine noſcitur pertinere. Eodemque modo à Clemente III. aliàs IV. *cap. licet Eccleſiarum, de præbend.* in 6. *plenaria diſpoſitio* nuncupatur. Sed cur, Scioppi, *plena*, aut *plenaria?* nempe quia nihil eſt, vt rectè Filliucius iam laudatus, *num.8 quod non poßit de illis agere, interueniente iuſtâ cauſâ.* Cur verò *libera?* nimirum quòd etſi iure naturali, & diuino ea circumſcripta eſt; non tamen, vt ſubdit idem Filliucius, *eſt coarctata iure Canonico diſponendi in materia circa Beneficia.* Vnde effatum illud, apud Sacrorum Canonum enarratores celebre, ac decantatum manauit: *Quum quid Pontifex circa bona Eccleſiaſtica diſponit, ſacrilegium eſſe de diſponentis potentiâ dubitare.* Quam compertam, ſpectatamque regulam Concilium Tridentinum tantæ religioni habuit, tantâque veneratione proſecutum eſt, vt quanquam de Eccleſiaſticis Sacerdotijs plurima conſtituerit, liberam tamen plenamque Sedis Apoſtolicæ auctoritatem exceptam ſemper, conceptis verbis denunciârit. Quum autem Concilium generale, quale Tridentinum fuit, nomino, quid, Scioppi, nomino? Intelligis, opinor, niſi penitùs deſipis, Senatores Orbis terræ omni exceptione maiores, ſanctiores, doctiores, ætate, ſapientiâ, vſuque rerum præſtabiliores. Singillatim verò Tridentinus ille ampliſſimorũ Patrum Conuentus quantus, Deus immortalis! quàm grauis, quàm locuples, quàm luculentus fuit? *Quæ gentium varietas* (vt Edmundi Campiani noſtri, viri eloquentiſſimi verbis in loco vtar *a*) *qui delectus Epiſcoporum totius Orbis, qui Regum, & Rerumpublicarum ſplendor, quæ medulla Theologorum, quæ ſanctitas, quæ lacrymæ, quæ ieiunia, qui flores Academici, quæ linguæ, quanta ſubtilitas, quantus labor, quàm infinita lectio, quanta virtutum, & ſtudiorum*

a *Ratione* IV.

diuitiæ auguſtum illud ſacrarium impleuerunt? Audiui ego (pergit idem Campianus) *Pontifices exultantes, & in his Antonium Archiepiſcopum Pragenſem, à quo ſum creatus Presbyter, ampliſſimos & prudentiſſimos viros, quòd in ea ſcholâ haſiſſent aliquot annis: vt nullum Ferdinandi Cæſaris, cui multum debuerant, regalius, & vberius in ſe beneficium colerent, quàm hoc fuit, quòd in Tridentino Gymnaſio Legati ex Pannonia conſediſſent. Intellexit hoc Cæſar, qui reuerſis ita gratulatus eſt.* Aluimus vos in ſcholâ optimâ. Quid igitur tot lectiſſimorum virorum Concilium ſapientiſſimum, de iure Pontificio in quæcunque Eccleſiaſtica Sacerdotia, ac bona cenſet? quid exiſtimat? Expergiſcere, Scioppi, veternum excute, Tridentinum oraculum auribus venerabundis excipe. *Poſtremò, ſancta Synodus*, inquit, a *omnia & ſingula ſub quibuſcunque clauſulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Eccleſiaſticâ diſciplinâ tam ſub fel. record. Paulo* III. *ac Iulio* III. *quàm ſub Beatiſſimo Pio* IV *Pontificibus Maximis in hoc ſacro Concilio ſtatuta ſunt, declarat, ita decreta fuiſſe, vt in his ſalua ſemper auctoritas Sedis Apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur.*

IV. Neque tamen ſum neſcius, vbi nulla ratio, vel cauſſa exuendi quemcunque Eccleſiaſticis bonis iam ritè poſſeſſis ſuppetit, nihil his periculi à Pontificiâ auctoritate iure eſſe poſſe. Idcirco quum in *Cœnobio* tantus Religioſorum numerus, quantus ad Congregationem Conuentumúe ex legum præſcripto conflandum requiritur, ſuperat, ijdemque Religioſi approbatæ Regulæ congruenter viuunt; nunquam Canonum ſcita, neque Eccleſiæ inueterata conſuetudo, neque perennis Apoſtolicæ Sedis vſus vllo modo patiuntur, vt aliquod Monaſterium quâcunque auctoritate alteri Ordini, aut liberis Sacerdotibus tradatur, quod

a *Seſſ. 25. de Reform. cap. 21.*

Innocentius III. diſertè *cap inter quatuor, de religioſ. domib* cautum voluit, & Concilium Chalcedonenſe *cap.* 14. vt 19 *quaſt* 3. *cap* 4. *Quæ ſemel*, indicatur in ipſo titulo, inibique decernitur, expreſsè vetuit; tum idem Innocentius *Epiſt.* ad *Cardinalem* Remenſem ita ſancitum antè, palàm his verbis commemorat: *a Sanctionibus Canonicis prouidâ fuit deliberatione ſtatutum, vt quæ ſemel Deo dicata ſunt Monaſteria. quum & hodie generaliter ſtatuatur, vt Ordo Monaſticus, qui in aliquo Monaſterio ſecundùm Deum, & Benedicti regulam dignoſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur.* Fateor etiam Concilia, Pontifices, Theologos, ſacrorum Canonum propalas, ſecurim cuidam corruptelæ, quæ *Commendis*, vt appellant, perpetuis indulgendis infeſta ſubinde eſſe ſolet, atque *abuſus* vulgo dicitur, iure optimo inieciſſe.

V. At legitimum vſum, ac poteſtatem tam de *Commendis*, quàm de Monaſterijs ſtatuendi, atque hæc alium quoque ad Ordinem ſeu Religioſorum, ſeu Clericorum graui ex cauſsâ, publicâ videlicet neceſſitate, vel vtilitate transferendi, Romano Pontifici diuinitus tributam, nemo hactenus Theologorum, nemo cæterorum Doctorum, nemo Catholicorum ademit. Imò Leo X Chriſti Domini Vicarius in Concilio Lateranenſi *Seſſ.* 9. *cap.* 5. non tam recèns decernit, quàm conſignatiſſimè prædicat, integrum ſibi eſſe, quæcunque Monaſteria per obitum *Abbatum* vacauerint, ad ius Apoſtolicæ Sedis ſartum tectum conſeruandum, quandocunque ei libuerit, commendare, & aliàs commendata rurſum purpuratis nominatim Patribus commendare. Sed ne quid à me addi, vel fingi putes, Scioppi, en tibi ipſiſſima Pontificis & Concilij verba, quæ hîc tibi ſyllabatim annumero. *Volumus, ac ſancimus*, inquit, *vt quum illa Monaſteria per obitum*

a *Lib.* 1. *Decretal folio mihi* 94.

obitum Abbatum, qui illis praerant, vacauerint, nullo pacto cuiquã poſſint commendari, niſi pro conſeruatione auctoritatis Apoſtolicæ, & ad occurrendum malitijs illam oppugnantium, pro temporum qualitate, aliter nobis de fratrum Concilio viſum fuerit expedire. Sed de perſona idoneâ iuxta præſcriptam conſtitutionem, eis ita prouideatur, vt illis idonei Abbates (prout decet) præfuturi ſint. Ea vero Monaſteria, quæ commendata fuerint, quum per eorum ceſſum, vel deceſſum, quibus erant commendata, commendæ eiuſmodi ceſſauerint, Cardinalibus dumtaxat, ac qualificatis, & bene meritis commendari poſſint.

VI. Quod ſi in *Cœnobio*, quod cum alijs *Cœnobijs* ſeu eiuſdem, ſeu diuerſi Ordinis nullam habet coniunctionem, ſed Epiſcopo loci ſubiectum eſt, omnes morte extinguuntur penitùs, vt nullus ampliùs in eo ſuperſtes ſit; vel certè illi ipſi, qui in eo degunt, ab Inſtituti formulâ haud leuiter deſciſcant, vitamque improbam omnino viuant; fas itidem Summo Pontifici vtique eſt, Religioſam vnam familiam è Monaſterio, etiam Benedictini Ordinis, expellere, alteram que alterius Ordinis illi ſubrogare. Quis enim, Scioppi, hac de facultate Pontificis è cœtu Catholicorum ambigit? quis? nemo vnus. An non Alexander III. poſt Lateranenſe Concilium, *part. 16 cap 7* quod & in *cap. Relatum, Ne Clerici, vel Monachi*, legitur, documento certiſſimo eſt, Monachos Religioſæ diſciplinæ deſertores ſuis è Monaſterijs Pontificiâ auctoritate eijciendos, alios que alterius Ordinis in ea inducendos? Ipſemet Innocentius III. Alexandri Succeſſor, idem ille, qui *Monaſteria ſemper manere Monaſteria, Ordinemq; Monaſticum in aliquo Monaſterio ſecundùm Deum, & Benedicti regulam inſtitutum, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruari oportere*, ad *Cardinalem* Rhemenſem, vt ſuprà vidimus, ſcripſit, nempe quoad Viri Religioſi qui in

illis diuerſantur, ab Inſtituti normâ non defle-ctunt, vt explanaui, ſatisque etiam è verbis antè recitatis elici poteſt; án non aliâ in Epiſtolâ a ad Archiepiſcopum Colonienſem de nonnullis Monachis, qui ſuæ Regulæ videbantur obliti, ſecus omnino pronuntiat, eidemque Archiepiſcopo explicatè præcipit, vt ſi Monaſterium S. Stephani ad bonam frugem aliâ ratione ac modo reducere nequeat, *Fratres S. Abrahæ de valle Ebron* inde eijciat, & in eorum locum *Canonicos Regulares ſecundùm regulam S. Auguſtini* ſubſtituat, quemadmodum anteà quoque Nigros Monachos ob diſſolutos perditosque illorum mores indidem exturbauerat? An non idem Pontifex *Epiſt.*3. *Abbati* ſancti Vedaſti Ordinis S. Benedicti poteſtatem facit, vt S. Petri templum, quod curæ quorundam Monachorum priùs creditum fuerat, *ad ampliandum ibidem diuini nominis cultum, ſecularibus Canonicis tradat, quod in eo minùs ſolenniter Domino deſeruiretur?* An non hæc ipſa conſuetudo atque vſus, Pontificiâ auctoritate nixus, in Chriſti Eccleſiâ, nullo vnquam aduerſo ariete labefactatus, ſemper tenuit? An non ſacrorum Canonum Conſultiſſimi Abbas, Innocentius, Zabarella, Ioannes Andreas, Butrio, Hoſtienſis, Ancharanus, Viuianus, Alagona, Ximenius, Antonius Auguſtinus à iuniore Barboſâ in *cap. relatum* paulò antè adductus, laudati ac probati, cæterique omnes vno ore præciſè ſanciunt, *Monachos, qui ſeculariter viuunt, & ſunt incorrigibiles, expelli debere, fratresque alterius Ordinis in eorum Monaſterium, ſi de Monachis eiuſdem Ordinis reformari non poteſt, intrudendos eſſe?*

VII. Quid hîc obgannis, Scioppi? quid muſſas? quæro ex te, complura Monaſteria olim vni adſcripta Ordini, nónne deinde in alterius manus iure

a *Lib.*1. *Epiſt. Decretal folio mihi* 160.

b *Refert Forerus in* Antanat, ſect. 5 num. 7.

Iure peruenerunt? VViltinenſe in Tiroli prope Oenipontum, Scheſſlarienſe in Bauariâ, Ietenſe non procul Bruxellis, quibus Monachis quondam addicta ſunt? nónne Benedictinis? Nunc verò quinam Religioſi iiſdem potiuntur? Præmonſtratenſes. Lauriſſenſe qnoque in VVormatienſi agro, S. Lucij ad muros Curienſis vrbis in Rhetiâ, Altonis, vulgò Altmünſter in Bauariâ rurſum, quibus antiquitus extructa ſunt? Viris, & Virginibus è D. Benedicti proſapiâ, duo priora illis, hiſce tertium. Iam autem quæ facies rerum? hoc ad D. Birgittæ alumnas Virgines, primum, & ſecundum ad Præmonſtratenſes pariter translata ſunt. Templa inſuper Concinentiũ Sacerdotum choro inclyta, quæ *Collegiata* vocant, Lucernenſe, Eluacenſe, Oetinganum vetus, S. Albani Moguntiæ, S. Burcardi non longè ab Herbipoli, priſcis temporibus, quorum legibus temperabantur? Benedictinorum ſine controuerſiâ. Poſteà verò, quam in gentem nomenque conceſſerunt? in extraneos omnino Clericos. Complures alias huiuſmodi viciſſitudines ac traiectiones ſi nôſſe cupis, euolue Hundium in Salisburgenſi Metropoli, Trithem. de ruinâ Monaſteriorum ſui Ordinis, Myræum in Chronicis Præmonſtratenſium, Ciſtercienſium, Canonicorum Regularium; Bruſchium, & alios, in primis autem confertiſſimum, ac longiſſimum Indicem è teſtatis hiſtorijs excerptum eorum *Cœnobiorum*, quæ à D. Benedicti Ordine, ne dum ab alijs, ad diuerſi Ordinis Religioſos, quin etiam ad Clericos *ſeculares*, vt nominant, eâdem Pontificiâ auctoritate translata ſunt, quem Paulus Layman labore non exiguo confecit, atque in *Iuſta Defenſionis Appendice, pag.* 10 *lit* F. recenſet.

VIII Hæc quum ita ſe habeant, Scioppi, interrogo te, ſi quis hæc perſpicua & Catholica ſcita iugulare non dubitet, num cum Catholicis ſentire

tire, an cum Hæreticis inſanire tibi videatur? Quid ſi rotundè inficietur, Monaſteria ab Ordine Monachorum ad Clericos etiam Religioſos quacunque de cauſsâ, Apoſtolicâ auctoritate traduci poſſe? quid ſi Pontificem Romanum, quotieſcunque ea transfert, ſacrilegio obnoxium eſſe, quamuis vtilitate publicâ ſuadente, aut neceſſitate vrgente, transferat, impudenter ſtatuat? Quid ſi Monaſteria Benedictinorum vllâ de cauſsâ, ne in aliorum quidem Religioſorum ac Monachorum *Cœnobia* ob quamcunque vtilitatem, aut neceſſitatem à Chriſti Vicario commutari poſſe neget? Quid ſi, nec poſſe eundem cuiuſuis Ordinis *Cœnobia*, vlli mortalium extra Ordinem commendare; & ſi commendet, ſacrilegij reum eſſe, quippe qui res Deo ſacras lupis in prædam det, dilucidè aſſeueret? húncne tu in Catholicorum grege numerabis? At ego oppidò amens ſum, qui id à te poſtulo, quum totidem planè piacula, tu ipſe commiſeris. Quid? Nónne in *Anatomia pag.* 15 diſerte ais, *Sine ſacrilegio fieri non poſſe*, idque *diuerſorum Pontificum iudicio* (quòd tu egregiè mentiris) vt *Monaſteria* alteri Ordini ſacro, ſed non Monachorum, Apoſtolicâ auctoritate tribuantur? non ibidem *pag.* 88. ſcribis: *Probè Pontificem nôſſe, ſacros Canones ſummi cum prudentia ſtatuiſſe, vt nullum Monaſterium, cuiuſcunque Ordinis ſit, ita mutari poſſit, vt Monaſterium eſſe deſinat:* quod falſiſſimum eſſe ſuprà demonſtraui? non continuò animaduertis, non vetare quidem ſacros Canones, quin Monaſteria *auctoritate Apoſtolicâ ab vno Ordine Monachorum ad alium Ordinem Monachorum propter aliquam neceſſitatem, aut magnam vtilitatem publicam transferantur: Scire tamen* Pontificem *hoc præcipuum & ſingulare eſſe Ordinis Benedictini, quod Canones permittant quidem, vt aliorum Ordinum Monaſteria propter graues cauſſas ad Benedictinos transferantur, ſed generaliter prohibeant*

beant, ne vllum Benedictinorum Monaſterium ad vllum Monachorum Ordinem quibuſcunque de cauſis transferatur, quod perperam omnino falſoque enuntiari, iam antè pariter oſtendi? non fremis denique in *Conſultatione fratris Iuniperi pag* 35. & 36. *Sacrilegium* eſſe, & Spiritui aduerſari, quoties Summus Pontifex alicui ex Cardinalibus Monaſterium aliquod *Commenda* nomine concedit: idque nihil aliud eſſe, *quàm res Deo ſacras lupis in prædam dare*, quod non minùs quoque falſum, quàm temerarium ac nefarium eſſe, ex allatis teſtimonijs nullo negotio conuincitur?

IX. Hic tibi qui color vultus? quæ oris ac linguæ vox? qui ſenſus animi? Recognoſcíſne, Scioppi, hæc tua chirographa? viden' flagitioſis erroribus ſcatere? cernis apertis Conciliorum, ac Pontificum decretis illudere? intelligis cum ſanâ Catholicorum omnium doctrinâ è regione pugnare? ſentis gentilem tuam Hæreſim planè redolere? Pontifex Maximus Leo X. & Concilium Lateranenſe expreſsè indicant, fas eſſe, Monaſteria *Cardinalibus* commendare: tu generatim id negas, perfrictâque fronte affirmas tantundem eſſe, ac *res Deo ſacras lupis in prædam dare*. O Hæreticam impudentiam! Chriſti Domini Vicarij Clemens III. & V. Romani Pontificis poteſtatem in Sacerdotijs ac bonis Eccleſiaſticis diſpertiendis, liberam plenamque aiunt; Concilium Tridentinum veneratur, ſemperque ſaluam eſſe intelligendam monet: Catholici omnes Doctores, vno ore prædicant: tu perfidioſè tergiuerſaris, eandemque poteſtatem mutilas, arctas, diſcerpis. O Hæreticam temeritatem! Alexander Tertius Monachos Religioſæ diſciplinæ oſores è Monaſterijs expelli, aliosque alterius Ordinis ipſis ſubrogari iubet, idemque faciendum ſacrorum Canonum Interpre-

tes vniuerſè decernunt, tum Summorum quoque Pontificum auctoritate Apoſtolicâ plurima Monaſteria, etiam Benedictini Ordinis ad alios Ordines, translata ſunt, imò ad *Canonicos* quoque *Seculares*, ne dum ad *Regulares*: Tu procaciter id improbas, & ſacrilegium eſſe vociferaris, totque Religioſas familias, tot *Canonicos*, & Clericos, qui Monaſteria olim vel à Benedictinis, vel alio ab Ordine poſſeſſa iam incolunt, tot etiam Pontifices Maximos, qui ea ipſis incolenda graues ob cauſſas meritò præbuerunt, omnes ſacrilegos prorſus, haud obſcurè pronuntias. O Hæreticam veſaniam! ô probrum! ô ſcelus! ô monſtrum! Quæ cuncta quum in confeſſo ſatis iam ſint, ac pro inquiſitis habeantur, ad alia tuæ nequitiæ portenta properare nunc propero.

Cap. V.

Tertia Scioppianæ Hæreſis teſſera, nefaria veſanaque doctrina, de totius Eccleſiæ in honore cultuque viris ſanctis decernendo lapſabundâ auctoritate.

1. Qvi ſemel verecundiæ fines migrâſti, Sciopi, non mirum, ſi nauiter impudens euaſiſti. Mirandum potiùs, ſi qui Apoſtolicam Sedem, quantum in te fuit, penitùs euertiſti, Romanique Pontificis auctoritatem tam ſceleratè vulnerâſti, vt docui; ipſam Chriſti Domini Eccleſiam, vniuerſam intactam relinqueres. Quem enim ſuperiorum temporum veterumque monumentorum non ignarum præterit, à Pontificis Maximi deſpicatu ac traductione, Hæreſes omnes fluere, ac propagari? Quàm diſertè, ac perſpicuè S. Cy-

S. Cyprianus, auctor, inſtar omnium, vt cæteros in præſentiâ ſilentio tranſmittam, locupletiſſimus, fidem facit religionis contagionem omnem vitiato illo ex fonte manare? *Inde enim ſchiſmata,* inquit, *a & Hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur, dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperbâ quorundam præſumptione contemnitur.* Et alibi in eandem ſententiam: *b Non aliunde Hæreſes obortæ ſunt, vel nata ſchiſmata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur.*

II. Tu verò, qui & Apoſtolicam Sedem, & Summi Pontificis iura per Hæreticam impudentiam, vt planum feci, iam obtriuiſti; num inſana dogmata inſanire deſines? Deſines autem? Imò verò in quæ deliramenta cuiuſque modi, ac ſine modo præceps non ruis? Age. de totius Eccleſiæ auctoritate in publicâ ſanctis viris veneratione, ſacroque cultu aſſerendo quid ſentis? Quod omnes verè Catholici, inquis. Itáne, Scioppi, quod Catholici omnes? num ex animo? quippeni? Num Catholici cuncti, totius Eccleſiæ ſuffragia in ſolemni Diuorum conſecratione, nutabunda, errorique obnoxia arbitrantur? ô vocem ſummæ imperitiæ, extremæque dementiæ teſtem exploratiſſimam! Imò perfidiæ tuæ, ac impietatis documentum ineluctabile. Vt enim reliquos Scriptores Catholicos in præſentiâ diſſimulem, certè Roberti Bellarmini Controuerſias tibi perſpectas, à te lectas, nec ſemel laudatas, inficiari non potes, aut ſi id porrò negare audes, nullo negotio tuis è libris reuinci potes. Nunc cedò mihi, *de iudicio eius, qui Sanctos in numerum Sanctorum refert,* Vaticanæ purpuræ decus, tibi probè cognitum, quid opinatur? quid memorat? *Duæ ſunt,* inquit, *c ſenten-*

a *Ad Florentium Pupianum Epiſt. 69.*

b *De laudibus Martyrij.*

c *Tom. 1. lib. 1. de Sanctorum beatitudine, cap. 9.*

ſententia. Quænam hæ? *Prior eſt Hæreticorum, poſſe Pontificem errare in Sanctorum Canonizatione:* Cuius placiti flagitioſi patronos Ioannem VViclefum, Lutheranos, & Caluiniſtas vbi appellauit, mox ſubdit: *Altera eſt Catholicorum aſſerentium certum eſſe, Eccleſiam non errare, in Sanctorum Canonizatione, ita vt ſine vlla dubitatione Sancti ab Eccleſia Canonizati, venerandi ſint.* Dic iam, Scioppi, dásne hoc commune, indubiumque Catholicorum ſcitum eſſe? Mitto omnia argumenta luculentiſſima, quibus id probat Bellarminus, ne actum præclarè hîc fruſtra agam. Auctores poſtulas? in promptu ſunt. In aciem prodit omnium anteſignanus S. Thomas, cui idem Bellarminus B. Antoninum, Auguſtinum de Anchonâ, Caietanum, Silueſtrum, Driedo, & Canum ſuccenturiat. Pauci hi numero ſunt? Catholicis multò etiam pauciores abunde ſunt; Hæreticis capitonibus neque integra ac tota Eccleſia ſatis eſt. Sed ne exiguam Doctorum manum cauſſari, aut eleuare poſſis, obduco tibi pariter Turrecrematam, Valentiam, Ioannem de Neapoli, atque Azorium, quos huius Catholicornm doctrinæ propugnatores affert, ac laudat Suarez *diſp 5 de fide, ſect. 8. num.18.* Quibuſcum & Maſcardus quoque *Tom. 1. de probat concluſ. 261. num* 57. conſentit; ac ne hos etiam infrequentiæ arguas, cerne ingentem confertumque exercitum eiuſdem aſſertorem veritatis, Tabienam, Carbonem, Arragonium, Bagnes, Viguerium, Panuinum, Maluetium, Couarruuiam, Seraphinum Ractium, Catharinum, Amphoſſinum, Signium, Cordubam, Henriquez Nugnez, Turrianum, Pitigianum, Molfeſium, Naucleruin, Tuſcum, Rocchum, & Paramum, quos omnes, & pleroſque alios Felix Cantelorius vir eruditiſſimus nominatim euocat, atque in agmen cogit, edito *de Canonizatione* ſingulari opere, *cap. 10. num.*

a *Tom. 1. lib. 1. de Sanctorum beatitudine, cap. 9.*

mum 6. & *ſeqq.* Ex quibus Scriptoribus complures, vt Bellarminus, Nugnez, Tuſcus, Valentia, Molfeſius, S. Antoninus, Anfoſſius, Pitignianus effatum hoc inter Catholicæ fidei dogmata omnino numerant; nemo verò Theologorum, præſertim recentiorum eſt, qui oppoſitam opinionem temeritatis atque impietatis manifeſtò non damnet.

III. Quæro nunc de te, Scioppi, quibus in Caſtris verſeris. Signáne VViclefi, Lutheranorum, & Caluiniſtarum, an Catholicorum ſequaris? nónne cum iſtis Hæreticis monſtris palàm conſpiras? Egone? inquis. Nego, pernego, calumnia eſt. Malignitas eſt. At ſtomachum, quæſo, tantillùm placa, rediq́ue in memoriam, quid verborum ac ſermonis in Monaſterio Murenſi Benedictini Ordinis, quod in Heluetiâ ſitum eſt, anno ↀↀↀCXXXV. ipſis nonis Iunij, quum Religioſas epulas, quibus venerandus ille *Abbas*, duos, vt vocant, *Guardianos Capuccinos*, & *Commiſſarium* Lucernatem exceperat, importuniſſima vmbra conuicij, interuentorque moleſtiſſimus repentinò irrupiſſes, flagitiosè effutiueris. Sed illius ſermocinationis fortè memoriam tantâ pòſt temporis intercapedine, præſentem tibi non eſſe comminiſceris. At ne ea excideret, poſteritati à grauiſſimo viro ex D Benedicti familiâ, qui eiuſmodi menſæ vnà tum accumbebat, datis ad Laurentium Forerum literis, quæ in *Protei Appendice* a ab eodem Forero vulgatâ leguntur, fideliter tradita eſt. Poſt multa, quæ eâ tempeſtate, atque occaſione in illam conuiuarum præſtantem coronam canino tuo more elatrâſti, an non eò demum amentiæ ac furoris erupiſti, vt Eccleſiam in ſolemni ſanctorum hominum inauguratione allucinari poſſe, explicatè aſſeueraueris? Hîc tuæ ſycophantiæ decollant omnes, tergiuerſari tibi integrum non eſt, nullum in tuæ obliuionis

a *Pag.* 413.

prætextu ac fallaciâ præſidium. Nam apertiſſimis tuæ perfidiæ tabulis, ab oculato auritoq́ue teſte conſcriptis teneris, quas ego, velis nolis, tibi iure meo hîc commodum impingo. *Nihilominùs*, inquit ille Religioſiſſimæ fidei Monachus, *in ſententia Scioppius perſtitit, gloriatus, ſe per Dei gratiam ne vnâ quidem horâ, Societatis diſcipulum fuiſſe* (immanis laus, expugnatæ Troiæ palmâ maior, bubulcis tamen omnibus, & caprimulgis communis) *Ego ex oppoſito quum non modò ſeptennem Patrum diſcipulum fuiſſe, ſed ſanctum quoque Ignatium in album Patronorum meorum adlegiſſe me, dicerem: velut amens ille, non eſt certum, inquit, Ignatium ſanctum eſſe; Eccleſia enim circa Canonizationem errare poteſt.* Cui catus ille ſollersq́ue Religioſus tempeſtiuè reposuit: Si Eccleſia circa *Canonizationem* errare poteſt: *ergo & circa inuocationem Sanctorum: Ergo & circa articulum fidei errare poteſt, quod Hæreſim ſapit:* tibi autem ſapit quàm maximè.

IV. At tuæ iſtius inſipientiæ teſtem alium locupletiſſimum tibi do, virum planè doctiſſimum, atque integerrimum, tuiq́ue olim, antequàm te à Catholicæ religionis tramite adeò enormiter delirare comperiſſet, amiciſſimum P. Matthæum Valerium Carthuſiani Monaſterij Ticinenſis olim Præſidem, quem quum ego vnà cum P. Fabritio Bamfo anno CIƆIƆCXXXIX. hîc Mediolani VI. Kal. Aprilis domi ſuæ officij gratiâ inuiſiſſem, eiq́ue has tuas de incerto errabundoq́ue Eccleſiæ calculo intemperias narrâſſem, ſtatim ille certum hominem tibi perfamiliarem, cui vnum ex tuis Auctarijs Grammatices inſcripſiſti, nominauit, quem eodem errore de fluxâ Eccleſiæ ſententiâ in viris ſanctis publicâ veneratione donandis imbutum meminerat, atq; à te infatuatum oportuiſſe, iure optimo ſibi perſuadebat. Quod ſi forſan id tibi etiam effluxiſſe cauſſaris, periclitare ſaltem

an veniat tibi in mentem, quid poſteà Patauij gratiæ, viro humaniſſimo, qui tibi *Tractatum de Canonizatione Sanctorum Felicis Cantelorij* paulò antè commemorati vtendum dederat, retuleris. Certè idem ille vir non minùs eruditione, quàm humanitate præſtans, non ſemel mihi germanâ fide teſtatus eſt, ſibi eum abs te librum vnà cum inſertâ ſchedulâ tuo exaratâ charactere, quam prætextato illo Catulli carmine: *a Annales Voluſi cacata charta:* fœdaueras, fuiſſe redditum. Nimirum quia egregius Auctor Catholicam doctrinam de Pontificis Maximi, atque Eccleſiæ in ſanctis viris inaugurandis ſuffragio, erroris prorſum immuni validiſſimè tuetur, denſiſſimoque Doctorum aggere, vt monſtraui, obuallat, tibi Lutheri, Caluiniq́ue clienti authorato, meram nauteam ſordesq́ue eiectare viſus eſt.

V. Sed quid ego perſpicuis certisq́ue teſtium dictis (quorum nomina, vbi opus fuerit, detegi, qui modò clam eſſe volunt, ijdem pro ſuâ humanitate patientur) tuum crimen è latebris elicere, atque in propatulo collocare ſtudeo; quum tu ipſe verſipellis Protee, in *Verdæana Staterâ b* vltro id fatearis, ac iactes? Nónne illic diſertè ſcribis, pleraque ex Ieſuitarum monumentis in *Myſteriorum* libello, quem in lucem emiſiſti, contineri, *in quibus eorum doctrina aperiebatur de Ignatij Loyolæ ortu, Sanctitate, & Apotheoſi?* Non ibis inficias, neque ego abnuo. Sed quæ demum Ieſuitarum de Sanctorum Apotheoſi, ſeu *Canonizatione,* vt nunc loquimur, doctrina eſt? Eccleſiam certè in eâ celebrandâ falli non poſſe. Tu perſonate Scioppi, de huiuſmodi doctrinâ Ieſuitarum, Catholicis vniuerſis adeò communi quid cenſes? Inſanio ego, niſi inſaniam enucleatè pronuntias. Fore-

a *Epigram.* 33. b *In Præfatione Stateræ Renati Verdæi pag.* 4.

rus, inquis eodem loco, *a vt Lectori fucum faceret, vel contemptu obiectorum, vel audaci negatione, & reiectione dictorum; vel aliorum inter Pontificios ſectarios* (ſic Catholicos pro tuâ Catholicæ fidei reuerentiâ nuncupare amas) *aduocato conſortio, quaſi Ieſuitæ ſint extra culpam, ſi cum alijs, vel poſt alios inſaniant.* Sed tuam hanc veſaniam paulò pòſt, multo adhuc impudentiùs in illâ ipsâ *Staterâ* hoc pacto prodis: *b De informationibus Pontificijs, vbi agitur de Canonizatione Sanctorum, perſuaſum nondum eſt, exactas illas eſſe & rigidas ijs, qui vident in Album referri, quorum vita ſæpe atros potiùs Dæmones referebat, quàm vitam Angelorum.*

VI. Et poteſtne, Scioppi, ex Hæreticâ cloacâ fœtor tætrior exhalari? ecquis Lutheranum allium, Caluinique hircum magis oboleat? quis mentiendi ſtolidiſſimæ procacitati pudorem omnem effrænatiùs proſtituat? Vnum, ſi potes, è cunctorum ordine Sanctorum, quos Catholicis colendos Eccleſia hactenus propoſuerit, nomina, qui vitam caſtigatis, innoxijsque moribus, tum eximijs virtutibus exactam non terminârit, & infamis calumniæ notam, quam tuæ inuſtam fronti meritò geris, per me illico deleueris. At coneris licèt manibus, ac pedibus, ne tota quidem Hæreticorum fabulandi impudentia id vnquam poterit, vel audebit, ne ſi quem deſignet, exprimatque, confeſtim teſtatiſſimis documentis redarguta, propudioſi mendacij ac impietatis manifeſta teneatur. At hinc ſat ſuperque, te VVicleſi, Lutheri, Caluinique aſſeclam eſſe, quod vnum hîc proſequor, planum eſt, moxque longè adhuc clariùs liquebit.

a *Pag. 6.* b *Cap. 4. pag. 40.*

CAP.

Cap. VI.

Quarta Scioppianæ Hæreſis teſſera, impia ſanctorum Virorum Ignatij ac Franciſci Societatis Jeſu Ludificatio.

I. SI qui Eccleſiæ vniuerſæ auctoritatem in Viris ſanctis conſecrandis nefariâ temeritate conuellit, ac per errorem labi poſſe contendit, Hæreticis, vt oſtendi, iure optimo accenſendus eſt; num inde eximendus tibi, Scioppi, videtur, qui ore illoto ac impuriſſimo ipſoſmet Cœlites beatiſſimo Dei contubernio iucundiſſimè iam dudum fruentes non ſolùm polluit, atque inceſtat, verùm etiam ſanctitudinis diuinâ chlamyde ſpoliat, ſupernâque ex regiâ prorſus exturbat? Non puto te ita depuduiſſe, vt pudendam adeò inſcitiam, ac delirium profiteri non erubeſcas. Nos certè Catholici omnes inſigne Hæretici hominis, vbi quis Viris ſanctiſſimis, quos mater noſtra Eccleſia venerabunda obſeruat, ſacriſque mactat honoribus, reuerentiam, cultumque detrahit, exploratum ac certum arbitramur. Quâ de re, quia Catholicorum volumina paſſim obuia, argumentis prævalidis, compertiſque referta ſunt, quicquam hoc loco attexere ſuperuacaneum eſt.

II. Nunc id vnum, Scioppi, ex te ſciſcitor, quibus ex libris, ac magiſtris tam adipatam execrandamque in Virum ſanctiſſimum noſtri Conditorem Ordinis Ignatium impietatem hauſeris, ac didiceris? è Lutheri Caluinique popinis, ac mancipijs ſine dubio. Ignatius mirificâ vitæ conuerſione ad Chriſti Domini vexillum traductus, ſeueriſſimâ corporis afflictatione voluntariâ nouam

uam auſpicatus militiam, diuino magiſterio inſigniter eruditus, multiplici inſtinctu afflatuque cœleſti entheatus, diſciplinæ Religioſæ exercitamentis diu multumque probatus, tibi Cenſorum maximo, qui ab Hæreticis parentibus in lucem editus, atque inter Hæreticos educatus, virgulam cenſoriam de Religioſæ familiæ inſtitutione homo profanus tibi arrogas, hoc eſt, ſutor omnino vltra crepidam, cœcus de coloribus, ebrius de temperantiâ inſanè diſputas, tibi, inquam, Ignatius ὀψιμαθὴς *nec ſcientiam magnam, nec vſum, ſiue experientiam rerum Religioſarum ad condendam Societatis formulam in conſilium adhibere potuit, adeoq; bonis cogitationibus tantùm armatus rem confecit:* vt in *Anatomia pag* 32 calumniaris, quæ cuncta quàm temerè ac nequiter à te exprobrentur, quum luculenter Forerus in *Antanatomia, ſect.* 7. *num* 11. ac deinceps oſtendat, non ſunt hîc pluribus à me refellenda, vbi irreligioſa tua in virum ſanctiſſimum cauillatio palàm ſe prodit.

III. Sed hanc ego modeſtiæ potiùs adſcribi patiar, ſi cum alijs pleriſque dehoneſtamentis, quibus Dei famulum maculare enixus es, componatur. Quid tuis in *Myſterijs pag.*27.& 28.tam operosè nugaris, niſi vt Ignatij ſanctimoniam ridendam Lectori propines? Quo ſpiritu agitatus? Lutherano ſcilicet, aut Caluiniano. Quid eodem in libello *pag* 12. quia Ignatius nonnihil è vulnere in Pampelonenſis arcis propugnatione olim accepto claudicauit, anſam hinc procaci ſcommate Societatis noſtræ perſtringendæ, *quòd claudum habuerit Fundatorem*, ſcurriliter arripis? quo exemplo ductus? nonniſi Hæretico. Quid in tuâ *Relatione Vargianâ* eundem Ignatium *ſemiſſis hominem, neque crepitu digiti dignum* irreuerenter pronuntias? quam normam ſecutus? auiti nempe tui Legiſla-

toris

toris Lutheri. Quid in *Anatomia* rurſum *pag.* 18. *num.* 16. eundem Patriarcham haud obſcurè ſugillas, quòd ſuâ in Regulâ fabricandâ viam ingreſſus ſit, *quam calcauerunt viri iniqui?* Cuius tu veſtigijs inſiſtens? Caluini profectò & huius gregalium. Perge, Scioppi, perge.

IV. Vbi Ignatius Arce Pampelonenſi expugnatâ captus à Gallis dimiſſusque eſt, *vini illorum pugionem*, quo gratum ſe praberet, largitus eſt, ex quo pugione, inquis in ijſdem *Myſterijs*, a fabrefacti deinde ſunt pugiones, quibus Reges à diſcipulis Ieſuitarum ſunt interfecti. Sed quàm obtuſus hic tuus calumniæ pugio eſt, ac iam pridem à Iacobo Gretſero in *Stigmate Miſenico*, atque ab alijs obliſus, ita impotens tua libido Ieſuitas vel per latus ſanctiſſimi parentis tranſuerberandi hinc manifeſta, tuæ aduersùs cœli incolas reuerentiæ præclarum monumentum. Quid prætereà? Ignatium velut totius Orbis incendiarium peſtilentiſſimum Hæretici Calumniatoris ludibrio in ijſdem *Myſterijs*, *pag.* 14. ita exponis, vt quamuis deinde *pag* 15. & 16. criminationem diluere te velle præ te feras, nihilominùs Luciani more, ſponte, ac de induſtriâ accuſatori præuaricatus, innocentem non vindices à calumniâ, ſed irridiculo habeas. Quæ tua ſanctorum virorum eximia veneratio eſt. Quid ampliùs? Mentiris nauiter eodem loco *Ieſuitas non exſatiari innumerabilium domorum incendio, quod primus Fundator eorum hinc inde excitauerit, Chriſtianum Orbem ignibus implendo, ita vt nullum regnum, nulla prouincia, nulla ciuitas ſit, in qua non bella ac ſeditiones, velut Ieſuitica diligentiæ veſtigia reperiantur; vnde Monti Ætnæ non abſimilem eſſe primum Fundatorem Ieſuitarum, qui flammarumq́; globos, liquefactaq́; voluere ſaxa circumquaque ſolet.* Hic laureatum triumphum, quod gemino atrociſſimæ iniuriæ, atque impietatis cornu Ignatium

a *Pag* 11.

Ignatium Hæreticorum domitorem audaciſſimè arietaueris, à cunctis Lutheri, Caluiniique alumnis tibi decernendum eſſe iure tuo clamabis. Non inuideo, decernatur, eo vel maximè, quòd quæ bella funeſtiſſima poſt Chriſtum natum crudelis Hæreſis, cui tu fomenta ſuppeditas, antequam etiam Ieſuitarum nomen in Orbe audiretur, continenter ferè excitauit, & regna quæque florentiſſima immane quantum vaſtauit, tu Catholicis Euangelij Præconibus, qui eandem Hæreſim ſtrenuè iugulant, vitio vertis. Res aperta. Curro.

V. Super hæc quid iam tuæ, Scioppi, impietatis in noſtri parentem Ordinis reliquum eſt? vſqueadeo in eum debacchari tibi ludus eſt, vt te minimè veritum ſit, in eodem *Myſteriorum* codicillo, *pag.* 21 & 23. illum & Magiæ quoque, ac nimiæ cum dæmone familiaritatis inſimulare, tum Lutheri patronum aduersùs Nicolaum Serrarium de Lutheri magiſtro diſputantem agere. Sed quo tandem operæ pretio? vt eâdem conuiciandi inſulſitate, dementiſſimâque accuſandi malignitate, atque impietate & D Antonium Anachoretam, & D. Martinum Epiſcopum, & plurimos alios ſanctos Viros, quos pariter, ſicut Ignatium Cacodæmon varijs artibus tentauit, vexauit, ludificauit; quin & ipſummet Chriſtum Dominum, qui eiuſdem infeſtiſſimi hoſtis doloſos, atque iteratos aſſultus in ſolitudine itidem expertus eſt, magicarum cantionum reos agas ac peragas: quo deinceps nemini de tuo Hæretico ſpiritu, auſoque Tartareo ambigere fas ſit.

VI. At quem tù Hæreticâ effrænatione ita deprimis, non ſolùm ingentes virtutes, ſed plurima quoque miracula patrata diuinitus, ad ſidera iam pridem euexerunt, conſpicuumque Reipub. Chriſtianæ fecerunt. Nugæ, inquis, & ſomnia. Quaſi

vero

verò hæc omnia in meis *Myſterijs pag* 19. 10. & 21. non euerberârim. Quaſi vero *ibidem pag.*18. totum illud patrocinium, quod Ignatio à Dei Filio ad Patris æterni nutum conceptis ijs verbis: *Ego vobis Romæ propitius ero*, honorificè promiſſum fertur, ceu inane commentum ac fabulam non exploſerim. Bene habet, Scioppi, quòd Hæreticam tuam temulentiam diſſimulare non potes, & quæ Diuorum probata miracula, ac viſa in Chriſti Eccleſiâ non minùs venerationi, quàm admirationi Catholicis ſunt, tu cum Hæreticis conſpirans, nare detortâ, albisque dentibus proteruè derides, Hæreticamque tuam impietatem vltro profiteris, cui & in *Statera cap* 4 *pag.* 42 velificans, *Verum dicit* Forerus, ais, *Myſteriorum Collectorem* (teipſum nempe) *miracula ab Ignatio facta oppugnare.* Sed multò adhuc impudentiùs inibi *cap* 5. *pag.*54. *Cur diſſimulat non ſolùm ridicula & inepta, ſed etiam blaſphema, quæ excerpta ſunt ex Ieſuitarum libris de Cantibus dulciſſimis in ſepulchro Ignatij, de Angelorum Concentu muſico, de apparitione B Virginis, Petri, Patris æterni cum Filio crucem gerente? nónne qui hæc & talia effutiunt, ijs deridendam præbent Ignatij ſui Sanctitatem, & Pontificis ſui Canonizationem?* Sed quibus, Scioppi? nonniſi Hæreticis tuis congerronibus. At apud verè Catholicos Romanæ filios Eccleſiæ cuncta hæc magno in honore ſunt, magnæ reuerentiæ habentur, & qui iſta ita contumelioſè vt tu, dedecorat, ſine controuerſiâ exiſtimatur Hæreticus.

VII. Sed quamdiu ego ferale illud ſacrilegæ tuæ dicacitatis ſpiculum, quod ancipiti falſus fallensque nomine, in virum innocentiſſimum intorſiſti, tacitum ac irretortum fero? Fuit tempus, quum Ingolſtadij in atrio S. Ignatij feſtus dies excitatis, vt fit, ignibus agebatur, caſuque neſcio quid miſſilis flammæ illinc exiliens, oculum

lum Guilielmo Friderico Landgrauij Leuchtenbergici S.R.I. Principis filio, qui ei, tum ludo intererat, perſtrinxit, ac læſit. His tu ex ignibus, quas malignitatis tuæ ac impietatis faces repentè non elicis? in omnem cauillandi occaſiunculam Momus perattentus, ſedulò excubans, decumanæ calumniæ candentes prunas cònfeſtim extrahis, tuâque in *Relatione Vargianâ cap. 6. pag.* 22. fabularis, Fridericum illum, *quum ſuperioribus annis apud Ieſuitas educaretur, & ludos eorum in honorem Ignatij nuper conſecrati, ſeu canoni'zati actos ſpectaret, eiuſmodi miſſilis ignis ictu alterum oculum amiſiſſe:* ſubdiſque ore ſacrilego: *alios Diuos in feſtiuitatibus ſuis cæcos illuminare, ſed Ignatium videntes excæcare.* O Sycophantiam Hæreticam! de cuius tamen cuſpidato acumine, tui ſcilicet prompti ingenij egregio documento, haud parum, ſi bene te noui, gloriaberis, lynceosque tibi eſſe oculos, dum alij cæcantur, adeoque & plauſum ingentem tibi omnino deberi, pertendes. Quid hic repònam tibi, Scioppi? Ad plauſum quod attinet, non inficior. Do vltro lubens, qualem è flammis mereris, pyram rogumque ſuccenſum, Hæreticæ tuæ nequitiæ ſtrenam digniſſimam. Quis enim, niſi Hæreticus, ſi quid læui, vel aduerſi in Diuorum celebratione alicui accidat, canino id dente extemplo laceret, atque ad Cœlitis illius, cuius ſollemnia habentur, ludibrium traducat? An non eâdem prorſus non tam lege, quàm licentiâ, aut potiùs furore, ſi quis fortè die Solis è vitâ excedat, vel eijciatur, & ipſum quoque Chriſtum Dominum, quòd ei illa dies ſacra ſit, conuicio infando cauillaberis, vbi alij Sancti mortuos ad vitam reuocant, eum contra viuis inferre necem? Quo dicterio quid horribilius?

VIII. Quid ſi verò feſtiui illi ignes ad S. Ignatij Fundatoris noſtri nomen religioſâ hilaritate

colendum

ſolendum nullo modo fulſerunt? quàm infame tum erit tuum mendacium? quàm deteſtabilis tua improbitas? quàm infinita, quàm inexplebilis, quàm Hæretica calumniandi libido? Ad hæc cuncta palàm reuincenda, age, Scioppi: illos ego ignes, quos iunior Landgrauius Fridericus ſuo infortunio ſpectauit, nego conſecrationi S. Ignatij Parentis noſtri celebrandæ fuiſſe deſtinatos, nego tum feſtum vllum S. Ignatij diem actum, nego eos ad S. Ignatium noſtrum vllo pacto pertinuiſſe; aioque te bipedum omnium mendaciſſimum, ac flagitioſiſſimum, aio illos ipſos ignes in atrio S Ignatij non Loyolæi, ſed Antiocheni Epiſcopi, & Martyris, à Conuictoribus, ad S. Ioannis Baptiſtæ Natalitia de more eo die Ingolſtadij honoranda, factos fuiſſe, aio te eoſdem tamen ignes ſancti Ignatij noſtri exiſtimationi & gloriæ per Hæreticam ſcurrilitatem vſtulandæ, ſceleſtiſſimè admouiſſe. Sed quem huiuſce rei teſtem omni exceptione maiorem laudare poſſum? quem appellare? quem putas? quem expectas? non vnum, non duos, non tres, ſed vniuerſam Academiam Ingolſtadienſem doctrinâ, ſapientiâ, diſciplinâ inclytam valdeque celebrem, ipſummet in primis illius Rectorem, & Profeſſores, non, qui noſtro ex Ordine ſunt, ſed qui extra Societatem noſtram illic florent, huc ad fidem locupletem faciendam venerabundus arceſſo, qui omnes tuam iſtam Hæreticam fabulam & cauillationem publicis tabulis ritè obſignatis prorſus elidant. At vbi, inquies, eiuſmodi tabulæ? Iam pridem Laurentius Forerus eas tibi in ſui *Protei Appendice, pag.* 454 repræſentauit; quarum principio (in quo tua calumnia & perfidia totidē, quibus à te exarata verbis eſt, hîc breuitatis gratiâ prætermiſſo) quæ proximè Viri doctiſſimi, & grauiſſimi ſubijciunt, iam tibi ſyllabatim reddo.

IX. No-

IX. *Nos publico hoc teſtimonio palàm facimus, ac teſtamur, Illuſtriſſimi S R. I Principis Landgrauij Leuchtenbergici filium Guilielmum Fridericum Anno* CIƆIƆCXXVI die XIV. *Menſis Ianuarij, recèns huc profectum, Vniuerſitatis noſtræ Matriculæ inſcriptum eſſe: Poſteà verò eundem iuniorem Landgrauium Anno eodem in feſto Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, dum ignem antiquo more huius diei excitatum ſpectauit, pyrobolis exilientibus, caſu tactum, & altero oculo læſum eſſe: nec eum ignem in honorem S. Ignatij Confeſſoris Fundatoris, aut eiuſdem Canonizationis, ſed in atrio S Ignatij Epiſcopi, & Martyris, pro more temporis & lætitiæ eius diei, à Conuictoribus tum præſentibus, inter quos educabatur iunior Dominus Landgrauius, excitatum eſſe: illos verò, de quibus Vargas*(hoc eſt, Scioppius, tu ipſiſſime) *ludos Anno* CIƆIƆCXXII. *in honorem S Ignatij Confeſſoris, & Societatis Ieſu Fundatoris, tunc Canonizati, in Vere exhibitos eſſe annis ampliùs tribus ante aduentum Landgrauij iunioris Ingolſtadium, quibus neutiquam interfuit: ac proinde hanc prædicti Domini læſionem, nonniſi malevolè in S Ignatij Confeſſoris, aut cuiuſquam alterius Sancti irriſionem trahi poſſe: neque verum eſſe, quod ex hac Illuſtriſſimi Landgrauij læſione vlla occaſio nata ſit ioci in S. Ignatium Confeſſorem à Varga allati; quem quidem iocum nemo vnquam Ingolſtadij aut excogitauit, aut edixiſſe hucuſque auditus eſt: denique ea, quæ de pyrotechnicâ Ieſuitarum Ingolſtadienſium adferuntur, fabuloſa eſſe, nec apud vllum honeſtum verique amantem, poſſe fidem mereri contra apertam veritatem, quâ nobis conſtat nullā talem pyrotechnicam à Varga deſcriptam Societatis Ieſu Religioſos hic profiteri, & exercere, aut vnquam exercuiſſe, & profeſſos eſſe Ad cuius noſtræ aſſertionis, ac teſtimonij robur, Vniuerſitatis noſtræ ſigillum eſt appreſſum, cum ſubſcriptione Notarij iurati eiuſdem Vniuerſitatis. Datum Ingolſtadij, Anno ſalutis* CIƆIƆCXXXVI. *die* XXVII. *Octobris.* Hæc *Rector,*

Camera-

Camerarius, aliјq́, Profeſſores Seculares Electoralis Vniuerſitatis Ingolſtadienſis, vt initio illarum tabularum diſertè præſcribitur. Vnde, Scioppi, cuiuis Lectori Catholicò certò omnino ſubolet, quid tui in cerebri cacabo auita tua Hæreſis in probrum S. Ignatij dudum coxerit, ac ebullierit.

X. Sed quæro modò de te, Scioppi; qui tam barbarâ, impiâque carnificinâ S. Ignatij decus & gloriam proſcindere conatus es; an cariſſimum ſanctiſſimumque Ignatij Socium Franciſcum Xauerium à tuis vnguibus ac dentibus integrum dimiſſurus ſis? Imò verò tuis in *Myſterijs, pag.* 10. compertiſſimam de eodem Xauerio hiſtoriam in dubium reuocare, ſuſpectamque de fide reddere, ac fabulis mendacijſque annumerare inſigni fraudulentiâ ſtudes: vt hinc nemo Catholicorum Hęreticam tuam impudentiam non cernat, atque execretur, qui acta illa Xauerij, quæ publica Eccleſiæ auctoritate examinata, expenſa ac probata ſunt, falſitatis arguere, Eccleſiæque Catholicæ iudicium non pluris, quàm procaciſſimi veteratoris, tibi planè gemini, æſtimare audeas.

XI. Nec Ignatium, ac Franciſcum dumtaxat, ſed generatim cunctos etiam ex noſtrâ Societate Viros ſanctos Hæreticâ effrænatione conſputare penſi non habes. Quàm iactanter enim, quàm furioſè in *Staterâ á* Vertumne inſidioſe in hos debaccharis, & gloriabundus hiſce ipſis verbis inſanis? *Pleraque tamen non inuitus agnoſcit Auctor (Myſteriorum* ſcilicet, tu ipſe, vt ſæpius monui) *ſe proculcare vitam, & miracula nouorum Sanctorum Societatis Ieſuiticæ, eaq́ue ludibrio habere; quod faciunt omnes verè Catholici, non pauci etiam ex ijs, qui Ieſuitis tales habentur.* At ego vnà cum omnibus verè Catholicis hinc tuam in Viros ſanctiſſimos impietatē Hære-

a *Cap* 1. *num* 1. *pag.* 12.

Hæreſimque cogor vel inuitus agnoſcere ac deteſtari. Verorum namque Catholicorum nomine ipſos Hæreticos, à quibus ſolis vita & miracula noſtrorum Sanctorum, quos Apoſtolica Sedes ritè conſecrauit, proculcantur, à te deſignari animaduerto, quod nemo, niſi Hæreticus tui ſimilis facit. Mentiri te etiam flagitioſiſſimè more tuo in eo video, quòd eundem Diuorum contemptum pleriſque etiam, qui à nobis verè Catholici habentur, affingis; quum luce meridianâ dilucidiùs palàm ſit, neminem à Ieſuitis verè Catholicum, qui Vitam & Miracula SS; Ignatij ac Franciſci noſtrorum ab Eccleſiâ probata, rideat ac proterat, cenſeri, nullumque, niſi Hæreticum tibi parem, eos calumniari.

Cap. VII.

Quinta Scioppianæ Hæreſis teſſera, S. Thomas Aquinas, S. Auguſtinus, alijque Sancti ludibrio habiti.

I. SAnctiſſimis Ignatio, atque Xauerio tam impiè à te, Scioppi, dedecoratis, nondum tuæ impietati litatum, niſi & pleroſque alios Diuos quoque ac Cœlites deſpicatui habeas, ſcilicet arbitraris. Nec in minùs vulgo notos, minusúe celebres, ſed in inclytos maximè, atque clariſſimos lymphatus prorſus inuadis. Quàm radiatus enim Dominicani Ordinis Sol, magnus Aquinas, quouis Sole candidior, in Catholicæ Orbe Eccleſiæ fulget pulcherrimè? Huic tu nihilominùs tenebras ſtudes offundere. Quàm diues, quàm ſublimis tanti Solis doctrina? Hanc tu tamen pro nihilo ducis. Quàm exploratum in Chriſtianâ Repub. oraculum illud eſt, à Chriſti Domini in crucem

crucem acti imagine, ſanctiſſimo viro, quum ad pedes eius preces vehementiùs funderet, Neapoli diuinitus editum? *Bene ſcripſiſti de me, Thoma, quam ergo mercedem accipies?* Hoc tu tamen Æſopi fabulis annumeras. Quàm egregium reſponſum ex arcanâ Philoſophiâ petitum, à Dei famulo continuò redditum eſt? *Non aliam, Domine, niſi teipſum.* Hoc tu tamen flocci facis.

II. Mihíne verò, inquies, piacula tam flagitioſa exciderint? Somnia. Cum Ieſuitarum Sanctis mihi res eſt. Cæteros religiosè colo. At ego mendaciſſimum te mortalium, quem ſummopere memorem eſſe oporteret, ſtolidè, vel malitiosè obliuioſum eſſe, non miror. Vt vt tamen eſt, faxo in memoriam redeas. Quid verborum enim in illo Cœnobij Murenſis conuiuio, de quo paulò antè ſermo mihi fuit, in oculis tum ipſius *Abbatis*, tum *Commiſſarij* Lucernatis, tum duorum *Guardianorum* è ſacrâ *Capuccinorum* familiâ, tum aliorum prætereà Monachorum anno CIↃIↃCXXXX. Nonis Iunij, ſolemni tibi obtrectandi libidine funditaueris, fac, quæſo Scioppi, vt tibi veniat in mentem. Quid hæres? quid longioris temporis intercapedinem cauſſaris? Vnus ex ipſiſmet Monachis, qui tum ei conuiuio præſto fuit, tecumque haud paucis, nec ieiunè, aut timidè diſceptauit, commodum tibi ſuppetias aduenit, datisque ad Forerum noſtrum literis, quas in *Protei* ab eodem Foreri emiſſi *Appendice pag.* 433. & deinceps extare iam ſemel monui, rem totam memoriæ mandat; atque vbi contumelias, quas in Cæſarem, in Epiſcopos, in Ieſuitas iecisti, perſtrinxit, ita deinde ſubdit planiſſimè: *Nos veri mirari primùm, quo fine talia, extra omnem conuerſationis ordinem proferrentur; plerique abſurdum hominis iudicium, & fœdam criminandi libidinem execrati. Mihi autem quum rei indignitas pallorem iracundiâ mixtum expreſſiſſet, in*

mentem venit, hominis impudentiam vel obiter confutare. Dixi ergo. Multa in medium proferre habes, Domine Scioppi. Sed opus tibi credulo auditore. Ille omnia, quæ narrâſſet, meridie clariora (hoc eſt cimmeriâ nocte tenebricoſiora) *eſſe dixit: Ego: Si vel maximè vera, & clara eſſent, debere tamen Scioppium ſcire, Magnum Cæſarem, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Societatem, hactenus apud nos præclaram æſtimationem, adeoq; ius bonæ famæ poſſediſſe, quo ipſos qui ſpoliet, è communi Doctorum ſententiâ iniuſtitiæ crimen admittere; neque ab hoc ſenſu alienos eſſe quotquot in D. Thomam ſint commentati. His meis, grauiter, & ſapienter pro Illuſtriſſimo Principe noſtro Conſtantienſi Dominus Commiſſarius eſt adſtipulatus. Ad quæ Scioppius: Quid ego curo Diuum Thomam? Non eſt ille verbum Dei Cui ego: At oraculum illud in Eccleſia Dei paſſim receptum eſt; probâſſe Deum cælitus ſcripta Diui Thomæ, & porrò mercedem ſcriptionis obtuliſſe. Rurſum Scioppius: Quid mihi fabulas Æſopi narras? Ipſe Neapoli vidi, & riſi illam epigraphen.* Hactenus cordatus ille Monachus.

III. Qui iam fuci, Scioppi, quid ſycophantiæ tuæ in *Angelicum* Doctorem, vt paſſim in Eccleſiâ audit, impietati potes obtendere? quot vno in crimine agglomeras crimina? Nónne certiſſimum in primis eſt, eiuſmodi cœleſtis cum virgine Thomâ colloquij hiſtoriam ab vniuerſo Patrum Dominicanorum cœtu velut compertiſſimam haberi, tradi, prædicari, ſcriptis illuſtrari, de ſuggeſtu ſacro exponi, per ora omnium vulgari, & quidem meritiſſimò? At quid Chriſtianus Orbis, ſi à nobiliſſimo Ordine, quem tam vbere ſanctitudinis ſapientiæque ſeminario fœcundum ſemper admiratus eſt; quem tot Summos Pontifices Eccleſiæ Catholicæ ſuppeditare, tot purpuratis coruſcare Patribus, tot infulatis nitere Præſidibus, toties vidit; quem tam con-

ferto ſanctiſſimorum ac doctiſſimorũ hominum agmine ſtipatum micare nunquam non adſpexit; quem demum eaſdem religionis, ſcientiæ, ac virtutum palmas etiamnum alere, ac feliciter perpetuare cernit; quid, inquam, Chriſtianus Orbis, ſi ab hac ampliſſimâ familiâ Æſopi, fabulas ſibi pro hiſtorijs venditari, opinaretur, enuntiaret? quid diceret? an non indignabundus exclamaret, ſutelam & fallaciam eſſe improbiſſimam, glaucomam ob oculos populorum fraudulenter obiectam, Dominicanos Patres aut ſtolidiſſimè deceptos, aut, quia id nullâ probabilitatis ſpecie obduci poteſt, nequiſſimos multitudinis deceptores, maliq́ue doli, quippe qui id genus falſimonijs cunctos mortales ludificentur, nefarios artifices euaſiſſe? Sed quæ atrocior iniuria florentiſſimo Ordini innoxijsq́ue Patribus, Scioppi, inuri poteſt? Atqui tu ipſe veterator ſacerrime, ille es, qui hanc ipſam ijſdem, ſi oraculum illud à Diuo Thomâ hauſtum diuinitùs, Æſopicæ fabellæ inſtar, te arbitro, habendum eſt, neceſſariò irrogas. Nam ſi id in fabulis ponendum eſt; fabula profectò non eſt, illos fabulatores eſſe faberrimos, ac tæterrimos. Verùm quis, obſecro, Scioppi, quis, niſi infamis Hæreticus tam eximium Ordinem de Eccleſiâ Dei ſemper optimè meritum, enormi adeò ignominiâ, ne deinceps ad Chriſti gloriam, animarumq́ue ſalutem, præſertim in compeſcendis Hæreticis ſtrenuè pro ſuo more deſudet, notatum eat? Et Hæreticam tuam effrænationem, ac temeritatem hinc patêre non ſentis? non erubeſcis? non angeris?

IV. Quid quod hæc ipſa tam magna iniuria in omnes æquè Pontifices Maximos, quorum auctoritate illa eadem hiſtoria tum in ipſum conſecra-

tionis D. Thomæ diploma, tum in Romanum ſacrarum precum Breuiarium ad eiuſdem feſtum ornandum relata, totique Chriſtianæ Reipub. vt rata ac fixa, ad credendum propoſita eſt, haud dubiè redundat? Quid enim Apoſtolicæ Sedi fœdius, tibi verò antiquo Lutheri ſtabulario quid congruentius poteſt accidere, quàm eandem illam Sedem, tanquam Æſopicarum fabularum inuentricem altricemque mentiri? explodere? irridere? exſibilare? Imò verò non ſolùm Pontifices Maximos eiuſmodi fabulæ conuicio, ſed totam etiam Chriſti Eccleſiam, cunctoſque Eccleſiæ filios, quibus eadem illa hiſtoria extra controuerſiam omnino perſpecta eſt, turpiſſimè vulneras. Quid enim? Magni Aquinatis doctrinam à Chriſti Domini ſigillo de cruce pendente laudatam diuinitus, præmioque oblato ad nutum eius donandam Apoſtolica Sedes grauiſſimè teſtificatur; tu ceu anile commentum euerberas: Pontificiæ tabulæ, conſulta loquentis Dei perſpicuè interpretantur; tu Æſopeos Logos appellas; vniuerſa Eccleſia, omneſque ſyncerè profeſſi oraculum inſtinctu diuino afflatuque ſuperno fuſum certò reputant, ſancteque venerantur; tu nihilo pluris, quàm feſtiuum Apologum riſu dignum æſtimandum pronuntias. Et quiſquam ampliùs de tuâ Hæreticâ impudentiâ, atque impietate ambigat?

V. Sed quæro prætereà ex te, Scioppi, nónne, quâ fronte Hiſtoriam indubitatam, totiuſque Eccleſiæ, calculo confirmatam tu pro tuæ erraticæ intelligentiæ ſtatâ vertigine in fabularum cenſu habes, eâdem & cætera quoque D. Thomæ prodigia, atque miracula; quin etiam & reliquorum inſuper è Dominicanâ familiâ Sanctorum omnium, ne dum Aquinatis, diuina facinora, cœleſteſque prærogatiuas in Mileſiarum fabellarum numero nihilo verecundiùs, eâdemque perfidiæ normâ repones?

pones?

pones? Quippini? Si hanc S.Thomæ hiſtoriam, adeò teſtatam ac luculentam, vt Pontificij Diplomatis, Romaniq́ue Breuiarij Syngrapho conſignata, in cunctis templis ab Eccleſiâ publicè ac religiosè legatur, tu nihilominùs ceu commentitiam & fabularem cauillaris: quantò procliuiùs aliorum pariter Diuorum, non tantùm è Dominicano cœtu, ſed quibuſcunque alijs quoque ex Ordinibus heroicas virtutes, dicta, & facta diuino prodigio nobilitata, fabuloſitatis damnabis? Quàm prono lapſu, pariq́ue calumniandi lubentiâ, & cæteros quoque Eccleſiaſticos Annales, quibus minus ponderis, minus fidei atque auctoritatis ineſt, vt inanes, vt fluxæ fidei, vt è ſomnijs meris conflatos eleuabis? Et parúmne Hæretici tui furoris, atque impietatis hinc ſeſe erumpit?

VI. At quid demum compendij ex recitato oraculo in Æſopicam fabulam à te tranſcripto, Scioppi, facies? nimirum vt quantum de librorum S. Thomæ auctoritate (quam eis diuinitus inditam Chriſtiani omnes eodem oraculo monentur) malignè detrahis; tanto eorundem librorum trinodis claua, Herculeâ longè maior & grauior, quâ cœleſtis Doctor Hæreticos, Ethnicosq́ue planè mactauit, goſſypio, & pluma leuior per Hæreticam tuam iſtam calumniam euadat. Quò etiam & illud petulans conuicium in *Verdaana Staterâ, cap.12 pag.*144. negans eum vnà cum alijs Catholicis Scriptoribus probum tibi vel antiquum eſſe, flagitiosè collineas. *In vno, inquis, aut altero Thomam, Silueſtrum & Sotum in ſubſidium vocauit. Sed nobis tales neque probi ſunt, neque antiqui.* Quinam ergo, tibi probi, & antiqui, Scioppi? Lutherus, credo, Caluinus, aut Beza, Hęreſeon germina, tibi amica monſtra. Et Hæreticam tuam iſtam tramam omnium oculis ſubductam latêre putas? Hæreticum tuum cancrum ſubdolè, ac pedetentim

ſerpentem nemini eſſe obſeruatum? Lutheranum tuum halitum, ac purulentam animam nullis Catholicorum graueolentem ad id locorum accepiſſe? ſed quis ita fungus, aut luſcitioſus, vt non cernat, quo Circulator Hæretice, per exploratam in Chriſti Eccleſiâ hiſtoriam Æſopicæ fabulæ notâ à te inſignitam graſſeris? nônne eò rectà, vt omnes de Sanctis viris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ tanquam mendaciloquæ rideantur? nônne vt Cœlitum omnium res præclarè geſtæ, atque miracula vetularum deliramentis gemina cenſeantur? nonne vt Apoſtolicæ Sedis auctoritas Hæretico cuniculo ſubruta, de medio prorſus tollatur?

VII. Verùm quum in D. Thomam adeò procaciter ac ſceleſtè incurreris; S. Auguſtino, qui in eiùſdem S. Thomæ calamo tam frequens eſt, fortaſſe parces. Imò ad hunc quoque tuo dente ſauciandum Hæretico te officio adſtringi, compelliq́ue exiſtimâſti. At quid tibi in maximo illo Eccleſiæ luminari, Scioppi, diſplicet? Vis illa ſcilicet ineluctabilis contundendi Hæreticos, quam vt quoquo modo debilites, mirificum illud Auguſtini ingenium, *a Dialecticis artibus quicquam tribuiſſe*, vt diſertus ille Monachus Benedictinus anteà laudatus in ſuâ illâ Epiſtolâ memorat, inficiaris, *imò nec Logicen didiciſſe*, hoc eſt, omnino neſcire, eodem Monacho teſte, non obſcurè pertendis. Quæ tua aſſertio plúſne adipatæ inſcitiæ, an latebroſæ nequitiæ præ ſe ferat, animi anceps equidem pendeo. De vtrâque enim quæro, an Auguſtini opera molis non exiguæ oculis aliquando vſurpaueris? an primum eorum volumen inſpexeris? an in hoc ipſo lucubrationem vnam *de Principijs Dialectica*, alteram *de Decem Categorijs*, in quibus conſummatæ Sapientiæ Doctor non ſolùm in Dialecticis bene volutatum, ſed Dialectices quoque Magiſtrum ſe

a *Apud Fererum in Protei Appendice, pag.* 436.

ſe prodit, videris? Quæro rurſum, an *Confeſſionum libros*, quos idem Auguſtinus edidit, vnquam in manus ſumpſeris? an legeris? an cunctas Ariſtotelis *Categorias* ab eo, ſuo ipſius Marte ſine vllo Pręceptore probè intellectas inde didiceris? Quęro denique, an apud eundem, priorem in Greſconium Grammaticum diſſertationem euolueris? an iſtius literatoris amentiam tuæ affinem notaueris? an eo in Codice ad hanc comprimendam *cap.* 14. hæc ipſa verba in illum exarata animaduerteris? *Caue, ne cuiquam Dialecticen pro crimine obiiceres, quâ vſos Apoſtolos confiteris.* An ex his palàm collegeris, Auguſtinum tantâ Dialectices peritiâ, ac prærogatiuâ excelluiſſe, vt ad inuidiam ei conflandam, ab Hæretico illo nugone ea in crimen, vocata ſit, Doctorque ſanctiſſimus ad hanc diſſlandam propterea ex deſtinato, ſuæ Dialecticæ cognitionis patrocinium aduersùs eundem Creſconium ſuſcipit? *Quid eſt enim aliud*, inquit, a *Dialectica, quàm peritia diſputandi? Quod ideò aperiendum putaui, quia etiam ipſam mihi obijcere voluiſti, quaſi Chriſtiana non congruat veritati, & ideò me doctores veſtri velut hominem Dialecticum meritò refugiendum potiùs, & cauendum, quàm refellendum, reuincendumq́ cenſuerint.* Dic iam, rogo, Scioppi, an hæc, & plura alia, apud D. Auguſtinum offendiſti? an obſeruaſti? an expendiſti? Minimè? Et quæ agreſtior inſcientia, quàm tua, qui Auguſtino Dialectices imperitiam vitio vertis, cuius libros Dialectices aculeis tanquam muricibus vbique obſitos, ne primoribus quidem labris deguſtâſti? Maximè? Et quæ cerritior improbitas, quàm inuidere illi ſcientiam, cuius conſultiſſimum eum eſſe, tibi perſpectum erat?

VIII. Sed quò tandem tuam hanc ſeu inſcitiam, ſeu nequitiam Scioppi, refers? eo nimirum,

a *Lib. 1. contra Creſcon. cap. 13.*

rum, vt Hæretici, quum Auguſtini rationibus atque auctoritate tanquam ferreo grauiſſimoque malleo percelluntur, ac proſternuntur, Suppetias Logicas à te habeant, ad eiuſmodi ictum malleumque eludendum tempeſtiuè latas; cauſſando videlicet, ac vociferando, Auguſtinum Dialectices ignarum fuiſſe, ac proinde illius argumenta lapſabunda eſſe, ac ruinoſa. Quo ſanè nomine immortales tibi gratias ijdē Hæretici prolixè agent, teque ſua ad caſtra denuò reueniſſe, in ſinu lætabuntur. Niſi fortè non tam Dialectices inſcientiam, quàm peritiam in Auguſtino à te culpatam hunc comminiſceris; vt te hinc eadem prorſus carpere, quæ & Creſconius, & cæteri huius Collegæ Hæretici in illo criminabantur, manifeſtò dilucescat; adeoque & te cum iſtis conſpirare teſtatum ſit, & de Hæreticorum grege eſſe, nemo controuerſetur.

IX. Quid ampliùs? S. Auguſtino tam audaciter ludificato, quanquam inauſpicatâ prorſus temeritate, ad reliquos quoq; Diuos eâdem impietatis temulentiâ arietandos præceps ruis. Quàm perſpicuo enim veterum Patrum, eiuſdemque Auguſtini in primis, Hieronymi, Leonis Magni, Gregorij Romani, Bernardi, & aliorum, nec non Summorum Pontificum, tum Conciliorum generalium ſcito cautum eſt, vt Hæretici, qui lenibus remedijs ſanari nolunt, vltricibus pœnis reſipiſcere, aut perfidiam luere cogantur? Mitto *Cardinalem* Bellarminum, qui *Tom.* 1. *Controu.* lib. 3. *de Laicis, cap.* 21. & Franciſcum Suarez, qui *diſp.* 20. *de fide, ſect.* 4. nec non Cardinalem de Lugo, qui *diſp.* 21. *de fide, ſect.* 1. *num.* 6. & *ſeqq* recitatis ſanctorum Patrum, Conciliorum, ac Pontificum verbis luculentiſſimè id probant. Teipſum conuenio, Scioppi. Olim, quum Viri Catholici habitum, ſi non mentiebaris omnino, ſaltem abs te indutum videri cu-

ri cupiebas, huic Catholico pronuntiato de Hæreticis coërcendis, & morte multandis quàm expreſsè, quàm ſeriò, quàm deſtinatò, quàm frequenter ſubſcripſiſti? An non in tuo *Belli Sacri Claſſico cap* 19. elatè clamas: *Deus Hæreticos ſine miſericordia, ferro & igne deleri iubet?* An non in tuo *Eccleſiaſtico pag.* 379 explicatè ſcribis: *Deus promiſit Eccleſiæ fore, vt lupi de medio tollantur. Hæretici autem ſunt lupi. Itaque tollendi, non manu, ſed ferro, & igni?* An non in eodem Eccleſiaſtico *pag.* 373. locum è D. Auguſtino, Epiſtolâ 48 ad *Vincentium* maximè laudas, vbi inclytus Doctor antiquam ſuam opinionem his ipſis verbis palàm reuocat? *Mea primitus ſententia erat, neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum: verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos Hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, ſed demonſtrantiũ ſuperabatur exemplis. Nam primò mihi opponebatur ciuitas mea, quæ quum tota eſſet in parte Donati, ad vnitatem Catholicam timore legum Imperialium conuerſa eſt: quam nunc videmus huius veſtræ animoſitatis perniciem deteſtari, vt in ea nunquam fuiſſe credatur. Ita alia multa, quæ mihi nominatim commendabantur.* An non in tuo Hypobolimæo candidè fateris; *a Sanctos Patres, odiſſe, & fugere Hæreticos iuſſiſſe:* S. Auguſtinum *teſtari, experimentis ſe probaſſe, multis prodeſſe, cogi ad fidem: Conſtitutionibus Imperatoriijs, & legibus de Hæreticis vltimo ſupplicio afficiendis, plenum eſſe titulum Codicis de Hæreticis?* An non ibidem non multò pòſt diſtinctè repetis: *b Has leges à ſanctis Patribus laude digniſſimas fuiſſe iudicatas: à S. Leone* Epiſt. 91. ad Thuribium *cap.* 1 *palàm fuiſſe ſupplicium Priſcilliani probatum; eundem Leonem planè, & diſertè affirmare leges, quæ corporali ſupplicio & enſe non ſolùm Auctores errorum Hæreticos,*

L 5 ſed

a *Pag.* 319. b *Pag.* 331.

ſed etiam pertinaciores. & importuniores eorum diſcipulos proſequuntur, prodeſſe, & adiumento eſſe Eccleſiæ? An non eandem doctrinam tum in *Claſſico Belli Sacri, cap.* 2. & 18. tum in *Eccleſiaſtico* rurſum *cap.* 109. 110. 115. 116. tum in *Conſilio Regio, tit. Carolus M. Imper.* tum alibi iterum iterumque prædicas, ſuades, inculcas? Bene eſt, abunde eſt. Catholicæ veritatis præco animoſus es, vt cernas à me laudem tibi, quum mereris, impertiri, multoque lubentiùs, quam probra.

X. Nunc te percontor, Scioppi. Si quis huiuſmodi Catholicum decretum, ſanctorum Patrum chirographis obſignatum, inducere ſtylo, erectisque impietatis cornibus incurſare audeat; ſi eos, qui pertinaces Hæreticos, vbi cætera mititatis officia non proſunt, vi & armis ad bonam frugem, vel ad pœnas perſoluendas iure optimo compellendos eſſe docent, Satanæ adiutores aiat; ſi Dæmonis ſeruitia appellet; ſi Pſeudapoſtolos nuncupet; ſi operarios ſubdolos aſſeueret; nónne Catholicæ veritati bellum apertè indicit? nónne generali conuicio, Sanctos Patres eiuſdem veritatis Patronos fœdè proſcindit? nónne D. Auguſtinum, D. Hieronymum, D. Leonem, D. Gregorium, D. Bernardum nominatim ſacrilego ore ferit? Extra controuerſiam eſt. Atqui tu ipſe, Scioppi, inſignis ille furcifer es, qui hæc omnia flagitia feciſti; tu, quem vbi Catholicum videri piguit aliquot poſt annis, & Catholicæ doctrinæ extemplo pœnituit; tu, qui Hæreticis iam redditus, Hæreticosque propugnans, in tuâ *Aſtrologiâ Eccleſiaſticâ, cap.* 16.. *pag.* 59. vbi de placidâ eos ad Chriſtum reducendi ratione diſſeruiſti, mox ita præcisè ſubdis: *Quibus Principum arma & gladij magis placent, vt ijs homines intrare compellant, eos minimè dubium eſt, regni Satanæ miniſtros eſſe, nec cum Paſtore Chriſto oues colligere, ſed cum lupis rapere, & diſpergere, funeſtaq;*

neſtasq; bellis Ciuilibus faces miniſtrare. Quibus planè conſentiunt, quæ ſuprà eodem in *Aſtrologia* libro *cap.* 10. *pag.* 36. hinc de blandicijs manſuetudinis hoc pacto mones: *Paganiſmus, & Hæreſis interficitur, & aboletur ſpiritu labiorum eius, id eſt, per prædicationem hominum ſpiritu lenitatis:* Et paulò infrà: *Scriptum enim eſt de veris Euangeliſtis*, Rom. 10. Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, &c. hinc de ijs, qui ad conuertendos Hæreticos, vbi lenitudo orationis, & reliqua charitatis machinamenta fruſtra ſunt, arma demum eſſe adhibenda auctores ſunt, continuò addis; *Sicut rurſum de Euangeliſtis Satanæ*, Prou. 12. Verba impiorum inſidiantur ſanguini. *Prou* 16. Vir impius fodit malum, &c. Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam, *id eſt, armorum ei capiendorum auctor eſt:* & pag. 38. ibid. *Miniſtri ergo Satanæ, Pſeudapoſtoli, & ſubdoli operarij* 2 Cor. 11 *arma & gladios innocentium iſtorum iugulis intentant.*

XI. Ex quibus tuis maledictis, & ſcommatis liquet, Scioppi, manifeſtè, Hæreticos, mortalium nocentiſſimos, à te, eorum ſcilicet gregali, innocentes vocari; Patres verò Sanctiſſimos, quia illos armis, vbi rationibus non licet, ſubigendos decernunt, in *Pſeudapoſtolos*, in *operarios ſubdolos*, in *Satanæ Euangeliſtas*, in *Diaboli miniſtros*, pro ſingulari tuâ in eos obſeruantiâ cooptari, certumque Catholicæ veritatis dogma pro tuâ egregiâ religione eliminari. Nempe multiplicis tuæ Hæreſis admodum, Scioppi, intereſt, huiuſmodi infamiâ adſpergi, talesque vulgò perhiberi Auguſtinos, Hieronymos, Leones, Gregorios, Bernardos, cunctosque Eccleſiæ Patres, Doctores, & Pontifices, quò deturbatis Hæreticâ tuâ impietate de cœlo Cœlitibus, Lutherum, & Caluinum, tua cara capita, Diuorum omnium execrandos carnifices, è gehennæ incendijs extractos in cœlum inferas.

XII. Neque verò qui cunctos viros ſanctos conſputare penſi non habes, ab eâ, quæ horum omnium princeps eſt, cœli, terræque Regina, ac Dei parens, os calamumque tuum impuratiſſimum abſtines. Nam miracula à D. Ignatio diuinitus edita, tuis in *Myſterijs, pag.* 19. & *ſeqq* vt rectè Forerus in *Mantiſſa, ſect* 1 *num* 13. animaduertit, ita pulſas, vt quum alios Sanctos, tum glorioſiſſimam Virginē Dei Genitricem potiſſimùm oſtentui exponas, indignisque omnino modis ſcurriliter impieque deludifices. Præterquàm quod in *Statera* quoque *cap* 3. *pag.* 29. inſuper ſtatuis, *eum, qui ſapiat, nunquam vocaturum creaturam* (Mariam nimirum) Spem ſuam: hoc pacto totam Chriſti Eccleſiam ſugillans, atque inſipientiæ arguens, quod ea Beatiſſimam Virginem in precatione Deiparæ, *Salue Regina,* Salutem noſtram, vt tibi Forerus obijcit, diſertè nuncupat. Qui eſt nouus tuæ impietatis Hæreticæ capreolus, Sacrorum Fidei Quæſitorum flammis meritò exurendus. Sed de tuis in Diuos, Diuamque Maximam contumelijs impiè iactis iam ſatis.

CAP. VIII.

Sexta Scioppianæ Hæreſis teſſera, dementiſſima Inſtituti Societatis Jeſu vituperatio.

I. NOn hîc ego tua, Scioppi, conuicia, & calumnias, quibus Societatis noſtræ Religioſos viros, quà generatim omnes, quà ſpecialiter atque expreſsè permultos vrgere ſoles, in crimen voco, neque alios parili noſtrorum hominum obtrectatione nobiles, tecumque de palma fere certantes accuſo, quibus è contrario læta omnia ac fauſta ex animo precor, auguror que;

ſed

ſed quod prætereà ipſummet noſtri Ordinis Inſtitutum à Sede Apoſtolicâ toties laudatum ac probatum carpere, atque improbare, tum probris ac maledictis inceſſere audeas, hoc enim vero & iure meo expoſtulo, & ad tuæ Hæreticæ temeritatis auctarium pertinere meritò cenſeo. Quod ne fruſtra aut perperam à me tibi impingi, ſuſpicari queas.

11 Cedò mihi, qualem S. Ignatius viuendi formulam Societati noſtræ, cunctisque, qui in hâc ſtipendia Chriſti Ieſu faciunt, qualem perfectionis normam, quænam ad hanc adipiſcendam inſtrumenta præſcripſit? Non hîc ego tibi ipſammet Ignatij vitam virtutum omnium fulgore ſplendentem ingero, non Annales noſtros appello, non Auctores noſtros ad teſtimonium cito, non quenquam alium priuarum ſuffragatorem commemoro, quos omnes nullo negotio tibi deridiculo eſſe pro inſigni tuâ modeſtiâ, haud ignoro; ſed ipſa dumtaxat Snmmorum Pontificum oracula deprοmo, quorum auctoritate vel iudicij tui præcipitantiam ſufflaminem, vel procacitatem frangam, vel Hæreticam impudentiam oſtendam. Hæc enim ſi non contemnis, Scioppi, quod nulli Catholicorum integrum eſt, Inſtituti noſtri rationem (ſiue finem, ſiue modos ſpectes) piam, eximiam, diuinitus excogitatam, à Spiritu ſancto, ſingulari afflatu ac nomine profectam fatearis, neceſſe eſt. Nam quis, rogo, de Chriſtiano grege præclarum elogium, quo Ordinem noſtrum non ſolùm Pontifex Maximus, ſed vniuerſale quoque Concilium Tridentinum Apoſtolicâ auctoritate munitum cohoneſtat, *piumq; Inſtitutum à Sanctâ Sede Apoſtolicâ approbatum* honorificè nuncupat, non ſuſpiciat? Cui venerationem non inijciat Gregorius XIII. *a* qui ampliſſimo ſuo Diplomate cunctis narrat, fidemque facit, *Ignatium Societatis corpus*

a In Bulla: Quanto fructuoſius.

corpus diuino inſtituto ita duxiſſe diſponendum? Quem religionis non impleat idem Pontifex, qui eodem Syngrapho exertè teſtificatur: *a Spiritum ſanctum bonæ memoriæ Ignatium Loyolam ipſius Societatis Inſtitutorem, eiusq; Socios excitâſſe, media etiam præclara, maximeq; opportuna huius Sedis miniſterio eis tribuiſſe, atque confirmaſſe?* Quem ſacro quodam horrore tum hæ, tum aliæ pleræque tabulæ Pontificiæ inſignes ac luculentæ non perfundant, ex quibus Franciſcus Suarez *b* magni in Repub. Chriſtianâ nominis Theologus penſitatâ diſputatione palàm facit Spiritum ſanctum principalem huiuſce Religionis fuiſſe Auctorem? Quò verò, niſi huc Iulius III. tendit, quum adeò clarè decernit, aut potiùs indicat, *c Nihil, quod pium ſanctumq; non ſit, in dictâ Societate, eiusq; laudabilibus inſtitutis reperiri?* Quò Paulus III. quum tam perſpicuè commendat, *d Præmiſſa omnia, & ſingula, tanquam ad ſpiritualem profectum eorundem Sociorum, & reliqui Chriſtiani gregis opportuna?* Quò Gregorius XIII. rurſum, quum tam enucleatè pronuntiat, *e Se vniuerſalis Eccleſiæ vtilitati, quam ex inuiolato & inconcuſſo Societatis inſtituto & Religioſæ ſobolis educatione ſentit, ac maiorem in dies ſperat, proſpicere?* Quum adeò compertè *f ipſius Societatis tam vtiles, tamq; neceſſarias functiones* vocat? Quum tam glorioſè mox addit: *Tam ſalubribus dicta Societatis miniſterijs, quæ pro eorum dignitate, & maiori fidelium fructu in locis aptis, vbi maior ſeges, & frequentior populi conſuetudo viget, exerceri, & miniſtrari debent?* Quò denique tot alij Pontifices Maximi Grego-

rij

a *In Bulla:* Quantò fructuoſius. b *Tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 1. cap. 4. num. 4. & ſeqq.*
c *In Bulla Confirmationis Inſtituti.*
d *In prima Bulla Confirmationis.*
e *In Bulla:* Aſcendente Domino.
f *In Bulla Saluatoris.*

rij XIV. *a* & XV. *b* tum Vrbanus VIII. quum ſingularibus quique Diplomatis grauiſſimis eadem, quæ priores Pontifices ſanxerunt, cumulatè laudant, probant, confirmant, multaque prætereà inſuper adijciunt?

III. Porrò hanc noſtri formulam Inſtituti tot Pontificum fundatam pſephiſmatis, tanquam anchoris in humanarum viciſſitudinum inconſtanti ſalo, quàm ratam, Scioppi, fixamque exiſtimas? Haud te fugit, qui in noſtræ diſciplinæ libris peruolutandis tam multus es, vel ſolis Iulij III. verbis, quæ paulò antè memoraui, vſque adeò fuiſſe roboratam, vt eiuſmodi approbatio, quemadmodum ſollerter expendit Suarez ſuprà appellatus, *c Habeat vim cuiuſdam authenticæ definitionis, vel declarationis, cui falſum ſubeſſe non poteſt.* Quamobrem Gregorius XIII. præſentaneis diris, alijsque grauibus pœnis propoſitis, ne quis Regulas noſtras, atque Sanctiones à Sede Apoſtolicâ toties affirmatas infirmare, conuellere, vel quoquo modo perſtringere audeat, ita deterret: *d Præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, nec non inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia ſecularia, & quorumuis Ordinum regularia eo ipſo, abſque alia declaratione incurrendis, quarum abſolutionem nobis, & Succeſſoribus noſtris reſeruamus, ne quis, cuiuſcunque ſtatus, gradus & praeminentiæ exiſtat, dictæ Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones, vel etiam præſentes, aut quamuis earum, vel ſupradictorum omnium articulum; vel aliud quid ſupradicta concernens, quouis diſputandi, vel etiam veritatis indagandi quæſito colore, directè, vel indirectè impugnare, vel ei contradicere audeat.*

IV. Nunc

a *In Bulla data* CIƆIƆXCI. b *In Bulla Canonizationis S. Ignatij.* c *Loc. cit. num.* 12. d *In Bulla:* Aſcendente Domino.

IV. Nunc ex te, quæro, Scioppi, hæc tot Pontificum oracula, quo loco apud te ſint? nempe quo apud Hæreticos. Quâ reuerentiâ ea proſequaris? Mentior, niſi Lutherum Caluinumque æmularis. Age. Periclitemur. Certò in primis è Societatis Conſtitutionibus *cap.4. Examinis, §* 2. & 4. tum *parte 3 cap.1. § 7 lit.F. parte 4. cap 4. lit. E.* & *parte 6. cap 2. lit* H conſtat, bona externa temporaria poſt vota ſimplicia nuncupata ante ipſum ſolemnis profeſſionis articulum adhuc in noſtrorum hominum mancipio eſſe, quamuis hi illorum vſu careant, quemadmodum etiam Pontifex Maximus Gregorius XIII. *a* ſæpius iam laudatus gemino Diplomate apertè ſancit, fuſeque Suarez noſter *Tom. 4. de Relig. tract.* 10. *lib. 4. cap. 6.* demonſtrat: nihilominùs qui eiuſmodi votis ſimplicibus tantùm, ſeſe in noſtro Ordine deuinciunt, aut deuinxerunt, *eſſe verè & propriè Religioſos, ac fuiſſe,* idem Gregorius XIII. *b* manifeſtò ſciſcit. Quod ſcitum decretumque idem Suarez iam iam commemoratus, inibi *lib 3. cap 3 num.2.* & *cap.4. corollar.2. num 5. exiſtimat eſſe omnino infallibile,* vt ipſemet loquitur, *ita vt ſine errore in fide, negari non poſſit.* Et *ratio eſt*, inquit, *quia ſententia Pontificis in his, quæ ad doctrinam pertinent, infallibilem continet certitudinem ex Chriſti inſtitutione, & promiſsione.* Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, *Luc.* 22. Quam ſententiam copioſè admodum ac ſolidè compluribus Canonum, Conciliorum, ac Doctorum tabulis ac documentis excellenter illuſtrat, *c* reuincitque idem Theologus.

V. Iam quid tu, Scioppi, hoc de placito ſentias, ex te audire cupio. Dic, quæſo te, ſi quis eos è noſtro cœtu, qui paupertatis votum ſimplex dumtaxat

xat

a *In Bulla*: Quanto fructuoſius, *& in altera:* Aſcendente. b *In Bulla:* Quanto fructuoſius.
c *Ibid.*

xat edunt, Ananiæ, & Saphiræ exemplo defraudare ac Spiritui ſancto mentiri; ſi duplici corde ad Deum accedere; ſi cor plenum dolo & fallaciâ habere aſſeueraret; nónne is votum huiuſmodi paupertatis ſimplex, etiamſi duo reliqua caſtitatis, atque obedientiæ item ſimplicia à noſtris hominibus conciperentur, ad hos in Religioſo ſtatu verè ac propriè conſtituendos, ſatis eſſe, neceſſariò ex connexi lege inficiaretur? quis ambigat? Religioſum enim ſtatum ſine triplici voto paupertatis, caſtitatis, atque obedientiæ ſaltem ſimplici non poſſe conſiſtere, apud Catholicos omnes extra controuerſiam eſt. At quomodo paupertatis ſimplex votum, reapſe votum verum eſſe queat, ſi defraudet, ac Spiritui ſancto mentiatur, ſi duplici animo ad Deum accedat, ſi cor doli & fallaciæ plenum gerat? Ne Ananias quidem, Saphira, aut quiſquam alius, ſi hæc, dum vouet, ſecum verſet in animo, ac ſtatuat, etſi ore tenus voueat, verè vouere, aut voto ſe obſtringere apud Theologos dicetur. Nam ſi mentitur Spiritui ſancto, in quo mendacium ſitum eſt, niſi quod lingua contra mentem it, animoque aduerſatur, adeoque licèt os voti vocem crepet, cor tamen rem ipſam, vinculum illud atque obligationem repudiat? Qui igitur noſtros voti ſimplicis paupertatis ſponte ſuſcepti, non ore tantùm, ſed ex animo reos, nihilominùs defraudare, Spiritui ſancto mentiri, duplici corde ad Deum accedere, corque doli & fallaciæ plenum habere ait, is profectò verè noſtros vouere, veroque paupertatis voto ſimplici ſe obligare negat, vt planum eſt; ac proinde ex albo quoque Religioſi Ordinis, qui ſine voto paupertatis ſimplici minimùm ſtare non poteſt, neceſſariò delet, vt exploratum pariter eſt.

VI. At cuius ex ore calamoque tam inſana deliria, niſi ex tuo, Scioppi, exciderunt? Nónne tuâ

in

in *Eccleſiaſtica Aſtrologia* Societatem noſtram *Clericorum*, aut *Regularium* nomine plerunque deſignans, quod vel Tranſtyberina plebs facilè animaduertat, ſic ipſam *cap.* 5. *pag.* 18. perſtringis; *Veri teſtes Chriſti debent voluntariam paupertatem bonâ fide colere, nec aſtutè ſibi aliquid retinere; quod fit à Clericis, quum paupertatem quidem voueant, ſed adhuc lucrifaciendi, & parta retinendi ſaluum ius habentes, ſi nimirum ſui eos præſides quacunque ex cauſsâ emancipent?* Nónne paupertatem, quam noſtri, necdum ſolemni profeſſione vincti, profitentur, eodem loco *fraudulentam* appellas, *quâ vouendâ Ananiæ & Saphiræ exemplo* (Ieſuitæ) *defraudent, ac Spiritui ſancto mentiantur,* Act. 5. *duplici corde ad Deum accedant, cor plenum dolo & fallaciâ habentes* Eccl. 1. Nónne *cap.* 11. ibidem *pag.* 41. noſtros rurſum ita calumniaris: *Qui in paupertatis voto minimè ſimpliciter agunt, ſed ambulant in aſtutiâ, fucumq; hominibus faciunt, dum vel ius opes parandi & poſſidendi ſaluum ſibi retinent, vel cum Præſidum ſuorum veniâ ſtatiſ[ac] perpetuis cœtus ſui vectigalibus, per aliquos triginta aut quadraginta annos ſaginantur?* Sed in quem tandem, Scioppi, tuæ iſtæ Satyræ à te vibrantur, in quem tua hæc tela iaciuntur, niſi in ipſam Apoſtolicam Sedem, quæ ſimplex huiuſmodi votum paupertatis, bonorum vſu, ſed non iure ſeſe abdicans approbauit? quò pertinent, niſi vt vincas, ſacrilegia ab eâ laudari, fallacias ac dolos pro vitæ Religioſæ normâ proponi? quid aliud perſonant, quàm id votum commentitium ac nullum eſſe, & qui eo vnà cum obedientiæ & caſtitatis voluntarijs vinclis ſeſe obligant, haud quaquam verè ac propriè eſſe Religioſos, quæ compertæ Hæreſis tuæ genuinum chirographum eſt? Quocirca vbi noſtri partem Inſtituti vulnerare ſtuduiſti, indè purulentam Hæreticæ tuæ calumniæ vomicam aperuiſti.

VII. Quid

V I I. Quid prætereà tibi in noſtra formulâ Inſtituti, Mome ter maxime, diſplicet? Sanctus Ignatius noſtri Conditor Ordinis, diuino illuminatus lumine, quum Chriſti Domini Eccleſiam à Religioſis illis familijs, quæ Numinis æterni laudes diurnis nocturniſque vocibus modulantur, probè inſtructam cerneret, quo munijs ſaluti proximorum opportunioribus, magiſque neceſſarijs, operam tam ipſe, quàm eius Socij impenderent, *part. 6. Conſtit. cap* 3. §. 4. Societati noſtræ ab Eccleſiaſticâ *Pſalmodiâ* abſtinendum cenſuit; quam Sanctionem Gregorius Decimus tertius, *a* præter alios Pontifices ſuo muniens ſuffragio ac Diplomate, cauſſam illius à ſapientiſſimo Inſtitutore prætermiſſa hanc ipſam reddit; *Quò acriùs ſtudijs, lectionibus & prædicationbus intendere poſſint.* Neque tamen Ignatius, aut Gregorius de ſacræ *Hymnodiæ* præſtantiâ quicquam detrahunt, vel imminutum volunt. Quis enim Catholicorum illius prærogatiuas non agnoſcit? non laudat? non veneratur? At ſi ea pſallendi prouincia cum animarum procuratione, ſeu cum ſacræ doctrinæ cœleſtiſque pabuli diſpenſandi munere, de nobilitate, de fructu, de principatu in contentionem veniat, quis in Theologicis quæſtionibus, aut veterum Patrum monumentis tam hoſpes eſt, qui neſciat, herbam ab illâ iſti neceſſariò porrigendam? An tergiuerſaris, nodumque in ſcirpo quæris? At iam olim litem omnem Magnus Gregorius *b* prorſus diremit, palàm, ſerioque improbans eam conſuetudinem, vt qui Euangelij præconio erant deſtinati, adeò diſtinerentur; tum dirarum fulmine intentato præcisè vetans, ne

a *In Bulla:* Ex Sedis Apoſtolicæ.

b *Lib. 4. Regiſtri cap. 88. habeturq;* Cap. in Sancta, *diſt. 92.*

ne deinceps hi canendi curâ ſuo à munere auocarentur, ſed alijs miniſtris iſta crederetur. Quod ſi tibi moroſiori homini hinc nondum ſat liquet, an te fugit, quid Theologorum ſchola, duce S. Thomâ, hac ipsâ de re conſtituat? Quàm perſpicuè, quàm enucleatè, *Dicendum,* inquit, *a quòd nobilior eſt modus prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam & prædicationem, quàm per cantum Et ideò Diaconi & Prælati, quibus competit per prædicationem & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus inſiſtere, ne per hoc à maioribus retrahantur?* Ex quibus Gregorij, & Thomæ planiſſimis teſtimonijs iam, opinor, intelligis, quæcunque miniſteria proximorum ſaluti procurandæ rectà velificant, prædicationis & doctrinæ nominibus hîc comprehendi, & pſalmodiæ, ſeu cantui Eccleſiaſtico, quando vtrumque ſimul perfectè continenterque exerceri nequit, vt Suarez diſertim notat, *b* antehaberi. Hinc etiam diſcas licet, *prædicationem*, vt idem Suarez obſeruat, *eſſe propriam actionem Sacerdotum, vel Diaconorum: cantum verò per quoslibet inferiores Clericos fundi poſſe: adde etiam per Laicos, ſi neceſſe ſit, & maximè ſi ſint diuino ſeruitio mancipati; & hinc factum eſſe, vt Religiones Monachorum, quia per ſe non ſunt Religiones Sacerdotum, ſed Laicorum, Chori miniſterium profiteantur; quia optimè per illos exerceri poteſt, & eſt fini eorum accommodatum, ſcilicet ad contemplationem; non tamen idem eſſe de omnibus Religionibus Sacerdotum, quia Sacerdotis officium non eſt ſolùm diuinis officÿs, ſed maximè ſaluti hominum procurandæ inſiſtere, vt Gregorius dixit in* 3. *parte Paſtoralis cap.* 4. *& Concilium Aquiſgranenſe* cap. 8. *& ſumitur ex multis decretis apud Gratianum* 16. *quæſt.* 1. cap. placuit *cum ſimilibus.* Vnde quàm diuino obſequio congruenter

a 2.2 *quæſt* 91.*art.*2.*ad* 3.

b *Tom* 4.*de Relig tract.*10.*lib.*1.*cap.*8.*num.*6.

ter, quàm Patrum ac Doctorum ſcitis conuenienter Ignatius ſuos Odei ſacro penſo leuandos duxerit, & Pontifices Maximi ſæpius probauerint, dilucet clariſſimè.

VIII. Iam verò quem tu honorem huic Inſtituti noſtri parti tam bene conſtitutæ habeas, Scioppi, reſciſcere hoc loco operæ pretium mihi eſt. Quem honorem autem? ſcilicet honorem. Totam præpoſterè omnino vertis, ſimulque peruertis, in tuâ *Aſtrologia* petulco ludibrio illam ita traducens: a *Quantum præ Vituli* (id eſt, Mutij Vitelleſchi Generalis Præſidis Societatis Ieſu, vt eum ſæpius tum in eâdem *Aſtrologiâ*, tum in *Anatomia*, & alijs Satyris cum irriſu nominas) *triturâ, ſeu verbi prædicatione, grata Deo accidat Monachorum pauperum, ac dolentium Hymnodia, vel ex magnitudine effectuum eius iudicari poteſt.* Et infra adhuc apertiùs: b *Magna proinde eorum eſt ſtultitia, vel potiùs furor & inſania, qui ad Hæreſin debellandam homines alio armorum genere inſtructos, hoc eſt, nec contemplatiua vita addictos, nec Pſalmodiâ vtentes, adhibere malunt, quos alijs potiùs, ne bene rem gerant, impedimentum afferre, quàm ipſos ad victoriam momenti facere certum eſt.* Ne plura, Scioppi, ne plura. Satis eſt. Quò enim tua ingens feratur temeritas, & lippi vident. Societatem noſtram, quò labores ſuos populorum ſaluti fructuoſiùs impenderet, Eccleſiaſticæ Hymnodiæ immunem Deo famulari, in maiorem Dei gloriam, maiuſque animarum emolumentum cedere, Ignatius diuinitus edoctus cenſuit: Tu id ſtultitiæ inſimulas. Gregorius Magnus exertè ſancit: Tu procaciter explodis. S. Thomas, ac Theologi explicatè docent: Tu inſaniæ contumelioſè tribuis. Plures Pontifices Maximi, præſertim Gregorius XIII. deſtinatò confirmant: Tu furoris furioſè condemnas. Et poteſtne

a *Cap.* 14 *pag.* 53. b 54.

ne effrænatio tua eſſe effrænatior? nequitia nequior? impudentia impudentior? Itáne Pontificiæ auctoritati, à quâ Ignatij Conſtitutio probata eſt, tragulam inijcis? Apoſtolicam Sedem, à quâ Regulam adeò flagitioſam laudatam vis, ac indignaris, pudendi erroris coarguis? Pontifices Summos, Reges, Principes, Antiſtites, quorum iuſſu ac voluntate Ieſuitæ ad Hæreticos ab impietatis luſtris ad Chriſti ſigna alliciendos reducendosque adminiſtri perſæpe adhibentur, velut incuſſo talitro, imò pugno inſolenter diuerberas? Tanta carpendi noſtri Inſtituti tua orexis, tam impotens libido eſt.

IX. Quid quod non ſpeciatim dumtaxat nonnulla Religionis noſtræ capita reprehendis, ſed generatim quoque ipſummet noſtri Inſtitutorem Ignatium in condendâ Societatis noſtræ formulâ allucinatum audaciſſimè mentitis? Recognoſcisne, quæ in tuâ *Anatomia pag.* 32. ex Pſeudo-Marianâ recitas, palamque commendas? An non illic ſcribis, *Leges particulares Societatis non tam ex vſu rerum & praxi, quàm ex imaginatione, ſeu ſpeculatione profluxerunt, quæ origo ſolet eſſe multorum errorum?* An non ibidem interpretamentum de tuo huiuſmodi mox appingis: *Sanctus nempe Ignatius, velut homo militiam à puero ſectatus, &* ὀψιμαθής, *nec ſcientiam magnam, nec vſum ſine experientiam rerum Religioſarum ad condendam Societatis formulam in conſilium adhibere potuit, adeoq; bonis cogitationibus tantùm armatus, rem confecit?* An non his verbis grauis imperitiæ, atque inſcitiæ labe, fœcundâ ſcilicet errorum ſcatebrâ virum ſanctiſſimum, & ſapientiſſimum aſpergis?

X. Per hæc Inſtitutore noſtri Ordinis Ignatio ita dedecorato, quid ipſimet noſtro Inſtituto, Ordinique iam facies? quàm dilucidè in eâdem Anatomiâ,

omiâ, *pag.*19. quàm operoſè, quàm inflamman-
e, ex Melchiore Cano *lib.* 5. *de Locis Theologicis,*
ap. 5. probare conaris nouum Societatis Ieſu Or-
linem, etiam vt à S. Ignatio inſtitutus eſt, nec
ſſe Eccleſiæ vtilem, nec neceſſarium, tametſi il-
um Sedes Apoſtolica approbauerit? *Noſtro enim*
ſeculo multas Religiones à Pontificibus confirmatas eſſe,
uas qui omnes tueri voluerit tanquam Eccleſia vel
tiles, vel neceſſarias, imprudentia (ne dicam ſtulti-
ia) nomine, iure optimo, ſummiſq; rationibus argui
oſſe. Quid ex te audio, Scioppi? Siccíne Apoſto-
ica Sedes, Pontifices Maximi, Eminentiſſimi Ec-
leſiæ Patres in Societatis noſtræ Regulâ laudan-
lâ approbandâque allucinati ſunt? delirârunt?
mprudentes ac ſtulti fuerunt, & porrò etiám-
ıum, quum eandem approbare non deſinant, ni-
ɔilo plus ſapiunt? Hæc tua verecundia eſt, hic ho-
ıos, hæc reuerentia, quam Summis Pontificibus
Chriſti Domini Vicarijs, Sacris Eccleſiæ Præſuli-
ɔus, ac Purpuratis Patribus, Scioppi, præſtas, eos
ıon imprudentiæ tantùm, ſed ſtultitiæ quoque
contumelioſiſſimè inſimulando.

XI. At aſylum tutum mihi, inquis, pandit, ac
ɔræbet Melchior Canus. Tutum, ais? imò lubri-
um, imò ſcopuloſum, imò nullum. Quid enim?
ıihil ille eo loco de Societatis Ieſu Religione no-
ninatim memorat. Sed hæc ipſa eiuſdem Auctoris
ſententia generatim etiam enuntiata cuius tan-
lem pretij eſt? quanti pendenda? nónne à cæteris
Theologis, tanquam omni probabilitatis ſpecie
iduata, damnatur, atque à Franciſco Suarez no-
ſtro *Tom.* 3. *de Relig. lib* 1. *cap.* 17. *nū.* 18 vſque ad 24.
tirpitus euertitur? Quis verò Religioſorum ho-
ninum, quis ei poteſt ſubſcribere, quin ſuæ quo-
ue Religionis bonam exiſtimationem in apertū
iſcrimen, ne fortè & ipſa perperam, impruden-
er, ſtulteque à Summo Pontifice ſit confirmata,
ſimul

ſimul adducat? Quàm ineluctabili inſuper fulmine S. Thomas *Opuſc. 19. contra impugnat. Relig. cap. 4.* eandem ita proſternit: *Quum aliqua Religio per Sedem Apoſtolicam inſtituta eſt, manifeſtè ſe damnabilem oſtendit, qui talem Religionem damnare conatur?* Te iam ego perpaucis, breuiterque percontor, Scioppi. An de poteſtate confirmandi Religiones, quæ Sedis Apoſtolicæ peculiaris eſt, nullique alteri permittitur, animi pendes? At memineris Hæreſis, piaculum ſine controuerſiâ eſſe, de eiuſmodi facultate dubitare, quum ad Sedem Apoſtolicam dumtaxat ſpectet, Religioſum Ordinem auctoritate roborare, vt perſpicuè *cap vlt. de Religioſ. domibus, & cap. vlt.* pariter, *eodem tit. lib. 6.* Sciſcitur, & vtrobique Doctores Catholici omnes fatentur, nominatim verò Auguſtinus Barboſa *de poteſt. Epiſcop allegat* 50. *num.* 57. Azor 1 *par lib* 11. *cap* 25 *quaeſt.* 5. Rodriquez *tom* 3. *quaſt* 48. *art.* 3. Reginaldus *lib.* 18. *num* 364 Menochius de *arbitrariis, caſu* 421. *num.* 18. Miranda in *Manuali Prælatorum, tom.* 1 *quæſt.* 1. *art.* 6. Suarez *tom.* 3 *de Relig. lib.* 2. *cap.* 15. Vaſquez 1.2 *diſp.* 165 *cap* 4. *num* 38. & 39. & Thomas Sanchez *lib* 7. *de matrim diſp.* 15 *num.* 10. quos omnes affert ac ſequitur Petrus de Auiles contra Ioannem Spinum *art.* 5. *num.* 331. An verò Sedem Apoſtolicam, Maximumue Pontificem in Religioſo cœtu ſtabiliendo errare putas? at parilem inſaniam Hęreticam manifeſto inſanis, quum Pontifex in Religionum confirmatione errare nequeat, vt Catholici Doctores omnes decernunt, atque inter hos articulatè Bannez 2.2. *q.* 1. *art.* 10. Silueſter *verbo, Fides, quaſt.* 20. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1 *quaſt* 6. *pun* 7. §. 4. *verſ. Ad id quod* Bellarminus *lib.* 4. *de Rom Pontif cap* 5. Aragon 2. 2. *quaſt.* 1. *art.* 10. Granadus 2.2. *Controu.* 1. *tract.* 7. *diſp* 2 *ſect.* 2. Tannerus *tom* 3 *diſp.* 1. *quaſt* 4 *dub.* 7. Ludouicus de Torres *diſp.* 16. *dub.* 4. Suarez *de Fide, diſp.* 8. *ſect.* 18.

num. 9. Caſtro Palao *Tom.1. tract.4. diſp.1. pun. 6. num* 1. & Petrus de Auiles *loc cit num.* 312. In his quippe, quæ ad doctrinam, moresque probandos pertinent, qualis ſine dubio Religioſi Ordinis approbatio eſt, Pontificem errare non poſſe, tradunt Catholici omnes, vt docet D. Antoninus 3.*par. tit.* 22.*cap.*8 §.2. Canus *lib.5 de Locis,cap.*5. Bannez *loc. cit dub* 6. Bellarminus *loc.cit cap.*10. Molina *lib.*2. *de Iuſt. diſp.* 325. *num.*5. Suarez *de fide, diſp.* 5. *ſect.*8. *num.* 7. & Auiles *loc.cit, num* 533. & alij communiter. Quamobrem ſolius Pontificis Maximi, velut ſupremi, & vniuerſalis Paſtoris eſt, proponere ſuæ Eccleſiæ, approbare, & confirmare Religiones, ſine errandi in ipsâ approbatione, & confirmatione periculo; adeoque Religionem à Pontifice Legibus ſancitam, Religionem inficiari, comperta Hereſis eſt. Iam quid hic ais, Scioppi? quid obgannis? quæ vox nunc tibi reliqua eſt? an adhuc hiſcere audes? Sed quàm validè os tuum D. Auguſtinus *Epiſt* 118. contudit, explicatè pronuntians: *De eo, quod vniuerſa Eccleſia facit, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſima inſania eſſe?* Quàm optimo iure Franciſcus Suarez *loc.cit num* 19. hinc colligit, *De his, quæ Pontifex in aliqua Religione approbat facienda, dubitare, an honeſta ſint, inſolentiſſima inſania eſſe?* Sed quæ ratio, quæ tabulæ, quæ argumenta Canum in eam ſententiam traxerunt? quæ? nulla penitùs, ſed fortè *vel falsâ opinione aduersùs aliquam Religionem approbatam* (vt ait idem Suarez *ibidem num.* 8.) *ex ſiniſtra informatione de illius moribus, aut inſtituto præcipitanter conceptâ; vel certè ſolâ humanâ coniecturâ*, quæ nihil habet momenti, vt conſtat, ita cenſuit. De noſtro autem Inſtituto quid quæris, aut quis iure poſſit ambigere, quum idem Theologus luculentiſſimus *Tom 4 de Religione, tract.* 10. *lib.*3. *cap.* 4 *num* 5. manifeſtò vincat, certum eſſe, eiuſmodi Inſtitutum rectè, atque vti-

liter à Summo Pontifice eſſe confirmatum, neque id ſine fidei errore, ac fraude negari poſſe? nec non idem Auctor *ibidem lib. 1. cap. 1. arum* 1. Luiſius Turrianus *disp. 16. de fide, dub 4. verſ.* Quartò nulla, & Auiles *loc. cit num.* 334. affirmatè pronuntient, Hæreſim eſſe, exiſtimare, ac præ ſe ferre noſtram Societatem Ieſu non eſſe Religionem?

XII. Quæ quum ita ſint, interrogo te, Scioppi. Quænam ampliùs, Catholici viri larua tuæ vultum Hæreſis, frontemque perfrictam poteſt occulere, quum tot monumentis eam tu ipſe in lucem edas? Pium Societatis Ieſu Inſtitutum à Sede Apoſtolicâ approbatum Tridentini Concilij Patres ampliſſimi vocant; diuinum Gregorius Decimus Tertius nuncupat; Sanctum Iulius Tertius appellat. Tu quid arbitraris? minimè neceſſarium, inutile, ſtultitiæ ferè obnoxium. Et quiſquam te adhuc in Catholicis numeret? Inſtinctu afflatuque Spiritus ſancti præſcriptam ab Ignatio Regulam, Pontifices Maximi memorant. Tu inſaniæ probro commaculas. Et cui, tuæ proteruitatis Hæreticæ nidor hinc non ſuboleat? Auctorem noſtri Ordinis eundem Spiritum ſanctum ſingulari nomine ferri, è Pontificum Diplomatis perſpectum itidem eſt. Tu nihilominùs eum furore laborare, atque agitari decernis. Et quis tam cæcus, qui te cum Hæreticis furere non cernat? Omnia & ſingula, quæ Societatis noſtræ Conſtitutionibus continentur, laudabilia, pia, ſancta, ad *ſpiritalem* tum Sociorum noſtrorum, tum reliqui Chriſtiani gregis profectum præclara, maximeque opportuna eſſe, qui vicariam Chriſti Domini poteſtatem in terris gerunt, Summi Antiſtites teſtificantur. Tu inſcitiâ, inertiâ, imprudentiâ, errore præſcatere; inania, caſſa, ſuperuacanea, atque otioſa eſſe, ſtatuis. Et quis adeò imprudens, atque imperitus, vt te Hæreticos errores nundinari

non animaduertat? vt Pontificio Dirarum fulgu-
re te perculſum non intelligat? vt te multis alijs
pœnis propterea dignum non reputet? vt effræ-
natiſſimum tuum os, calamumque vſtulatorum
Hæreticorum titione vrendum non iudicet? Hoc
igitur habe, tuæ Hæreticæ inſolentiæ ſolitum in-
igne, ſtatumque ſupplicium.

Cap. IX.

Septima Scioppianæ Hæreſis teſſera, peruerſa doctrina de votis Obedientiæ, & Caſtitatis.

I. Etſi, Religionis noſtræ Inſtituto tam ne-
quiter à te ſugillato, dubitare non poſſum,
quin Obedientiæ quoque, & Caſtitatis
vota nobis vſitata, eâdem operâ allatraueris; ni-
hilominùs quia hæc alijs etiam Religioſis fami-
lijs communia ſunt, lubet ſeorſim, quæ tua de ijs
opinio ſit, quæ mens, te percontari.

II. Ad obedientiam quod attinet, certos
quoſdam in eâ gradus ab interioris Philoſophiæ
myſtis notari, ſecernique, non incompertum ti-
bi, Scioppi, autumo; quorum primus, vt Præſidis
iuſſa opere externo exequatur, qui illius voto ſeſe
deuinxit, graui omnino religione obſtringit; duo
alij ad exuperantiam, abſolutionemque virtutis
tantummodò pertinent; alter, vt non ſolùm ope-
re, ſed voluntate quoque obſequatur, hoc eſt vo-
luntatem ipſam ſine tergiuerſatione, imperantis
voluntati ac nutui adiungat; alter, vt iudicium
inſuper ſuum, ne dum opus ac voluntatem, iu-
dicio Antiſtitis ſubijciat, eumque rectè præci-
pere, neque falli, aut allucinari, vbi ſecus per-
ſpicua documenta vim ineluctabilem non infe-
M 2 runt,

runt, ſibi perſuadeat, atque ita vndique aptam cœcæ, vt vocant, obedientiæ formam expleat. Quæ vt explorata ſunt, ita & tibi nota non negabis.

III. Verùm quàm oculata cœcæ huius obedientiæ ſapientia, hoc ipſo, quòd parendi cupiditate iudicium proprium exoculat, quantæ dignitatis, atque excellentiæ ſit; ſi fortè tibi excidit, age, Scioppi, memoriam tantillùm refrica: dummodò tamen eiuſmodi iudicium proprium ita exoculatum memineris, vt vbi aliqua culpæ ſpecies manifeſtò detegitur, aut obuia ſit illico ius oculumque ſuum ab illo repeti, tum obtemperandi legem abrogatam, ſimulque obluctandi latam intelligas. At quum imperium nihil piaculi præ ſe fert, quæ prudentia ſollertior, aut perſpicacior, quàm propriæ prudentiæ non fidere, ſed ductum Præſidis, quem Chriſti Domini loco veneraris, cuiusque prudentiæ adeſt ipſemet Deus, eamque ſuomet numine temperat, cœleſtique ſapientiâ diuinitus illuſtrat, ſequi? An non imperiti magna peritia eſt, ſi non ſuo inertis, ſed artis periti conſilio ſtet? ſi non ſibi ignaro, ſed alteri rerum probè ſcienti credat? ſi non ſe inexpertum, ſed alium experientiſſimum audiat? Inficias ire non potes. Quanta igitur, quàm cumulata & conſummata ſapientia eſt, ſi tuam ipſius hominis ſapientiam, quæ errori obnoxia eſt, & ſæpe fallitur, Chriſti Domini gratiâ, tui Antiſtitis iudicio, cui Deus ſapientiam humanâ maiorem, ille, qui nec fallere, nec falli poteſt, indulget, afflatque, veluti captiuam ſubmittas? Decantata ſunt Pythagoræorum ſilentia, quibus prima Sapientiæ lex erat, *ita Pythagoram aliquando dixiſſe*; nota Peripateticorum, duce Ariſtotele, ſcita, quibus in limine Philoſophiæ occinitur; addiſcentem credere oportere; explorata cunctis in artibus effata, quibus diſciplinæ omnis compendium circumſcribitur, artifi-

artificis documenta tironibus ſine vllâ cenſurâ diligenter eſſe capienda. Quantò magis ergo rationi congruit, & longè præſtantior ſapientia eſt, vt, non cum Pythagorâ, non cum Ariſtotele, non cum mortali artifice, ſed cum Deo ipſo (cuius ſapientiâ Præſidem diuinitus imbutum, qui Deo obedientiam vouiſti, agnoſcis) ſapias, ſi tibi ipſi deſipias? Non me fugit, Scioppi, quàm longè ab hac ſapientiâ, qui adeò ſapiens tibi videris, & obedientiæ prærogatiuas vel penitùs ignoras, vel vſu certè non tenes, peregrineris. At tuæ inſcitiæ, aut puerilitati tempeſtiuè D. Bernardus opitulatur, Religioſæ militiæ candidatum obedientiæ cœcæ monito ita ſapienter informans: a *Stultus fiat, vt ſit ſapiens; & hac omnis ſit eius diſcretio, vt in hoc nulla ſit ei diſcretio; & hac omnis ſapientia eius ſit, vt in hac parte nulla ei ſit.*

§ V. Sed quanta cœcæ huius obedientiæ nobilitas, Scioppi eſt? quantum decus? quanta eminentia? Víſne veterum Patrum Senatum cogamus, eoſque hac de re ſententiam rogemus? Sic, opinor. Adſunt frequentes, adſunt concordes, hanc ipſam propriæ perſuaſionis abdicationem communibus ſuffragijs probant, eximijs laudibus exornant, multis nominibus commendant. Quem primum poſcis? Baſilium Magnum? præſto eſt. Quàm diſertè! b *Vt inſtrumentum*, inquit, *non ſibi ipſi deligit, quod facto vſus ſit, ad artem iuuandam; eodem modo pietatis cultorem quoque nequaquam conuenit, ipſum eſſe, qui ſibi ſuo iudicio opus deligat, ſed gubernationem ſui, artificis prudentia debet, conſilioq; concedere.* Quem deinde? Gregorium Nazianzenum? lubens adſtipulatur. Quàm enucleatè? c *Oues paſtores ne paſcite, nec ſupra fines veſtros aſſurgite;*

M 3

a *Ad Fratres de monte Dei coll. 6.*
b *In Conſtit. Monaſt cap 23.*
c *Orat. 9. ad Iulianum.*

gite; ſatis enim vobis eſt, ſi rectè paſcamini: iudices ne iudicate, nec legiſlatoribus leges præſcribite. Quem prætereà? alterum Gregorium Romanum? vltro ſe offert. Quàm inſigniter? quàm explicatè? *a Vera quippe obedientia nec Præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit, quia qui omne vitæ ſuæ iudicium maiori ſubdidit, in hoc ſolo gaudet, ſi quod ſibi præcipitur, operatur.* At vbi Cyrillus Alexandrinus? Vrget is filios ac ſubditos ad obſequendum parentibus, ac dominis, quòd ij Dei nomine agant, ſubditque: *b Et ideò nullo genere aduersùs Patrem, ne verbo quidem habendum certamen eſt, aut mouenda contradictio: Pater eſt, mater eſt: vt ipſis videtur, agant, faciant, dicant.* Vbi Hieronymus? *c* Is cuidam Monacho normam, ad quam in Religiosâ palæſtrâ vitam ac mores exigeret, præſcribens, inter cætera, iubet eum *Non de maiorum ſententiâ iudicare, cuius officij eſt obedire, & implere, quæ iuſſa ſunt, dicente Moyſe, d* Audi Iſraël, & tace. Vbi Ioannes Climacus? *e* Huic ipſamet *Obedientia* egregiè definitur, *inexaminatus, atque indiſcuſſus motus, ſpontanea mors, vita curioſitate carens, diſcretionis diſpoſitio inter diuitias diſcretionis.* Vbi Hilarius? Felicem is illorum, qui quod non percipiunt, credunt, inſipientiam, dignamque laureâ ignorantiam ſapienter ita pronuntiat: *f Habet enim non tam veniam, quàm præmium, ignorare, quod credas, quia maximum ſtipendium fidei eſt, ſperare, quod neſcias.* Vbi Bernardus? Cenſet is *perfectam obedientiam, maximè in incipiente* eſſe, vt ipſe ait, *g indiſcretam. Hoc eſt non diſcernere, quid, vel quale præcipiatur, ſed ad hoc tantùm niti,* vt

a *In lib. 1. Reg ad cap. 3.*
b *Lib. 11. in Leuit.*
c *Epiſt. 4 ad Ruſticum* d *Exodi 6.*
e *Gradu 4.* f *Lib. 8. de Trinit.*
g *Loc. cit.*

vt fideliter, & humiliter fiat, quod à maiore præcipitur.

V. Conſentit quoque Caſſianus, palàm teſtatus, a *Nunquam rationem veritatis intraturum, quiſquis à diſcuſſione cœperit erudiri, quia videns eum inimicus ſuo potiùs, quàm Patrum iudicio confidentem, in id vſque propellit, vt etiam illa, quæ maximè vtilia, atque ſaluberrima ſunt, ſuperflua ei videantur, & noxia.* Conſpirat Cæſarius Arelatenſis, b obedientem ſubditum ſic præclarè inſtituens: *Quidquid tibi à Superioribus fuerit commendatum, accipe tanquam de cælo, ſicut de ore Dei prolatum; nihil reprehendas, nihil diſcutias, in nullo penitùs murmurare præſumas.* Subſcribit Theoctiſtus, c de B. Nicetæ obedientiâ hæc referens: *Quæ verò à Præſide ipſo dicebantur, tanquam à Deo ipſo dicta excipiens, omnem quidem curioſitatem, & hæſitationem abijciens, fidem autem, ac certam perſuaſionem habens, omnia exequebatur.* Huc pariter tendit Antiochus, d obedientiam eam genuinam eſſe decernens, *Quâ quis perſuadetur, & obedit, citra vllam dijudicationem, adeò vt quod Superioris imperio imponitur, iucundus quis, & alacer, non item turbulentus expleat.* Huc Nilus in Aſcetico, ſeriò exhortans, *Vt qui ſalutem animæ ſuæ alijs crediderunt, omiſſis proprijs opinionibus, & coniecturis, periti rectoris arti cedant, & ſcientiam illius ſuis cogitationibus anteponant.* Huc Ioannes XXII. Pontifex Maximus, obedientiæ primas ſupra paupertatem & caſtitatem deferens, quia paupertas rebus, caſtitas carni; e Obedientia verò *menti dominatur & animo, quos veluti effranes, & liberos ditioni alterius, iugo propria voluntatis adſtringit.* Huc denique tot alia Patrum decreta, huc tot diuinarum Scripturarum ora-

M 4 cula,

a *Collat* 18 *cap.* 3. b *Homil* 8.
c *In cap.* 4. *ad Roman. verſ.* 20. d *Hom.* 40.
e *Extrauag.* Ambitioſæ, *de verbor. ſignific.*

cula, huc tot Doctorum reſponſa, quæ viri eruditiſſimi Guilielmus Peraldus, *a* Hieronymus Platus, *b* Alphonſus Rodericius, *c* Io. Antonius Velazquez, *d* Aluarus de Paz, *e* alijque permulti centuriant, hic verò recenſere & longum nimis, & ſuperuacuum omnino eſt. Quibus ſacrorum Voluminum, priſcorumque Patrum veſtigijs ad amuſſim inſiſtens quoque Ignatius noſtri Fundator Ordinis, hanc eandem obedientiæ formam ac legem tum pluribus Conſtitutionum locis, tum luculentâ Epiſtolâ hac ipsâ de virtute elucubratâ, nobis omnibus propoſuit, de meliore notâ commendauit, ſeriò, & grauiter inculcauit. *Ad eum ſcopum* (inquit Part. 6. *Conſtitutionum*, eandemque doctrinam alibi ſæpius prædicat) *vires omnes, ac intentionem in Domino conuertamus, vt ſancta obedientia tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu, ſit in nobis ſemper omni ex parte perfecta: cum magna celeritate, ſpirituali gaudio, & perſeuerantiâ, quidquid nobis iniunctum fuerit, obeundo: omnia iuſta eſſe nobis perſuadendo: omnem ſententiam, ac iudicium noſtrum contrarium cæcâ quadam obedientiâ abnegando.*

VI. Quam doctrinam Chriſti Domini ſcitis adeò conſentaneam, cunctorumque Patrum calculis manifeſtò obſignatam, certam omnino atque exploratam nemo Catholicorum in dubium reuocat, nemo reuocare poteſt, ſolique Hæretici conuellere ac labefactare audeant, vt planum eſt. At tu, Scioppi, quem Catholicæ veritatis iam diu piguit, Hæreticæque impietatis effrænis libido dudum

a *Tom* 1. *ſumma virtut tract.* 5 *de Iuſtitia, part* 10.
b *Lib.* 1. *de Bono ſtatus Religioſi, cap.* 11.
c *Part.* 3. *tract* 5. *cap* 5. *&* 5.
d *In cap.* 2. *ad Philipp. verſ.* 14 *An* 1. *&* 2.
e *Tom* 2 *lib.* 5 *part* 3. *Part.* 3. *conſt c.* 1. §. 23. *Part* 4. *cap.* 10. §. 5. *Part.* 6. *c.* 1. §. 1. *Part.* 6. *cit.*

dudum inuaſit, ne huic quidem de obedientiâ Catholico effato parcendum exiſtimâſti. Quò enim tua illa conuicia & probra collineas, quum tuis in *Myſterijs, pag.* 29. ſumptâ Hæretici perſonâ, obedientiam Societati noſtræ conſuetam, *characterem* eſſe *beſtiæ* aſſeueras? quum mox ſimulato Politici hominis vultu eandem obedientiam *brutalitatem* appellas? quum in *Statera, cap* 5. *pag.* 56. addis, *Notam hanc eſſe notam beſtiæ, meritoq́; à te exprobratam; brutorum enim eſſe ſine iudicio aliquid agere?* Quum paulò pòſt inibi *pag* 58. ita inſanis: *Quæ ex Peraldo & alijs adducuntur* (nempe à Foreroa) *ad rem non faciunt, quia aut non laudant illam cæcam obedientiam ſine iudicio, aut ſi eam laudent, id faciunt contra verbum Dei?* Quò, inquam, hæc & alia ſimilia à te torquentur, niſi vt Catholicum placitum ludibrio habeas, Hæreticamq́ue tuam impudentiam, atque inſcitiam apertè prodas? De inſcitiâ liquet. Nam proprio obluctari iudicio, vt ſapientioris iudicio obtemperes, in humanâ quoque Repub. vt innui, non Brutorum res eſt, ſed cordatorum hominum magna prudentia, non ſolùm à ſacris literis, Catholicisq́ue Scriptoribus paſſim laudata, ſed ipſis quoque Ethnicis Auctoribus maximè probata, vt ex Ariſtotele, Tullio, Senecâ, Plutarcho, alijsq́ue plurimis conſtat, quam nemo, niſi qui cum brutis ſapere, & in brutis numerari mauult, vt tu, vituperat, aut carpit. Iam Religioſi viri quum Præſidi ſuo morem gerunt, atque in eo Chriſti Domini perſonam, cuius cauſsâ illi auſcultant, agnoſcentes, ſuum iudicium illius iudicio, obnuptum planè, vinctumq́ue dedunt, memores nempe dicti Euangelici. b *Qui vos audit, me audit:* non ſolùm à ratione minimè aberrant, ſed prudentiâ etiam quadam maiore, vt dixi,

a *Sect.* 1. *Mantiſſa, num.* 22. *vſque ad* 27.

b *Luc.* 10.

dixi, quàm humanâ, ſcilicet non ſuâ, ſed diuinitus Antiſtiti impertitâ vtuntur.

VII. De Hæreticâ verò tuâ impudentiâ quis, Scioppi, ambigat? Cœcam obedientiam, tam acceptum Deo ſacrificium, atque à ſanctis Patribus tantoperè laudatum, tu beſtiæ notâ meritò inſignitam aſſeueras; & quicquam Luthero, aut Caluino de procacitate concedas? Religioſæ obedientiæ votum, ſine quo Religioſi ſtatus eſſentia nequit exiſtere, vel ſceleſtè de medio tollis, vel flagitiosè vulneras; certè quidem cunctos veteres Patres, qui cœcam illam obedientiam miris præconijs in cœlum ferunt, violati verbi Dei reos nequiſſimè peragis; & tuæ Hæreticæ temeritati vlla ſuperſit larua, aut latebra? Proprij iudicij in Religiosâ obedientiâ patrocinium contra Catholicorum rata & fixa decreta ſuſcipis, vniuerſisque Eccleſiæ Chriſtianæ Doctoribus bellum indîcis; & tua Hæreſis cornua extuberantia quiſquam Catholicorum non cernat? At, qui adeò tuus, adeo in iudicando tui iuris eſſe vis, aureum Diui Bernardi monitum tibi vndique aptum noli obliuiſci: *Qui* enim *ſibi ſe magiſtrum conſtituit*, vt præclarè ille ad Ogerium ſcribit, *a ſtulto ſe diſcipulum ſubdit*. Quem autem? nonniſi equum, & mulum, de quo Regius Vates: *b Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus* Sed quorſum iſtuc? nimirum *equus & mulus erectâ ceruice ſunt*, inquit Auguſtinus, *c* neque vt bos, atque aſellus, qui præſepe Domini ſui cognôrunt, *d* cernui. Sed quis ceruicem ſuperbiùs erigit, quàm tu, qui eam contra priſcos omnes Patres arroganter attollis, iudicijque tui peruerſiſſimi apprimè tenax, tot ſapientiſſimorum virorum iudicio quæſitiſſimo ſubdendum negas? Næ tu ſtultus non minùs tui magiſter, quàm diſcipulus es, equus & mulus Hæreticus.

a *Epiſt.87*. b *Pſal.31*. c *Ibid.* d *Iſaia 1.*

ticus, cui tantò minus eſt intellectus, quantò plus te intelligere arbitraris. Hactenus de voto obedientiæ.

VIII. Reſtat alterum caſtitatis, quo qui obſtrictus eſt, ſi vxorem ducat, culpam admittere in ſe lethalem, nec poſſe coniugale debitum exigere, quamuis ſoluere queat, & verò etiam cogatur, tradunt ex communi conſenſu Doctores Catholici, Theologi, ac Iuris vtriuſque Conſulti, quos magno numero ad LXXIV. ferè laudat probatque Thomas Sanchez *lib.* 9. *de Matrimonio, diſp.* 33. *num.* 1. & 2. Scio aliquos, tametſi pauciſſimos, ab hac peruulgatâ percelebratâque ſententiâ, quos Sanchez *ibidem num.* 3. commemorat, abijſſe, ratos eiuſmodi votum ſuperinducto matrimonio penitùs extingui, ſed inualido prorſus ac ruinoſo fundamento nixos, vt oſtendit eodem loco idem Sanchez *num.* 11. & 12. Nihilominùs hæ pertenues, peruetuſtæ, prærancidæ, ac profligatæ Auctorum reliquiæ magis tibi, quàm confertiſſima Theologorum, ac Iuriſperitorum agmina arriſerunt; quumque tuis in *Myſterijs, Aphoriſmo* 11. *pag* 91. *Cardinalem* Toletum communi hærentem doctrinæ, de voti relaxatione ad vſum coniugio licitum petenti etiam reddendum neceſſariâ, ſine quâ petere nefas ſit, in medium attuliſſes, diſcedis illico in alia omnia, queribundusque ſubijcis: *Mirum videri Hæretica, hominem in legitimo matrimonio non poſſe vti vxore ſuâ, niſi Papa concedat, aut vxor petat.* At multò magis mirum eſt, te, quid Hæreticis delirantibus adlubeſcat, quàm quid Catholici Sapientes decernant, potiùs attendere. Sed fallor: non mirum eſt, eſſet mirum, ſi Catholicus fores: at quum Catholica dogmata iam pridem faſtidio tibi ſint, quid mirum, ſi cum Hæreticis malis facere? Non te accuſo, quòd Auctoris Catholici vnius, vel alterius, quanquam obſcuri

 nominis,

nominis, & leuioris armaturæ non tam opinionem, quàm allucinationem diſertiſſimorum & grauiſſimorum Doctorum Senatuſconſulto ampliſſimo antè habueris, etſi hinc quoque inconſulta tua temeritas ſatis pellucet; ſed quod à Catholicorum conſenſione, quò Hæreticis gratificeris, deſciſcas, id enimuerò iure optimo criminor, reprehendo: neque te in Catholico grege, qui Hęreticum tuum ſpiritum halitumque tam fœdè exhalas, vllo pacto deinceps tolerandum meritò contendo.

CAP. X.

Octaua Scioppianæ Hæreſis teſſera, ſtolidiſſima doctrina de paupertate Patrum Franciſcanorum.

I. OBedientiâ, & caſtitate tam malè à te, vt vidimus, acceptis; niſi vanus ſum Vates, rem magnam præſtas, Scioppi, ſi paupertatem quoque non affligis peſſimè. Non de nihilo hariolor, neque mea præſagitio irrita. Factum iam abs te abundè, factum iam prolixè, effusè, ſine modo. Paupertatem, quæ diuitijs redundat, paupertati, quæ inops eſt, maiorem, atque admirabiliorem prædicas: quo tuo paradoxo nihil vnquam in Philoſophorum Lyceis, aut in Theologorum exedris neque ſubtilius, neque ingenioſius auditum eſt. Nam quum Franciſcanos Patres, qui paupertatem omnium ſeueriſſimam profitentur, argento vel auro, quo ſibi præcisè interdicunt, emungere non poſſes, neſcio quo œſtro percitus, eorum paupertatem ludificandam tibi exiſtimâſti, quoſque Religioſos Ordines mutuâ caritate belliſſimè conglutinatos animaduertiſti, iactis

diſcordiarum ſeminibus, diſcerpere, & inter ſe collidere enixè conatus, Patrum Benèdictinorum quorum liberalem hoſpitalitatem ſæpius, quàm par eſt, hoſpes inhoſpitalis expertus es, pauperta- tem Franciſcanæ inopiæ mendaci aſſentatione, præferens, diſſidij faces adultæ paci ſubijcere, qui aliter quieſcere, niſi inquietatis alijs, non potes, ſtuduiſti. Quod ne quis me ad tui inuidiam nominis comminiſci putet; iuuat hîc aures tibi de tuâ hac inſolentiſſimâ fabulâ operosè diſſerenti præbere.

II. *Quoniam*, inquis, a *Apoſtoli*, & LXX. *Diſci- puli ante acceptam Spiritûs ſancti plenitudinem non- dum perfecti erant, ſed adhuc ad perfectionem tende- bant, eâq; de cauſâ tam ardua & difficilis virtutis præceptum* (nempe *vt ſimul pauperes, & hoſpitales eſ- ſent, & inter opes paupertatem religiosè colerent*, vt ibidem proximè antè tradis) *ferre nondum poterant, quod etiam Chriſtus Ioannis* 16. *ſic ſignificat:* Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò, &c. *Proptereà Chriſtus ſatis habuit eis prioris paupertatis, de qua dictum eſt, id eſt, leuis & expedita* (quum ſcili- cet nihil proprij, neque ſinguli, neque totum com- mune, neque vllus quiſpiam poſſidet) *onus impo- nere, per quam opes abijcerent; ſed poſtquam Spiritu ſancto repleti fuerunt, vt Euangelium eorum eſſet in virtute, & plenitudine multâ*, 1. Theſſ. 1 *nec tanta in eis virtus deſideraretur, ad prius illud paupertatis genus hoc alterum impedita grauis & oneroſa adiecit, vt opes nimirum admitterent, ſiue opere manibus faciendo par- tas, ſiue piorum hominum liberalitate collatas, ſic ta- men vt eas calcarent, nec ſibi, ſed alijs poſſiderent.* Audio operta Bonæ Deæ hactenus inaudita, quæ vt vendibiliora ſint, paulò pòſt tanquam doctrinæ Chriſti caput affers huiuſmodi: Beatior eſt pauper dans, quàm accipiens: *Quòd nihil eſt aliud*, inquis, b *ac ſi di- ceret*

a *In Aſtrologia Eccleſiaſtica cap. 7. pag. 18.* b *Pag. 29.*

auret (Chriſtus) *Beatitudinis maioris conſequendæ medium & adiumentum eſt paupertas cum beneficentiæ & communionis onere coniuncta. Cui conſequens eſt, Chriſtum pecunias in loculis ad Apoſtolorum, aliorumq́ pauperum vſus ſeruando, non imperfectis conſulere, ſed altiorem perfectionis gradum docere, nec leuioris, ſed grauioris, & difficilioris paupertatis exemplum, nec tamen niſi perfectis imitabile præbere voluiſſe. Niſi enim hoc concedatur, oſtendi non poteſt, vbi Chriſtus exemplo ſuo docuerit, Beatius eſſe eleemoſynas dare, quam accipere, quod Epiſcopos Paulus affirmat facere oportere, tanquam perfectos, quorum officium eſt ſuſcipere infirmos,* Rom. 15.

III. Sed quorſum iſta, Scioppi? eò nempe, vt gratuitum Patrum Benedictinorum hoſpitium, quo ab illis frequenter exceptus es, aliquâ calami tui ſtrenâ remuneres, adeoque vincas, eorundem Patrum Benedictinorum paupertatem præſtantiorem eſſe, ac feliciorem, quàm Patrum Franciſcanorum. Hinc eodem in libro vbi ita, vt expoſui, *a* proluſiſti, deinde negas tam Carthuſienſes, quàm Franciſcanos in Camaldulenſium ordinem admitti, *Niſi maioris perfectionis magiſtram S. Benedicti Regulam cum S. Romualdi inſtitutis ſeſe obſeruaturos voueant, & S. Brunonis leges, ac S. Franciſci formulam velut eiurent.* Subdiſque continuò id de Franciſcanis minùs miraturum, *Qui eos cogitet ab opibus abſtinere, quas non habent, Camaldulenſes autem ſicut & reliquos Benedictinos ex formula viuentes, abſtinere etiam ab illis, quas habent: illos etiam nihil officio egredi, ſi cupedias & ſcitamenta comedant, quibus donantur: Benedictinos autem id facientes nefas contrahere, præſcriptumq́ patris ſui parum ſartum tectum habere.* Hinc ibidem appingis in margine: *Franciſcanorum paupertas minùs mirabilis quàm Benedictinorum.* Hinc idem caput hiſce verbis abſoluis. *b Nullum proinde*

a *Cap. 9. pag. 34.* b *Pag. 35.*

preinde eſt dubium, ſi aquè vtrique Rechabitarum exemplo obedientes ſint iuxta omnia, quæ præceperunt eis patres ſui, *Benedictus, & Franciſcus, quin ex verbis illis Luc. 6* Beati pauperes. *Et Eccl. 31.* Beatus diues. *Et Act. 20.* Beatiùs dare, quàm accipere. *ſuum cuique hoc pactó tribuatur.*

Beati Franciſcani pauperes, ſed diuitum ſimiles, omnia vitæ neceſſaria ab alijs accipiendo.

Beatiores Benedictini diuites, ſed pauperum ſimiles, omnia vitæ non neceſſaria alijs largiendo.

IV. Hæc, & plura alia huius notæ ad hoſpitalis paupertatis panegyricum exornandum à te ſycophantioſè excogitata. Sed putáſne huiuſmodi tuas ſycophantias Patribus Benedictinis placere? egregium grati diuerſoris officium videri? acuti ingenij, obſequioſique clientis præclarum monimentum cenſeri? Falleris, totoque aberras cœlo. Viri Religioſiſſimi ſunt. Tam odioſè cum Patribus Franciſcanis ſe abs te committi, probare nullo modo poſſunt. Prudentiſſimi ſunt. Aſſentatrices tuas iſtas offucias, quibus oculis niſi toruis infeſtiſque aſpiciant? Doctiſſimi ſunt. Tua hæc mendacia, inſulſa ſomnia, emotæ mentis intemperias non poſſunt non ſtomachari. Teſtor ego complures ex laudatiſſimo illo Diui Benedicti cœtu viros integerrimos, qui ſibi tuum iſtum præpoſterum laudandi modum vehementiſſimè diſplicere, P. Laurentio Forero noſtro, vt is publico libro fidem palàm iam pridem fecit, apertè ſignificârunt. Florentiſſimus Ordo eſt, ampliſſimus, ſplendidiſſimus, propriæ virtutis, famæ gloriæque prærogatiuis locupletiſſimus. Non eget inficetis tuis fabulis, vt luceat; non poſcit ſcurriles tuas ineptias, vt niteat; non fert tenebricoſa tua commenta, vt fulgeat.

V. Sed

a *In Proteo Animaduerſ. in Aſtrol pag. 383.*

V. Sed noua tua iſta, & peregrina doctrina in præſens accuratè mihi, cuiuſmodi ſit, excutienda eſt. Scioppi, noli indignari, ſi eam paulò aſperiore cenſurâ, quanquam digno patellâ operculo, liberè perſtrinxero. Falſa eſt, ſtolida eſt, Hæreticâ lue infecta eſt. Falſitas, ac ſtoliditas in confeſſo ſunt. Paupertatem enim cum beneficentiæ, & communionis ore coniunctam, nonniſi perfectis imitabilem eſſe, ſcribis planiſſimè. At quid hoc mendacio mendacius? quid hac amentiâ amentius? Reríſne tu, quotquot Chriſtiano authorati ſunt nomini, vitamque communem ſolis obſtrictam diuinæ legis præceptis viuunt, qui, quod neceſſario victui ſuperat, pauperibus, vel hoſpitibus erogant, continuò perfectos eſſe? Hoc tibi, opinor, quanquam aliàs homini inconſulto atque præcipiti, non excidet, ne ſtultorum ſtultiſſimus habearis. Nam ſi ad Chriſtianæ perfectionis palmam lucrandam beneficentia vel hoſpitalitas ſatis eſt, quorſum tot in Eccleſiâ Chriſti, ac tam diuerſi ſtatus ad illam adipiſcendam inſtituti? quorſum tam varij ordines diſcreti? quorſum tam multæ Religioſorum virorum familiæ coactæ? quorſum tam diuturnum pertinaxque reliquarum virtutum omnium ſtudium imperatum? Nónne cuncta hæc, ſi ad interioris Philoſophiæ Chriſtianæ abſolutionem comparandam, ſpargendæ ſtipis curæ ſufficit, vel fruſtra ſunt, vel minimè neceſſaria? Quibus deliramentis ne cogaris annuere, velis nolis, fatearis neceſſe eſt, Chriſtianæ perfectionis, & hoſpitalis beneficentiæ contubernium neutiquam eſſe indiuiduũ. Quum igitur profani quoque homines, qui ab faſtigio perfectionis Chriſtianæ tam longè abſunt, nihilominùs beneficentiæ atque hoſpitalitati dent operam, plerique ſanè egregiam; qui fit, Scioppi, vt huiuſmodi beneficentia, atque hoſpitalitas à Mo-

nachis

nachis etiam imperfectis exerceri non poſſit? Quid prohibet? quid intercedit? votum ſolemne paupertatis? Duo reliqua obedientiæ, & caſtitatis? Nihil minùs. Num enim omnes, qui tria hæc vota nuncupant ſolemnia, ne dum vnum paupertatis, extemplo in perfectionis verticem euaſiſſe credis? Iterum prodigialiter inſanis, ſi ita inducis animum. Vtinam tam bene cum humanâ imbecillitate ageretur, vt qui ritu ſolemni Deo ſeſe deuouit, illico perfectionis Chriſtianæ laureâ potiretur. At longè aliter contingere, experientia ipſa conuincit. Quod ſi tamen quicunque triplici ſolemni voto Deo ſe obſtringunt, ſtatim in abſolutæ virtutis homines tibi tranſcribuntur; quâ fronte tu tot millia ex his, velut bipedum flagitioſiſſimos, ne dum valde imperfectos, Caninis tuarum Satyrarum dentibus, vt in loco docebo, a barbarè laceras? Si autem non pauci ex his adhuc imperfecti ſunt, quâ capitis vertigine circumactus, ſancis, beneficentiam atque hoſpitalitatem, ſeu paupertatem hoſpitalem ac beneficam perfectis tantùm eſſe imitabilem? At enim neque votum ipſum paupertatis ſolitarium, neque ſola hoſpitalitatis virtus perfectos reddit, vt liquet; neque item, ſi hæc illi addatur, vt palàm eſt, quum adhuc tam multa ei ad perfectionis apicem deſint. Qui igitur tua iſta hoſpitalis paupertas in perfectos viros dumtaxat cadit? Irretitus es, teneris. Scitum hoc tuum inſcitum, falſum, & fatuum, vt vici.

VI. Neque minùs veternoſa & ſtupida tua illa diſtributio: *Beati Franciſcani pauperes, ſed diuitum ſimiles.* Quo pacto? *Omnia vita neceſſaria*, inquis, *ab alijs accipiendo.* Pulchrè. Hominum mendicabula, quæ ſtipem corrogando vitam ærumnoſam tolerant, quotque dies, totidem miſerias numerant,

a *Infrà part. 3. cap. 5.*

rant, te iudice, de beatitate cum diuite Crœſo certant. Nulla ſubulæ cuſpis cum tuo iſto acumine certare poteſt. Perge. *Beatiores Benedictini diuites, ſed pauperum ſimiles.* Quo nomine? *Omnia vitæ non neceſſaria*, ſubdis, *alijs largiendo.* Catum dictum. Beatitudo & profanis de vulgo, qui alios, quo ad vitam ſuſtentandam non egent, participant, nullo negotio parabilis. Sed quis tam malè partiri ac ratiocinari, Scioppi, te docuit? Omnia vitæ neceſſaria ab alijs accipiens paupertas, te arbitro, beata eſt; non neceſſaria alijs largiens, beatior. Sed vbi linquis, vitæ neceſſaria non ab alijs accipientem, ſed proprijs ex redditibus habentem? Vtra perfectior ac felicior paupertas, hæccíne, an illa? Num habens ex redditibus? At hinc nemo pauper eſt, ſeu paupertatem leuat; profani quoque, ne dum Religioſi. Num quia ſuperuacanea, alijs ab hac erogantur? At hoc etiam profani complures præſtant. Sed pende inſuper, vnâ lance, hinc vitæ neceſſaria ab alijs accipere, illinc alterâ, vitæ non neceſſaria alijs erogare. Vtrum operoſius? honeſtius? ſanctius? Non hîc ego mendicitatis ſordes, & duram neceſſitatem moror, ſed voluntariæ paupertatis, Chriſti gratiâ præoptatæ diuitijs, prærogatiuas metior; quas ſi non deſpicis, virtutis multo præſtabilioris ſpecimen agnoſces, proprijs ſponte abdicare ſe opibus in tantum, vt vitæ neceſſaria ab alijs quæras, quàm retentis fortunis patrijs aut partis, redundantes ſolùm alijs impertire. Ergo dum hîc è contrario Benedictinos, quòd omnia vitæ non neceſſaria alijs largiantur, beatiores prædicas, falsò iuxta ac ſtolidè allucinaris.

VII. At quæro prætereà ex te, Scioppi. Quomodo Benedictini Patres vitæ non neceſſaria alijs largiuntur? num votæ paupertatis religione? Id tu non explicas. At ſcito rego. An ſi hanc

partem

partem officij non leuiter ij negligant, temerati voti noxiæ obnoxios, & ſacrilegij reos illic arbitraris? Quid ais? negas? At tum quo Franciſcanos Patres ſuperant? Quia vitæ non neceſſaria alijs donant? Donant etiam Franciſcani valde liberaliter ex his, quæ neceſſario victui ſuperſunt, ac ſuper hæc victum quoque ipſum ab alijs accipiunt. Annuis? At temerè, ſine tabulis, ſine documentis, ſine vllâ fide. Quid enim? An cunctos Patres Benedictinos, quibus, præter neceſſarium victum, quicquam domi eſt, voti paupertatis inſuper habiti, contemptique omnino manifeſtos, & ſacrilegos cenſes? Das? ſed per fallaciſſimam ſtropham, apertiſſimamque calumniam, vt compertum eſt. Inficiaris? Non ergo Benedictinorum paupertas felicior, quàm Franciſcanorum, ſed contra potiùs horum, quàm illorum. At Benedictini vitæ ſuperuacua alijs erogant. Sed non voti ſponſione. Erogant pariter hoc eodem modo & Franciſcani, inſuperque quod plus eſt, vitæ neceſſaria non ex ſuis ipſorum fundis colligunt, ſed aliunde gratis accipiunt, adeoque ſe illis beatiores probant, ac produnt, vt patet.

VIII. Quid quòd Franciſcani plura dant, & pauciora accipiunt, quàm Benedictini, qui certa vectigalia, communis eorum propria, hoſpitalitati tuendæ deſtinant? Plura erogari à Franciſcanis, Scioppi, non abnues, ſi cœleſtia terrenis, ęterna caducis potiora non inficieris. Atqui hoſpitalitas nonniſi temporaria bona ſuppeditat, vt perſpectum eſt; Euangelij autem ſerendi prouincia, aliaque *ſpiritalia* miniſteria, quibus Franciſcani ex inſtituti formulâ vacant, diuinis & minimè perituris theſauris Chriſtianos locupletant, vt patet etiam. Plura igitur iſti, quàm illi, erogant. Et tamen pauciora accipiunt,

-nam

nam hi nihil penitùs, vt quicquam, ne promiſcuo quidem communique nomine, poſſideant, ab vllo acceperunt, vel accipiunt, ſed ſolo rerum ad vitam ducendam neceſſariarum vſu contenti, cæteris abſtinent; illi verò communes & promiſcuos fundos, quos poſſident, ab alijs profectò acceperunt, quibus, qui ſe ſuis in ipſo Religionis ingreſſu exuunt, meritò fruuntur. Ergo quum Franciſcani plura, quàm Benedictini largiantur, & pauciora accipiant, vt oſtendi, eos iſtis beatiores vel tuomet ipſius calculo decernas, & temerè miſſa vox, per tuum iugulum redeat, teque falſitatis iterum ac fatuitatis conuincat, neceſſe eſt.

IX. Verùm ego tuis hiſce piaculis ac ſimilibus, dummodò Catholicæ doctrinæ fraudi non eſſent, quanquam aliàs adhuc ea multanda forent, facilè conniuerem, Scioppi. At quis ſtatim non intelligit, Vigilantium, aliosque Hæreticos tuis hiſce lituis à te recèns euocari, rurſumque in Religioſos Ordines, quos iiſdem machinamentis, quibus tu quoque vteris, olim oppugnatos Eccleſiaſtici Annales teſtantur, armari? Quò illi tenebriones graſſabantur, niſi vt Catholico Orbi perſuaderent, vitam inter homines liberè, ſuoque iure compoſitam exactamque, propiùs à perfectione Chriſtianâ, quàm Religioſis clauſtris ac votis circumſeptam (quòd eam tam multæ, pellacesque rectè viuendi remoræ obſideant, ac remorentur, hæc longè leniùs ac procliuiùs in portum feratur) abeſſe? Quò tua diſputandi ratio decurrit, niſi vt oſtendas, Patrum Benedictinorum, qui diuitias in commune collatas retinent, paupertatem, ceu pluribus & maioribus curis, difficultatibus, atque oneribus circumſeſſam, paupertate Patrum Franciſcanorum ab iſtis impedimentis liberâ eſſe perfectiorem, adeoque huic anteferendam? quò, niſi huc, vadunt, quæ in tuâ *Aſtrologia* ingeris, *a* *Be-*

a Cap.6.pag.22.

huc,

nedictinos neceſſe habere, opibus ſuis abſtinere, quod non minùs arduum ſit, quàm in medijs aquis ſitim tolerare? Quàm cumulatas ijdem Hæretici gratias tibi ex animo perſoluent, quòd eorum errores iam pridem damnatos in præſens poſtliminio bellè reuoces, tuoque iſto placito, tanquam tibicine, præualidè fulcias? Non eſt opus hîc, ſcitum hoc tuum adeò peruerſum euertere, quum id Platus *a* noſter capitato malleo dudum antè penitùs eliſerit. Quis neſcit eundem Vigilantium, Deſiderium Lombardum, & Catharos pariter Hæreticos, eſſe adopinatos, rectiùs ac meliùs eos ſibi conſulere, qui ſua prædia & poſſeſſiones ſeruant, horumque fructus egenis paulatim donant; quàm illos, qui fortunis cunctis diuenditis ſemel omnia ſimul largiuntur? Quàm proximè iſtorum veſtigia tu quoque inſiſtis, Scioppi, qui bona in communi ſita poſſidere, atque hinc beneficentiam in hoſpites ac pauperes exercere, maiori perfectioni, quàm omnia omnino Chriſti gratiâ relinquere, & cibo mendicato viuere, ſimpliciter adſcribis?

X. Vnde verò tu argumentum potiſſimum ex eo Chriſti Domini, *b Beatius eſſe magis dare, quàm accipere,* pronuntiantis effato, ſed perperam interpretato, ductum, ad tuam hanc veſaniam venditandam nactus es? vnde mutuum ſumpſiſti? vnde eruiſti? Nónne à Guilielmo de Amore, hoc eſt ab eo, qui ſanctiſſimos Ordines mendicantes olim tam hoſtiliter agitàuit, atque hac eâdem fallaciâ ac ſtrophâ indidem concinnatâ, iure cogendæ ſtipis Patres Dominicanos, & Franciſcanos interuertere annixus eſt, vt fidem locupletem quum Magnus Aquinas, *c* tum D. Bonauentura, *d* qui geminâ

a *Lib 1 de Bono Relig cap 23.* b *Act 20.*
c *Opuſ 19 contra impugnantes Religionem*
d *Opuſ de paupertate Chriſti contra M Guilielmum, ad obiectionem 5,*

minâ lucubratione veteratoris illius furias compeſcuerunt, faciunt? Nónne hoc pacto tam veterum Hæreticorum, quàm inſectatorum Religioſæ vitæ diſcipulum te oſtendis? Nónne hoc eodem ratiocinandi modo efficis quoque, S. Martham, aliosque pios homines, qui Chriſto, atque Apoſtolis vitæ neceſſaria ſubminiſtrârunt, eosque hoſpitio exceperunt, fuiſſe eodem Chriſto atque Apoſtolis, *a* ſi quidem hi acceperunt, illi verò dederunt, vt probè te redarguit Forerus, ad tuæ præſcriptum regulæ beatiores, & perfectiores? At quid hoc conſectario ſceleſtius? quid amentius? quid execrabilius? quid Hæreticæ temulentiæ propius?

XI. Quid quod tua inſana mens atque opinio cum ſummorum quoque Pontificum ſanctionibus; cum veterum Patrum tabulis, cum Doctorum decretis è regione pugnat? Ais tu perſpicuè: *b Chriſtum pecunias in loculis ad Apoſtolorum, aliorumq́ pauperum vſus ſeruando, non imperfectis conſulere, ſed altiorem perfectionis gradum docere, nec leuioris, ſed grauioris & difficilioris paupertatis exemplum, nec tamen niſi perfectis imitabile præbere voluiſſe* Sed contra apertam Gregorij IX. in *cap penul de exceſſibus Prælatorum* ſententiam, vbi teſtatur *Fratres Prædicatores & Minores in arctiſſima paupertate*, hoc eſt, perfectiſſimâ, communes quoque redditus abdicante, *Chriſto famulari.* Sed contra manifeſtum Nicolai III. in *cap. Exijt, de verborum ſignificat.* in 6. §. *Porrò* ſcitum, vbi eam paupertatem, quæ rerum omnium mancipium tum à ſingulis, tum à toto etiam communi remouet, mirificè velut abſolutiſſimam prædicat, alterique minùs perfectæ disertè præfert, tum Chriſti Domini exemplum eò tetendiſſe, vt imperfectis nonnunquam conniuendum doceret, quòd tu ferreâ & præmortui pudoris fronte negas, explicatè ita commemorat;

a *Loc. cit.* b *Loc. cit.*

morat: *Quod enim Chriſtus aliquando loculos habuiſſe dicatur, id tantum factum eſt, vt interdum infirmorum imperfectionibus condeſcenderet.* Sed contra dilucida Innocentij IV & Alexandri IV. diplomata, in quibus Pontifices Maximi *Minores* ſic alloquuntur. *Vos, qui nomine Ieſu Chriſti extremam ſuſtinetis paupertatem.*

XII. At multò antè hos Pontifices ſancti etiam Patres tuo iſti placito crucem fixerunt. Non vides D. Auguſtinum *lib. de bono coniugij, cap.* 8. ſtricto acinace ita in te ruentem; *Bene faciebant, qui de ſua ſubſtantia Chriſto, & diſcipulis eius neceſſaria ſubminiſtrabant, ſed meliùs, qui omnem ſubſtantiã dimiſerunt, vt expeditiores eundẽ Dominũ ſequerentur?* Non conſternaris hoc S. Hieronymi *contra Vigilantium*, in te quoque intorto fulmine: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus:* Chriſti Domini oraculum eſt: *ad eum loquitur, qui vult eſſe perfectus, qui cum Apoſtolis patrem & nauiculam, & rete dimittit. Iſte, quem tu laudas* (audi Scioppi) *ſecundus, & tertius gradus eſt, quæ & nos recipimus, dummodò ſciamus prima ſecundis, & tertijs præferenda.* Non expalleſcis ad huiuſmodi haſtam à Diuo Thomâ in tuam impudentiam rectà iactatam: a *Habere ſuperabundantes diuitias in communi, ſiue in rebus mobilibus, ſiue immobilibus eſt impedimentum perfectionis, licèt non totaliter excludat eam?* An non idem conſummatæ ſapientiæ Doctor, eadem Diuorum Benedicti, & Gregorij, exempla, qui communes poſſeſſiones à Religiosâ paupertate minimè excluſerunt, à nonnullis veteratoribus tui ſimilibus propoſita, vt vincerent, *non pertinere ad maiorem perfectionem, quod aliqui poſſeſſionibus careant:* multò antè, quàm tu hæc ſomnia ſomniares, in medium protulit, ſimulque hiſce totidem verbis

a 2.2 *quæſt.* 188. *art* 7.

a *Opuſc.* 17. *contra Retrahentes homines à Religionis ingreſſu, cap.* 14.

verbis non ad maiorem, ſed ad minorem perfectionem attinere demonſtrauit? a *Expedit quidem poſſeßiones communes poßidere, ſed propter eos, qui non ſumma perfectionis capaces, qualis in primis credentibus fuit, qui tamen imperfectiores omnino negligendi non erant, &c. Vnde ſi qua ſit Congregatio, in qua omnes ad maiorem perfectionem tendant, expedit eis communes poſſeßiones non habere. Quod vero B Benedictus in vita ſua amplas poſſeßiones recepit, hoc ſufficit ad oſtendendum, quod communes poſſeßiones non totaliter Monaſticam perfectionem excludunt; non autem ex hoc haberi poteſt, quòd maioris perfectionis non ſit, poſſeßionibus communibus carere, præſertim quum idem B Benedictus in ſua Regula dicat, ſe aliqua remiſiſſe de rigore Monaſticæ vitæ à prioribus inſtitutæ, condeſcendendo infirmitatibus ſui temporis Monachorum: & eadem eſt ratio de B Gregorio* An non hanc eandem doctrinam de perfectiſſimâ omnium paupertate, quæ poſſeſſionibus etiam communibus orbata eſt, cuncti paſſim Doctores, præſertim Aluarus Pelagius *lib 2. de planctu Eccleſiæ, cap. 59. & 63.* Ioannes Azor *par. 1. Inſtit. lib 1. cap 24 quæſt. 8.* Franciſcus Suarez *Tom 3. de Religione, lib. 8 cap. 9. num. 4.* & alij tradunt, vberiùs enucleant, fortiusque confirmant? Verùm etſi, neſcio qui, ſecus exiſtimare videantur (quanquam ſine probabili ratione, & fruſtra omnino, vt ijdem Azor, & Suarez *ibidem* reuincunt, præterquàm quod hi quoque eoſdem Auctores, & commodè interpretantur, & minimè diſſentire oſtendunt) quiſquámne tamen, vt tu eò dementiæ vnquam progreſſus eſt, vt genus paupertatis perfectius ab addito beneficentiæ onere metiretur, ac fabularetur? nemo vnus, nemo prorſus. Sed fac aliquem è verè Catholicis tecum forſan ita deſipuiſſe, quod falſum eſt: an non Nicolaus

a *Opuſc. 17. contra Retrahentes homines à Religionis ingreſſu, cap. 16.*

colaus à Ieſu Maria temerariam tuam iſtam effrænationem, vulgatâ *de perfectione vitæ ſpiritalis Apologiâ*, velut lupato fræno immiſſo, quum tu ipſe huiuſmodi librum Rauenſpurgenſibus typis anno ciↄiↄcxxxi. edendum curaueris, Lectorique in ipſomet veſtibulo à veritate potiſſimùm (quem etiam Magiſter Sacri Palatij Romæ probârit) pleno ore laudaueris, ita refrænat, vt obluctari nequeas? quem niſi te hæc, quæ is *Propoſ.34 pag.106.* diſputat, penitùs mactant? *Maioris autem perfectionis eſt paupertas illa, qua eſt ſine poſſeſſionibus in communi, quàm illa, qua poſſeſſiones in communi habet, vt expreſſe docet S Thomas Opuſc.19 cap 6. vbi multoties id repetit, & pluribus rationibus probat.*

XIII. Nunc quæ tua frons, Scioppi, eſt? qui ſenſus? quæ cogitatio? Negant Patres Sanctiſſimi, negant Pontifices Maximi, negant Doctores omnes, paupertatem redditibus communibus ſubnixam, beneficentiæque onere preſſam, alterâ, quæ hiſce impedimentis quoque expedita eſt, eſſe perfectiorem. Tu pertinaciter aſſeueras, & cum Hæreticis coniurare manifeſtò non cenſearis? Sanciunt ijdem, eam eſſe abſolutiſſimam, quæ bonis omnibus etiam communibus nuntium remittit. Tu id præfractè negas. Et quiſquam Catholicorum te verè Catholicum reputet? Sciſcunt ijdem, Chriſti Domini, Sanctorumque Benedicti, & Gregorij exempla, qui communes ſtipes, vel prouentus non repudiârunt, imperfectis tantummodò conſulere; tu perfectis dumtaxat imitabilia eſſe pronuntias. Et Hæretica luſtra ac ſtabula repetijſſe, liquidò non videaris?

XIV. Sed vt adipatam tuam imperitiam, Scioppi, qui illud Chriſti Domini pſephiſma: *Beatius eſt magis dare, quàm accipere*, tam abſurdè torques, iam te dedoceam; dic ſodes, cur à D. Thoma

N non

Loc cit. contra impugnantes Relig. Opuſc. 19. c. 7. ad 5.

non didiciſti, tametſi actio dandi ſuâpte naturâ laudabilior ſit, quàm accipiendi, ac propterea liberalitas in dando magis, quàm in accipiendo (quamuis qui liberalis eſt, non tantùm det, ſed etiam accipiat, teſte Philoſopho *a*) ſpectetur; nihilominùs receptionem eo ex adiuncto ac prærogatiuâ, quum his bonis omnibus non coactus, ſed volens, & Chriſto obſequendi gratiâ, ſtudioque ſe exuit, easque ad incitas redigit, vt mendicato victu opus habeat, ipsâmet datione eſſe præſtantiorem? cur Gloſſam in eandem illam Chriſti Domini ſententiam *Actor.* 20. digitum ita intendentem non attendiſti? *Non illis, qui relictis omnibus ſequuti ſunt Dominum, diuites eleemoſynas præponit, ſed illos maximè glorificat*, vtpote qui plura, & pretioſiora, nempe *ſpiritalia* atque æterna dent, pauciora autem ac viliora, corporalia ſcilicet ac mortalia recipiant. Cur D. Bonauenturam *b* rectè diſcriminantem, monentemque non auſcultâſti, ſtipis acceptionem ab ineluctabili neceſſitate imperatam poſthaberi quidem dationi, at ei acceptioni, quæ à voluntariâ iuſtitiæ ac virtutis exuberantiâ proficiſcitur, herbam ab eâdem datione porrigi? Cur Auctorem libri de Eccleſiaſticis dogmatibus id ipſum planè ſtatuentem his verbis non obſeruâſti? *Bonum eſt facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare, melius eſt pro intentione ſequendi Deum inſimul donare, & abſolutum à ſolicitudine cum Chriſto agere.* Cur denique pleraſque alias illius Chriſti Domini dicti exceptiones apud diuinarum Scripturarum Interpretes, quas hîc repetere operæ non eſt, non legiſti? non animaduertiſti? non expendiſti?

XV. At enim, *niſi hoc concedatur*, vociferaris vſque ad rauim, *o Chriſtum, ſeruatâ in loculis ad Apoſto-*

a *Lib.* 4. *Eth.* b *Loc. cit.*
c *In Aſtrologia cap.* 7. *pag.* 12.

Apoſtolorum aliorumq́, pauperum vſus pecuniâ, non imperfectu conſulere, ſed altiorem perfectionis gradum docere; oſtendi non poteſt, vbi Chriſtus exemplo ſuo docuerit, Beatius eſſe eleemoſynas dare, quàm accipere, quod Epiſcopos Paulus affirmat facere oportere, tanquam perfectos, quorum officium eſt ſuſcipere infirmos, Rom. 15. Hoc eſt telum tuum acerrimum, hoc ingenij tui acumen ſubtiliſſimum, de quo quid quæris? exclamare lubet, an cogis? *Nubes excedit Olympus.* Sed reuerà, Scioppi, tua iſta adulta inſcitia nondum è pueritiâ (monſtrum ingens!) exceſſit, & tamen omnem ſycophantiæ ac ſtupiditatis modum excedit. Quid enim? Beatius eſſe ſtipem dare, quàm accipere, Chriſtus dixit. Audio. De ſtipe tantùm corporali loquitur. Falſum. Non hac dumtaxat effatum ſuum Aſſertor Orbis anguſtauit. At Paulus corporali ſtipi *Actor.* 20. id aptauit. Rectè. Nam & hanc quoque, ne dum *ſpiritalem*, complectitur. At quando Chriſtus id ipſum exemplo ſuo, quod docuit, præſtitit? quando, inquis? nónne iam explicaui? quando ab hominibus victa & peritura accipiens, cœleſtibus ac perennaturis remetiebatur, & plura & pretioſa, quàm recipiebat, largiebatur. Abſque hoc enim foret, Martha, alijq́ue homines, qui Chriſti Domini, atque Apoſtolorum paupertatem erogatâ ſtipe leuârunt, eodem Chriſto, atque Apoſtolis ex tuo calculo perfectiores ac beatiores fuiſſent, quod iam ante ceu veſanum, atque impium exploſum eſt. Adhæc. Pecunia illa in loculis à Iudâ ſeruata, Chriſtoq́ue, atque Apoſtolis communis, quæ neceſſario eorum victui ſuperabat, atque in alios pauperes ab ijſdē conferebatur, quos, quæſo, pauperes reperiebat? complures certè non ex ipſius Chriſti nouâ diſciplinâ, rerum omnium voluntariâ abdicatione, in egeſtate verſantes, ſed inopiâ ineuitabili miſerè vexatos. Ergo id ſat eſt, vt Chriſtus ex liberalitate ſtipem dans ipſis

accipientibus ex ſolâ neceſſitudine omnino ineluctabili, beatior, etiam te arbitro, dicatur, dictumque ſuum proprio exemplo confirmâſſe exiſtimetur.

XVI. Sed quorſum id Chriſti Domini exemplum, vt perſuadeas, paupertatem, beneficentiæ legibus obſtrictam, eſſe omnium perfectiſſimam, quum hinc Sancti Patres, Pontifices Maximi, & Doctores conficiant, Chriſtum eo exemplo imperfectis tantùm indulgere voluiſſe? Hos tu verò omnes inſuper habes, & contrà decernis, perfectis dumtaxat eiuſmodi exemplum eſſe imitabile. Sed Hæreticâ temeritate, vt palàm feci. At Paulus affirmat, Epiſcopos ſtipem dare, tanquam perfectos oportere. Hóccine Paulus? vbi? quâ in Epiſtolâ? quâ Actorum paginâ? Nuſpiam. At *cap* 20 *Actor.* denuntiat Epiſcopis, *oportere* eos *ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Ieſu (quoniam ipſe dixit) Beatius eſt magis dare, quàm accipere.* Concedo. At vbi *tanquam perfectos* id *illos facere oportere*, quod tu expreſsè ſcribis, ait Apoſtolus? Tuum ingens hoc mendacium eſt, nullum talium verborum illic veſtigium. At Epiſcoporum Ordo ac Status nonniſi perfectorum eſt. Hîc aliquid dicere videris, ſed anceps, neque ad rem. *a Epiſcopos paſtorale aſſumentes officium, obligare ſe ad ea, quæ ſunt perfectionis*, Theologorum, Aquinate Magno anteſignano, decretum eſt; Epiſcopos verò omnes eſſe perfectos, neque ij aiunt, neque tu fers, qui plurimos ex illis ceu improbiſſimos & ſuillam vitam ducentes intolerabili licentiâ, vt infrà conſtabit, vituperas. Perfectos autem ſtatim, atque Sacro illo Ordine initiati ſunt, eſſe debere, neque Doctores ſanciunt, neque tu euinces; quanquam ad conſummatam virtutem adipiſcendam niti, ipsâ officij religione obſtricti cogantur, vt ijdem ſtatuunt, ideoque

a 2.2. *quaſt*. 184. *art* 5.

ideoque non delinquere Epiſcopum, qui quum perfectus non ſit, *a* eum *perfectionis ſtatum aſſumit, ſed qui ab intentione perfectionis animum reuocat*, ſapienter reſpondet Thomas, eademque ratio & de perfectione poſteà necdum comparatà, vt liquet, eſt. At enim Epiſcopi omnes in ſtatu perfectionis ſunt, & quidem exercendæ, non acquirendæ, vt Religioſi, atque adeò in ſtatu perfectorum, & alios perficientium, vt ex eodem S. Thomà tradunt ſine controuerſià Doctores. *b* Fateor. Sed quid hinc tandem conficitur, niſi *Epiſcopos ex propria ratione ſtatus*, vt egregiè notat Valentia, *c debere ea opera caritatis exercere, quæ ex natura ſua ad Magiſtrum, & Ducem*, hoc eſt, ad virum perfectum, perfectoremque aliorum, *pertinent, cuiuſmodi ſunt monere, docere, corrigere, in omni virtutum genere alijs exemplo prælucere?* Sed tamen licèt aliqui ex Epiſcopis imperfectiores ſint, quàm aliqui Religioſi, qui in ſtatu perfectionis non acquiſitæ, ſed acquirendæ verſantur, nihilominùs *ſi conuenienter illi qualicunque caritati, opera genere ſuo perfectiora præſtent, pro loco & tempore, tutâ conſcientia ſunt*, addit idem Valentia, ſtatimque id ſeu temperans, ſeu magis enucleans, ſapienter ita concludit. *Quare etſi Epiſcopus non propterea ſit in mortali, quod non antecellat in actuali perfectione caritatis omnibus Religioſis, tamen reus peccati mortalis erit, ſi quantum eſt in ſe, non conetur per exercitia pia Epiſcopo conuenientia, maiorem perfectionem caritatis aſſequi, quàm ſit communiter perfectio Religioſorum.*

N 3 XVII.

a *Ibid. Ad 2.* b *Loc. cit. Art. 7.*

c *Apud Valentiam* Tom. 3. diſp. A I. q. 2 punct. 4. *Suarez* Tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 15. num. 5. & ſeqq. & cap. 18. *Ferdinandum à Caſtro Palao*, Tom. 3. tract. 16. diſp. 1. punct 1. num. 2. *Valentia* loc. cit. verſ. Ad ſecundum argumentum.

XVII. Verùm age, Scioppi, age. Epiſcopi omnes perfecti omnino ſint, ne dum in ſtatu perfectorum. Num propterea munus elargiendæ ſtipis, quod Paulus *Actor.* 20. Epiſcopis inculcat, nonniſi in perfectos cadit? Maximè. Alioqui documentum meum hinc expreſſum, eſſet ficulnum. Ficulnum planè. Maximè autem? Nempe deliras iterum quàm maximè! Interrogo te. Timotheus Apoſtoli diſcipulus erátne Epiſcopus? Sanè quidem, Epheſi. Inficiari nequis. Nihílne verò huic Epiſcopo idem Apoſtolus pręcipit? Imò plura: nimirum a vt *viduas, quæ veræ viduæ ſunt, honoret; vt adoleſcentiores vitet; vt caſtum ſe cuſtodiat; vt medico vino propter ſtomachũ, & frequentes infirmitates vtatur*, & pleraque alia. An igitur quicunque aliquid iſtorum vel omnia etiam ſimul expleuerit, & veras viduas venerationi habuerit, & adoleſcentiores earum vitauerit, & caſtimoniâ excelluerit, & vinum parcè libauerit, continuò perfectus erit? Hæc tua certè admirabilis Dialectica eſt; ſi tamen verum audire vis, adeò præpoſtera ac nugatoria, vt eius vel ipſos quoque opiliones ac bubulcos non mediocriter pudere debeat; tibi nihilominùs ſummopere neceſſaria, vt vincas, erogandæ ſtipis prouinciam Epiſcopis decretam, à perfectis dumtaxat obtineri poſſe. Atqui vel Tranſtyberini homines, aut Subroſtrani tenent, hæc eadem officia virtutum, caſtitatis, temperantiæ, beneficentiæ, & aliarum ab ijs quoque, qui nullo in ſtatu perfectionis ſunt (vt profani) obiri, & quidem accuratè, ac ſtrenuè, quos tamen à perfectionis metâ, quin ab eius ſtudio quoque longè abeſſe, compertum eſt, tantum abeſt, vt perfecti ſint. Quid quod improbi etiam nonnulli in ſubleuandâ egenorum miſeriâ liberales admodum ſe præſtant? An & hi confeſtim perfecti tibi euadent? Quidni? pulchrè

a 1. *Timoth* 5.

pulchrè id ſcilicet cum tuâ iſtâ præclarâ philoſophandi ſollertiâ concinit. *Epiſcopos*, inquis, *Paulus affirmat, eleemoſynas dare oportere, tanquam perfectos.* At ſint licèt perfecti Epiſcopi, *eleemoſynas* tamen *dare* etiam imperfectorum eſt, vt paret. Sed mox monſtrum aliud, quum dixiſſes *oportere eleemoſynas dare tanquam perfectos*, proximè ſic enitens, *quorum* (nempe perfectorum, ſeu Epiſcoporum) *officium eſt ſuſcipere infirmos*, Rom. 15. Rogo te, Scioppi, ſi ridicula portenta deſtinatò excogitare ac funditare voluiſſes, poteráſne vllum ineptius, deformius, ac ſtultius comminiſci? Quid? Paulus Apoſtolus in Epiſtolâ ad Romanos quos alloquitur? ad quos ſcribit? quos inſtituit? Num ſolos perfectos? an Epiſcopos tantummodò? Itáne Romani illi, quos admonet, cuncti Epiſcopi? cuncti perfecti? Faceſſe hinc; Anticyram nauiga, elleboríque modio tantam inſaniam dilue. Quid igitur attinet à Romanis, inter quos plurima imperfectorum turba, perfectionis teſſeram arceſſere, ac dementer obtrudere? Quid ampliùs? vbi, quæſo, Apoſtolus illo *cap* 15. *ad Romanos*, ait, *perfectorum officium eſſe, ſuſcipere infirmos*? Ipſo ſtatim initio hiſce totidem verbis: *Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.* At quæ hic, Scioppi, Apoſtoli Epiſcopis, aut perfectis ſuadentis, ſtipes infirmis eſſe erogandas, mentio? nulla. Opponit quidem, vt obſeruant Interpretes, *a* infirmis infirmiores, inhetque hos non proprijs commodis cum offendiculo etiam infirmorum velificare, de quibus proximo capite anteà egit, quò alludit, imò & redit; ſed aliorum potiùs imbecillitati conſulere: de Epiſcopis verò vel perfectis nullus ibi ſermo.

XVIII. Ex quibus omnibus ritè ſupputatis, ſatis iam perſpicuâ in luce poſitum eſt, quàm Hæretica

a *Cornel. Iuſtin. &c.*

tica tua doctrina ſit, quàm conferto intemperiarum, allucinationum, ac deliriorum comitatu ſtipata, quàm flagitioſo ſacrarum literarum mangonio, fraude, imperitiâ, ac malo dolo fabricata, quod initio à me tibi crimini iure datum, luculenter iam demonſtraui.

Cap. XI.

Nona Scioppianæ Hæreſis teſſera, noua ac temeraria doctrina de Epiſcoporum paupertate.

I. EX inope paupertate diues, neſcio quo modo, Scioppi, inſaniarum copia tibi prouenit. Infelix omnino prouentus. Vix enim Patrum Franciſcanorum paupertatem ludibrio admodum inſolenti eleuâſti, quum ecce Epiſcopis quoque omnibus paupertatem ex Patrum Benedictinorum formulâ colendam Stoico ſupercilio imperas, ac ni extemplo pareant, in Orcum cunctos detrudis, Rhadamanthus planè inexorabilis; vel certè vno partu monſtrum vtrumque in lucem edis: monſtrum ſanè deforme, ingens, tætrum, infandum.

II. Neque eſt Vertumne fallax, cur tergiuerſeris, aut obſiſtas. Nam quid tuâ in *Aſtrologiâ, cap.6.7.* atque 8. tam multas è ſacris libris ſententias conſarcinas, niſi vt Epiſcopos iuxta & Benedictinos pari paupertatis lege teneri doceas? quid ſibi ea volunt, quæ inibi *cap.8.pag.29.* enodatè ſcribis: *Paupertas igitur, quam Epiſcopi, velut perfecti præſtare debent, quamq; filijs ſuis S. Benedictus in Regula imponit, verè Euangelica eſt, & Apoſtolica,* niſi paupertatem Epiſcoporum eodem prorſus loco numeroque, ac Benedictinorum eſſe habendam? Quod ex illo Chriſti Domini conſilio Matth. 10. *Nolite*

lite poſſidere aurum, neque argentum, tum alijs ex pronuntiatis *cap.5.* eiuſdem *Aſtrologiæ pag.* 18.& 19. contendis, voluntariam paupertatem ijs, qui initio teſtimonium fidei Catholicæ pręſtare cupiunt, eſſe perneceſſariam, & ſi qui talem paupertatem non experiantur, teſtes idoneos minimè eſſe, neque cum Chriſto colligere, vt Paſtores animarum, ſed ſpargere vt lupos; niſi vt Epiſcopos omnes, qui Catholicæ fidei tuendæ, ac propagandæ ſtudere debent, neque tamen huiuſmodi paupertati dant operam, probroſo conuincio inceſſas, ac vulneres?

III. At quis te improbus genius, Scioppi, in has intemperias impulit? quæ læua te mens adeò tranſuerſum egit? quo furore abreptus, hæc portenta tam flagitioſa cudiſti? Quæro de te. D. Benedictus quâ paupertatis compede, alumnos ſuos ac filios arctari voluit? illâ nempe, vt conſtat, quæ voto deuincta eſt, communéſque redditus ita quidem participat, vt nihil in cuiuſquam priuati mancipio ſingillatim eſſe ſinat. Ex tripode. Quæro rurſum, Epiſcopi, quum initiantur, votóne paupertatis; ſponte, an præcepto adacti, ſeſe obſtringunt, atque huiuſmodi voto, quo minùs quicquam proprij iure habere queant, prohibentur? Somnia. Quis hæc vnquam ſomniauit? Fallor. Hæretici Manichæi tuis hiſce deliramentis non obſcurè iam olim proluſerunt, tuque pro tuâ ingenioſâ ſollertiâ Hæreticorum rudera eruderandi, antiquam cramben pronuper recoxiſti. Nam tametſi illi voti religionem Epiſcopis nominatim, vt tu, minimè iniecerunt, generaliùs tamen Clericis omnibus iure temporalia bona poſſidendi, quemadmodum M. Antonius Columna Marſilius I.C atque Archiepiſcopus Salernitanus *part.3. de Eccleſiaſt. Redditnum origene, & iure, cap* 11.*nū.*17. Dominicus Sotus *lib* 10.*de Iuſt. quæſt.*4 *art.*1. & Petrus Sotus *de Inſtit. Sacerd. Lect.*2. tradunt, interdixerunt.

xerunt. Quem manifeſtarium ac pudendum errorem, iam pridem à Patribus in Concilio Agathenſi fuiſſe iugulatum, apud Doctores in confeſſo eſt. At tu hunc ipſum ſi non integrum, ſaltem dimidiatum, dum facultatem cuiuſcunque rei familiaris proprio nomine poſſidendæ ſingulis Epiſcopis ex æquo, ac ſingulis Benedictinis aufers, his quidem rectè, at illis perperam, denuò effodiendum exiſtimâſti.

IV. Cum Manichæis quoque VVicleffus, Hæreticus pariter inſaniens, quo argumento cuncta bona Eccleſiaſtica, niſi illo Chriſti Domini enuntiato, malè intellecto: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum*, vt Thomas VValdenſis *lib.4 doctrinæ fidei art.3.* oſtendit, arietat? Tu huic ſuccenturiatus, indidem prorſus arma ſubdolè petens, vnumquemq; Epiſcoporum, fortunarũ dominio (quod ſingulis Benedictinorũ, voto paupertatis ſolemni omnino aboletur, quibus tamen eoſdem Epiſcopos pares facis) Hęretico planè auſu abdicas. Quid enim in Catholicâ Eccleſiâ peruulgatũ magis, quàm Epiſcopos in bonorum temporalium poſſeſſionem venire, pecuniæ dominos fieri, patres eſſe rerum ſuarum? An non olim in Concilio Agathenſi *cap. 48.* palàm factum eſt, Epiſcopis ius faſque eſſe teſtamenta conſcribendi, hæredes nuncupandi, cui libuerit, ſua legandi? An non à Gratiano in alteram *Decreti* partem 12. *quæſt.1. cap.19.* eiuſmodi ſcitum hiſcę perſpicuis verbis relatum legimus? *Epiſcopi de rebus proprÿs, vel acquiſitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus ſuis, ſi voluerint, derelinquant.* An non complures aliæ tum Conciliorum, tum Summorum Pontificum tabulæ, quas Bellarminus *lib.1. de Clericis, cap.26.* recitat, bonorum dominium Epiſcoporum apertè aſſerunt? An non plurimorum etiam Seculorum vſus, & conſuetudo idem planè iiſdem tribuit? An non Sanctiſſimi quoque Anti-

ritum proprijs quondam etiam redditibus fruebantur. Nihílne verò propriarum poſſeſſionum Athanaſio fuit, nihil Burcardo, nihil Edmundo, nihil Epiphanio, nihil Irenæo, nihil Eteluoldo, nihil Carolo, nihil tot tamq́ue multis alijs Epiſcopis ſapientiâ, integritate, ſanctitudine florentiſſimis? Quis id mentiri auſit? quis non vereatur, ne tam inconſultum mendacium ab omni vetuſtatis memoriâ, cunctiſq́ue Annalium monumentis obruatur? Quid? D. Ambroſius *Epiſt.* 33 *ad Marcellinam*, nónne diſertè teſtatur, ſe, quum rogaretur, vt templum vnum Arrianis indulgeret, promptè patrimonium ſuum obtuliſſe, patrimoniū autem Chriſti tradere noluiſſe? Ipſemet Theologorum Coryphæus D Thomas nónne ex deſtinato quęſtionem proponit. *Vtrum Epiſcopus poſſit habere proprium*, eamq́ue dilucidè ita definit? a *Dicendum, quod ad ea, quæ ſunt ſuperogationis, nullus tenetur, niſi ſe ſpecialiter ad illud voto aſtringat. Manifeſtum eſt autem, quod viuere abſque proprio, ſuperogationis eſt. Non enim cadit ſub præcepto, ſed ſub conſilio. Vnde Matth.* 19. *quum dixiſſet Dominus adoleſcenti:* Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata; *poſteà ſuperaddendo ſubdidit:* Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. *Non autem Epiſcopi in ſua Ordinatione, ad hoc ſe obligant, vt abſque proprio viuant; neque etiam viuere abſque proprio ex neceſſitate requiritur ad paſtorale officium, ad quod ſe obligant Et ideò non tenentur Epiſcopi ad hoc, quod ſine proprio viuant.*

V. Quæ omnia quum ſint, apud Catholicos exploratiſſima, quæro, Scioppi, ex te; vbi aliquis in Epiſcoporū Ordinem cooptatur, dominióne ſuorum bonorum, quæ priùs habebat, excidit? Quid ais? Negas? ergo teipſum mendacij, quum Epiſcoporum paupertatem eandem, ac Benedictinorum tam operosè conſtituis, palàm conuincis. Singuli

a 2.2 *quæſt.* 185. *art.* 6.

guli quippe Benedictini, ſimul ac Paupertatem Deo ritu ſolemni vouerunt, quouis bonorum ſuorum iure, quo antè potiebantur, penitùs exuuntur, vt compertum eſt: Epiſcopis verò, quum inaugurantur, nihil deinde iuris, nihil bonorum deperit, vt probatum eſt, & tu hîc das. Igitur mendacis ſycophantiæ omnino teneris. An dominio fortunarum, vbi infulam ſumunt, orbantur? Hoc enimuerò tibi, vt tuo mendacio laruam inducas aliquam, neceſſariò comminiſcendum. At non minùs impudenter, quàm imprudenter Hæreticam tuam perfidiam, qui inſolentem adeò opinationem contra iuſſa Pontificum, contra Sanctiones Conciliorum, contra Patrum decreta, contra Doctorum omnium ſententiam in Chriſti Eccleſiam, Hæreticorum iuratus aſſecla inuehis, in propatulo collocas, vt ex rationibus & documentis antè ſubductis certò perſpectum eſt.

VI. Nequaquam, inquis. Chriſtus Dominus auri argentique abſtinentiam Apoſtolis, quorum vices Epiſcopi in Eccleſiâ Catholicâ obeunt, *Matth.* 10. indixit. *Nolite,* inquit, *poſſidere aurum, neque argentum.* At quomodo tam expreſſo Chriſti imperantis præcepto obſequantur Epiſcopi, niſi quæcunque patrimonia ac bona à ſeſe ablegent, neque ſecus, ac Benedictini Patres, depauperentur? At quid agis, Scioppi? non cernis, cauſſam tuam à teipſo iugulari? Scitor ex te. Vetátne Chriſtus illo interdicto, ne vlla auri argentique poteſtas neque penes Apoſtolos, neque penes horum ſucceſſores Epiſcopos in perpetuum ſit? Vetat? nulla igitur neque ab illis, neque ab iſtis bona poſſideri, ne promiſcuè quidem, ne dum ſingulatim potuiſſent, neque adhuc poſſent, quum Chriſtus eiuſmodi edicto nihil exceperit. Quæ ſanè VVicleffi Hæretica amentia fuit, tibi etiam, qui Epiſcopis & Benedictinis communia bona

per-

permittis, infeſta. Adde quod, ſi ita peruersè illud Chriſti monitum accipiendum eſt, vt tu vnà cum Hæreticis auctor es, ipſimet Apoſtoli, qui pecunias à Chriſtianis in ſtipem collatas, quo ſeſe, & alios alerent, vt ex *cap* 4 5.& 6.*Actorum* liquet, ceperunt, graui ſe crimine temerati illius præcepti obſtrinxiſſent, quod nemo niſi Hæreticus tibi geminus, effutiuerit. Nec tu ipſe profectò, qui huiuſmodi paupertatem cordi non habes, neque auri argentique abſtinentiam, niſi quum tuus vidulus penitùs exaruit, profiteris, idoneum Ieſu Chriſti teſtem, etſi talem maximè te iactas, præſtare potes. Non vetat? ergo tuo Hæretico tranſfugio aſylum nullum reliquum eſt.

VII. Porrò ad pinguem tuam iſtam inſcitiam pellendam, impudentiamque componendam diſce primùm ex D. Hieronymo, *a* vt notat D.Thomas, *b* illis Chriſti verbis Concionatores doceri, ne Apoſtolicum munus lucrandi animas, humanæ ſapientiæ, atque eloquentiæ negotium præcipuum exiſtiment. Diſce deinde ex D. Auguſtino, *c* ea Chriſti verba non tam præcipientis, quàm permittentis fuiſſe, vt integrum eſſet Apoſtolis ſine auro argentoque ac alijs ſumptibus ad Euangelium ferendum propagandumque proficiſci, quum eos ſumptus illi ipſi, quibus id intuliſſent, eſſent vltro largituri. Quocirca ſtatim ibi ſubdit: *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.* Quanquam non prohibet, ſi aliquis vel proprijs impenſis Euangelij ſtipendia facere velit, quin poſſit, vt Paulus 1.*Cor.*9. exemplo ſuo præſtitit. Diſce denique ex D. Ioanne Chryſoſtomo, illud Chriſti Domini qualecunque mandatum non generatim ad cunctos Apoſtolicos viros pertinere, ſed vnicà illà Apoſtolorum ad Iudæos legatione circumſcribi, quò in eà

a *Ibid.* b *Loc. cit. ad* 2. c *Lib.de Conſenſ. Euangel. in ea verba Matth.*10. d *Ibid.*

experti, victum ſibi ſine proprijs ſumptibus præberi, ad confidendum diuinæ illius virtuti excitarentur. *Ex quo tamen*, inquit S. Thomas, *a non obligabantur ipſi, vel ſucceſſores eius, vt abſque proprijs ſumptibus Euangelium prædicarent. Nam & de Paulo legitur* 2. Corinth. 11. *Quod ab alijs Eccleſijs ſtipendium accipiebat ad prædicandum Corinthijs, & ſic patet, quod aliquid poſſidebat ab alijs ſibi miſſum. Stultum autem videtur, quod tot Sancti Pontifices ſicut Athanaſius, Ambroſius, & Auguſtinus illa præcepta tranſgreſſuri fuiſſent, ſi ad ea ſeruanda ſe crederent obligari.* Vnde Hæretica tua imperitia, ac ſtropha ſat ſuperque reuincitur. Sed ad aliam modò pergamus.

a *Ibid.*

Cap. XII.

Decima Scioppianæ Hæreſis teſſera, falſa doctrina de precibus, ac meritis contemplantium.

I. ETſi piceatas tibi eſſe manus, Scioppi, non me fugit; adeoque Epiſcopos omnes cunctis diuitijs, ac patrimonijs interuertere (fortaſſe quod argentum aurumque tuis præſtigijs, minùs, quam velles, copioſum ab ijs eblandiri potuiſti) quanquam inauſpicato, fruſtratoque, vt oſtendi, conatu, ſtuduiſti: neſciebam tamen te adeò facinoroſum ac perditum euaſiſſe, vt vel ipſi Deo eaſdem manus inijcere ſceleſtiſſimè auderes, niſi me tuum incorruptum chirographum id me planiſſimè docuiſſet.

II. Non longè abeo. Ipſa tum *Anatomia* (quid niſi immanis carnificina, ex famæ atque exiſtimationis tot innocentium lancinatæ ſectionibus coagmentata?) vt perfidiæ atque impudentiæ totas

tas habenas immittit, ita Dei interminatam potentiam turpiſſimè cædit, anguſtiſſimè marginat, intra lineas flagitioſiſſimè coërcet. Quippe preces contemplantium tanto in pretio illic habes, vt Deum ijs obſiſtere, aut contra horum cogitationes quicquam mouere poſſe, rotundè neges. Sed ne queraris, Punicâ fide, quid ſentias, me interpretatum, tua tibi verba ſyllabatim enumero: *Quumq́; quo plus quis Deum amat*, inquis, *a tanto plus ab illo diligatur, ſic fit, vt contemplatiui velut gratioſiſſimi eius familiares omnia apud illum poſſint; imò etiam Deus nihil poſſit contra ipſorum non modò vota ac preces, ſed etiam cogitationes.* Scio equidem pleraque hominibus, quæ ſupra naturæ totius vires ſunt, per hyperbolen tribui. Sed noui quoque ab eo, qui penſiculatè loquitur, vocem aliquam adijci, quæ figuratum loquendi genus indicet, ſimulque leniat. Fateor in oratione mentem potiùs ſcribentis, quàm verba, nonnunquam penſandam: Sed, quum aliqua grauis circumſtantia, ita omnino iubet. Non ignoro Apoſtolum *b* denuntiare, ſe *omnia poſſe*. At non excidit, quod mox attexit; *in eo, qui* illum *confortat*. Cæterùm quod tu adeò abſolutè ac ſimpliciter, tantâque confidentiâ pronuntias, Deum *contra contemplatiuorum non modò vota & preces, ſed etiam cogitationes nihil poſſe*, tam apertè falſam, impiam, omninoque Hæreticam tuam doctrinam prodit, quàm manifeſtò diuinæ Scripturæ paſſim teſtantur, Deum *omnia poſſe*, ac quæcumque vult, facere, neque vllum voluntati illius poſſe obluctari.

III. Interrogo enim te, Scioppi, ſine fuco, ac fallaciâ. Contemplatorum aliquis potéſtne aliquid velle, quod Deus non velit? quippini? quid intercedit? quid vetat? poteſt? ſine dubio, alioqui

qui

a *In Anatam pag.78.*
b *Philip.4.*

qui libero ſpoliaretur arbitrio, & neſcio quas compedes ineluctabiles voluntati in anteceſſum iniectas, pecudis inſtar, quod dictu nefas eſt, experiretur. Vbi verò contemplatiuus, ſeu contemplator aliquid vult, quod Deus non vult, num continuò ita obæratum ſibi habet Deum, vt diſſentire non poſſit? Habet? ergo Deum vel repugnantem trahit. Ergo Deum obſiſtentem cogit. Ergo Deum amiſsâ libertate in vincla compingit, quod impium iuxta ac veſanum eſt. Non habet? Igitur à contemplatiuo diſſidere poteſt Deus. Extra controuerſiam eſt. Diſſideat. Igitur aliquid contra vota & cogitationes contemplatiuorum, quod temerè ac ſtultè inficiaris, poteſt. Quidni enim Deus, quod votis contemplatiui aduerſum vult, poſſit facere? Nemo, niſi Hæreticus compar tuus, ambigat. Poteſt, inquis, Deus à contemplatiuo diſcordare, poteſt aliter agere. At nunquam aliter agit, nunquam diſcordat. Verùm anterides iſtæ, Hæreticæ tuæ præcipitantiæ fulciendæ, ſatis non ſunt. Labant, nutant, ruunt. Quippe non factum diſcordantis Dei vel ſecus agentis, ſed poteſtatem contra quicquam mouendi explicatè negas. *Vt Deus nihil poſſit*, ais, *contra contemplatiuorum non modo vota ac preces, ſed etiam cogitationes.* Ad factum verò quod attinet, quo pacto tu diuinæ voluntatis, contemplatorum votis nunquam refragantis arcana, tam liquidò explorâſti? quando illius Conſiliarius fuiſti? qui tam repentinò tam abditi myſterij interpres ac vates in orbem prodijſti? quibus ex tabulis ſempiterni diplomatis ſtatam hanc legem, Numinis ſuam voluntatem ac potentiam contemplatiuorum nutibus addicentis eruiſti? O delirantis ſenis intemperias! ô furentis nugonis monſtra! Quoties Deus vult pleraque, quæ viri quoque ſanctiſſimi, & contemplationi penitùs deuoti, minimè volunt? Quoties hi diuinam

diuinam voluntatem exorare non poſſunt? Quoties Dei iuſſu complura aliter accidunt, quàm iidem optârint? obſecrauerint? cogitauerint? Teſtor hîc omnem ſacrorum Annalium memoriam. Quid? Ipſemet Dei Filius Chriſtus Ieſus, an non ter æternum Patrem, vt amari calicis potionem abſtineret, rogauit, & tamen id Pater noluit? Num Orbis Aſſertorem, quia Pater, quod ab eo rogatus fuit, noluit, minùs contemplatiuis potentem, aut minùs contemplatiuum dices? Id ſcilicet ad Hæreticæ tuæ impietatis cumulū deeſt.

IV. Sed quibus tu documentis tam portentoſum de Numine, contemplatiuorum cogitationibus obſecundante, ac ſine reluctandi facultate placitum probas, Scioppi? Quaſi verò, inquis, ſtatim atque hoc ego propoſui, exempla Lothi, *Geneſ.19.verſ.23.* Moſis, *Exod.12.verſ.10.* Ioſuæ, *Ioſu.10.verſ.14.* & Iobi, *Iob.42.verſ.8.* non protulerim. Protuliſti, non eo inficias; ſed malis auibus, ſed tibi infeſta, ſed aliena cauſſæ. Quibus enim de viris diſputatio à te inſtituta eſt? de contemplatiuis certè, ſi non oblitus es. Et tu mihi inter contemplatiuos recenſes Lothum, Moſen, Ioſue, Iobum? *a* Lothúmne, hoſpitalitatis ſtudioſum? Moſen populi toties tumultuantis ducem? Ioſue acerrimum bellatorem? Iobum Dynaſtam ac principem, multiſque propriæ familię curis implicitum? Sic opinor, & milites, & reges, & magiſtratus, & Prætores, & quique Patresfamilias à te in contemplatiuos translatiuâ operâ tranſcribuntur; quod puſiones de triuio ingeſtis certatim thyrſis, digno nimirum plauſu actutum excipient. Nam quem tu, obſecro, contemplatiui nomine deſignas? quem intelligis? an eum quoque, qui precibus aliquid à Deo aufert? auferunt quoque innumeri Chriſtianorum, tametſi contemplationis ignari prorſus,

a *Geneſ.19. vt ibi Cornelius.*

ſus, quin plerique etiam improbi, & facinoroſi: quum & libidinoſorum votis quoque, bona temporaria honoris, pecuniæ, valetudinis flagitantium annuat interdum Deus, quò videlicet reſipiſcant. An eum, qui ſoli contemplationi totum ſe impendit? At tales nequaquam fuerunt Iobus, Ioſue; Lothus, Moſes, vt palàm eſt. An eum, qui partim contemplationi, partim actioni vacat? At inſolens omnino hæc tua ſubiecta temerè voti notio, quum non minùs actiuus, quàm contemplatiuus ſit. An verò quia Deus ſemel alicuius precibus cedit, extemplo tu conficis, nihil eum contra contemplatorum vota nec velle, nec poſſe? Sanè tua hæc admirabilis Dialectica, & Theologia eſt, quam vel ruſtici mediaſtini iure explodant. Quid? an Deus Moſis vota & cogitationes omnes ſemper expedito euentu donauit? nunquam fruſtratus eſt? quantâ ille viſendæ Palæſtinæ diuinitus toties promiſſæ cupiditate flagrabat? & tamen eius ingreſſu à Deo prohibitum, & morte præuentum ſacra Hiſtoria *Deuteron.* 32. *verſ.* 49. & *cap.* 34. *verſ.* 4. commemorat. Iobi ſolicitam pro amico orationem non ſurdis à Deo auribus auditam ex *cap.* 42. *verſ.* 4. eiuſdem libri compertum eſt. Sed num propterea quicquid à Deo idem petijt, ſemper obtinuit? Imò verò repulſam ſe accepiſſe, teſtis ipſemet locupletiſſimus eſt, *cap.* 30. *verſ* 20. ita gemebundus expoſtulans; *Clamo ad te, & non exaudis me: ſto, & non reſpicis me: mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tua aduerſaris mihi.* Hæcíne autem, Scioppi, demum ſunt Dei contemplatiuorum precibus ſuccumbentis experimenta? Imò pudenda totidem tua mendacia. Iſtáne indubitata teſſera, Deum nihil aduersùs Contemplatorum vota poſſe, quum Moſis, & Iobi, quos tu contemplatiuis accenſes, vota inſuper aliquando habuiſſe certum ſit? Imò manifeſtum delirium

tuum.

tuum. Itáne Moſen, Iobum, & alios adeò actuoſos in Contemplatiuorum cenſu ponis? ſed ridiculo tui capitis inſanientis ludibrio. Atque huc tandem Hæretica tua doctrina, Dei potentiam contemplatiuorum cogitationibus perpetuò mancipans recidit, tam magno præterea tuæ inſcitiæ, atque ineptiarum auctario locupletata.

V. Sed quid, Scioppi, de contemplatiuorum meritis exiſtimas? quid decernis? quid? omnes planè labores, ſiue diuinæ prædicationis miniſterio, ſiue ſacramentorum diſpenſatione, Chriſti, proximorumque cauſsâ ſuſceptos illorum pretio longè eſſe inferiores. Nihil te moror. Tua ſyngrapha è tua *Aſtrologia* in promptu eſt. *Vna dies*, inquis, *a homini in contemplatione exacta, multò maiora bona quum ipſi, tum alijs confert, quàm mille dies in actione conſumpti, ſiue quis in ſcholis doceat, ſiue in Eccleſia verbi, & ſacramentorum diſpenſatione occupetur.* Satiſne dilucidè? Neque minùs perſpicuè eodem in libello, idem repetens ferè, *Contemplationi vacare longè Chriſto gratiùs* (inquis *b*) *accidit, quàm quicunque labor ipſius & proximorum cauſâ ſuſceptus.* At quiinam is labor? paulò pòſt ibidem ſic enucleas: *c Et quamuis* (contemplatiuus) *tam ſolicitus non ſit, nec erga plurima turbetur, & circa frequens miniſterium verbi, & ſacramentorum non æquè ſatagat, ac vita actuoſa ſectatores, hoc maiorem bene de proximis merendi voluntatem, & facultatem habet.*

VI. Sed vnde, rogo, Scioppi, vnde ad huiuſmodi meritorum præſtantiam vitæque contemplatiuæ prærogatiuas diſcernendas, expendendas, attollendas trutinam ſumpſiſti? vnde examen & lances? Ab oraculo, ais Magni Aquinatis, cuius verba ex 2.2. *qu* 24. *art.*8. in eadem tua *Aſtrologia cap* 12. *pag.*

a *In Aſtrologia cap.*2.*pag.*9.
b *Cap.*12 *pag.*43. c *Pag.*44.

pag. 44. hæc refers: *Quando aliquis ſtudium ſuum deputat ad vacandum Deo, & rebus diuinis; prætermiſſis alijs, niſi quantum neceſſitas vitæ requirit, iſta eſt perfectio caritatis, quæ eſt poſſibilis in via, non tamen eſt communis omnibus caritatem habentibus.* Egregiè, præclarè. Hanc ego Theologi doctrinam vltro venerabundus exoſculor. Sed quorſum iſthæc? Quid hinc tu exprimis? quid extundis? Recitatâ S. Doctoris ſententiâ, appingis proximè mirificum è tuo ingenio interpretamentum hiſce verbis: *Id eſt, alij, qui vitam actiuam colunt, ſeq; ſaluti proximorum impendunt, habent quidem caritatem, ſed non perfectam, vt contemplatiui, adeoq; nec tantam proximos iuuandi voluntatem*

VII. Hóccine verò, Scioppi, docet S. Thomas? hoc ſancit? Nimirum Hæreticis ſolemne eſt, varia nunc diuini voluminis, nunc veterum Patrum, nunc Catholicorum Doctorum loca ad fucum faciendū, tametſi à propoſito quàm longiſſimè aberrantia, corradere, vulgatas in Chriſti Eccleſiâ doctrinas ſubruere, noua & fœda monſtra in dies parere, quod tu etiam ſtrenuè æmularis. Dic enim, quæſo te, túne D. Thomæ enuntiatum intelligis? tam commodè, ac Iaponum linguam. Fallor. Intelligis, ſed peruersè, ſed ſtolidè. An huius iudicio ſtare vis? detrectare non potes. Tu prior idappellâſti. At tuo ingenti malo perijſti funditus. Num enim ſingulare atque inſigne diſciplinarum omnium luminare, eos, qui proximorum ſaluti procurandæ ſe deuouent, in cenſu vitam actiuam ducentium numerat, minoreque caritatis affluentiâ ditatos, quàm contemplatiuos, vt tu exponis, autumat? Itáne D Thomas ſentit? Imò toto cœlo euidentiſſimè diſſentit. Atque hi familiares tui doli nequiter à te confuti, hæ tuæ Hæreticæ præſtigiæ ac machinæ fraudulenter compoſitæ ſunt, qui improbam tuam doctrinam ſacris lite-

tis, ſcitiſque Pontificum è regione aduerſantem, tum animarum procurationi ſummoperè pernicioſam, Doctori Sanctiſſimo, ac Sapientiſſimo ſceleſtiſſimè affingis.

VIII. Dic enim ſodes, Scioppi. Chriſto Domino caritatis modum, & & ſummam metienti fidémne habes? Et cui, niſi Chriſto? Rectè. Id ſaltem præ te fers. Quanquam reapſe plus tuo iudicio, quàm Chriſto, & Eccleſiæ, credis, quum nemo conſummatus Hæreticus ſit, niſi qui iudicium ſuum Eccleſiæ, Chriſtique iudicio obſtinatè præfert, vt notum eſt. At quæ Caritas in Chriſti ſtaterâ præponderat? quæ? an diuinum oraculum tuam veſaniam clarè non redarguit? *Maiorem*, ait, *a hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et tu eos, qui proximorum ſaluti operam nauant, eandemque ſalutem vel propriâ ſanguinis impensâ emptum eunt, non tam perfectâ caritate, ac qui contemplationi tantùm ſtudent, præſtare, fronte perfrictâ aſſeueras? At quo pacto Chriſti dogma apertiùs, atque impudentiùs euerberes? ſed mitto id: quanquam Hæreticam tuam mephitim ſatis redolet. de Chriſti, & Apoſtolorum cùris te percontor. Quid ij in orbe terrarum egerunt? num in latebras abditi, ſoli contemplationi vacârunt? Imò Euangelio prædicando, negotiando, propagando, animarum ſaluti quærendæ, amplificandæque grauiſſimos labores omni ſedulitate, vigilantiâ, & contentione exſudârunt. Quid igitur? Hos quoque, hos, inquam, Chriſtum ipſum, atque Apoſtolos actiuam dumtaxat vitam vixiſſe, nec tam perfectâ caritate, quàm meros contemplatiuòs, flagrâſſe decernes? Hoc omnino neceſſe eſt, ne alioqui placitum tuum tu ipſe euertas. At id Hæreticam tuæ mentis vertiginem palàm reuincit, ac oppidò ridendam cunctis propinat.

a *Ioan.* 15.

IX. Quum porrò manifeſtæ Chriſti ſententiæ, tum eiuſdem Chriſti, Apoſtolorumque exemplis tam procaciter illudas, Scioppi, quid Summorum Pontificum Sanctionibus facies? Quàm diſertè Innocentius III. *cap licet, de Regularibus* furorem tuum huiuſmodi percellit fulmine? *Sicut maius bonum minori præponitur, ita communis vtilitas ſpeciali vtilitati præfertur. Et in hoc caſu rectè præponitur doctrina ſilentio; ſolicitudo contemplationi, & labor quieti.* Poterátne Chriſti Vicarius magis articulatè, conſignatiusque tuam inſaniam configere? *doctrina ſilentio, ſolicitudo contemplationi, & labor quieti*, inquit, *præponitur.* Et tu non expalleſcis? Ipſe D. Thomas, à quo tu ſuppetias tam inauſpicato petijſti, & cum Diuo Thomâ omnis Schola Theologorum quàm explicatè, quàm exertè flagitioſam tuam opinionem iugulat? quàm planè duplex vitæ actiuæ opus diſtinguit, *Vnum quidem, quod ex plenitudine*, inquit, a *contemplationis deriuatur ſicut doctrina, & prædicatio. Vnde & Gregorius dicit in homilia ſuper Ezechielem, quod de perfectis viris poſt contemplationem ſuam redeuntibus dicitur pſal.* 144. Memoriam ſuauitates tuæ eructabunt. *Et hoc præfertur ſimplici contemplationi?* Quàm validam mox rationem addit, quia *ſicut maius eſt illuminare, quàm lucere ſolùm; ita maius eſt contemplata alijs tradere, quàm ſolùm contemplari?* Quàm partitè alterum ſtatim actiuæ vitæ opus explanat, *quod totaliter*, ait, *conſiſtit in occupatione exteriori, ſicut eleemoſynas dare, hoſpites recipere, & alia huiuſmodi, quæ ſunt minora operibus contemplatiuis, niſi fortè caſu neceſſitatis?* Quàm ſolidè, quàm perſpicuè hinc colligit, *ſummum gradum in Religionibus tenere, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquiſſima ſunt perfectioni Epiſcoporum?*

X. Quis

a 2.2. *quæſt.* 188. *Art.* 6.

X. Quis igitur fanaticus ſpiritus te, Scioppi, mpulit, vt illa D. Thomæ verba è *quæſt.* 24. *art.*8. am laudato, tam intempeſtiuè obtruderes? nam bi ſtatum cum ſtatu, aut vitam contemplatiuam um actiuâ confert? nullo modo, ne per ſomnium uidem, ſed hæc tua palmaris ſeu allucinatio, ſeu equitia eſt, qui ita falſus animi, alios quoque allere voluiſti. Quid enim ſanctiſſimus Doctor lic quærit, niſi, *vtrum caritas in hac vita poſſit ſe perfecta?* Quid mox reſpondet, niſi caritatem, uæ hic comparari poteſt, duplicem eſſe, alteram ommunem omnibus, qui Dei præcepta cordi ha- ent, alteram verò non communem omnibus, uum *homo ſtudium ſuum deputat ad vacandum Deo, & rebus diuinis, prætermiſſis alijs, niſi quantum eceſſitas præſentis vitæ requirit?* De vitâ autem ctiuâ, vel contemplatiuâ, aut de contemplati- orum prærogatiuis vbi mentionem eo loco fa- it? vbi vel obliquè aliquid huiuſmodi perſtrin- it? Nuſpiam omnino. At quid illa S. Thomæ ſurpata locutio, *ad vacandum Deo, & rebus diuinis,* bi vult? Tibi quidem, qui vitam tuam nugis Grammaticis nugandis contriuiſti, puram putam- ue contemplationem ſonat, aliàs telum tuum lumbeum prorſus, ac nullum foret; at cui cor ipit, intelligit, eam ad illum quoque pertinere, ui Euangelij lucem populis infert, & proximo acramenta adminiſtrat. An non enim id Deo naximè, & rebus diuinis vacare eſt? Profectò Ca- holici omnes hoc ſciſcunt, Tu, qui præfractè ne- as, ad Hæreticos tuos congerrones hinc deſi- ito faceſſe.

CAP.

Cap. XIII.

Vndecima Scioppianæ Hæreſis teſſera, impia atque execranda doctrina de diuiduo Religionis, ac Virtutis à Politicis contubernio.

I. Sed linquamus Religioſos Ordines, linquamus Epiſcopos, atque ad Politicen modò gradum faciamus, quam à te quoque, Scioppi, per Hæreticam fraudem turpiſſimè eſſe pollutam, ego ſanè fero indigniſſimè, & iure optimo criminor. Quanquam enim, à quo Hæreticorum eruditus, *Pædiam Politices*, ſeu *Suppetias Logicas*, quas vulgâſti, elucubraueris, neſcire me fateor, hoc tamen habeo compertiſſimum, te eo in libello Macchiauelli iuratum patronum, per eiuratam Catholicam Religionem palàm agere, oſtiumque ingens cuicumque ſceleri, atque Hæreſi patefacere, quod nemo, niſi Hæreticus planè audet.

II. Quis enim te ſpiritus, niſi Hæreticus ita dementauit, vt curam omnem pietatis, ac religionis à Politicâ arte penitùs relegares? vt munus deſcribendæ fœditatis Tyrannidis, quò ab hac vel occupandâ, vel retinendâ hominum animos dedeterreat, ab eâ alieniſſimum eſſe ſcriberes? vt ſi Politicus, *Principem verè pium ac religioſum eſſe, quò Deum ſibi reddat propitium, & æternâ felicitate potiatur; non autem pietatem, & religionem præ ſe ferre, id eſt, id agere iubeat, vt qualis eſt, pius nimirum & religioſus, talis etiam ab alijs exiſtimetur*, tanquam aliena tractantem accuſes; vt *in Theologia & Morali Philoſophia ſimilia* de Pietate, & Religione *præcipi debere, non in Politica: niſi contra quàm ratio à Deo nobis data dictat, ſcientiarum, artiumq; fines tollere, & apedenſiæ confuſioni, tandemq; obſcuritati & ignorantiæ*

ignorantia munire viam velimus, impotenter exclames? vt Politicum, *ſi tractet de Principatu maximè communi & vſitato, neque ſi eum non ſemper iuris & æqui ſiue honeſti curâ, ſed vbi ſit occaſio, violentâ, aſtutiâ, ac perfidiâ ſeruari doceat*, minimè peccare, niſi fortè *talem principatum laudet, quum laudabilis haudquaquam ſit, ſed multis modis iniurius, & infamis*, dolo malo decernas? vt *ineptum* eſſe, *& imperiti Iudicis, Politicum reprehendere, quòd Tyranno imperium conſeruare cupienti non veram pietatem, ſed ſimulationem pietatis, & virtutis præſcripſerit*, inſanè vocifereris?

III. Hæ ſunt tuæ, Scioppi, Hæreticæ ſtrophæ, hæ technæ, hæc decipula, ſed è denſo inſcitiæ, ac nequitiæ tuæ cœno fœdè conflata. Nam vt ab vltimis ordiar, quotusquiſque ſapientum eſt, qui Politicos, eapropter in crimen vocet, quòd Tyrannidem iniuſtitiâ, ſimulatione ac fraudibus conſeruari tradant? An non Dialectici quoque ſophiſmata è varijs vocum, ſenſuumque fallacijs concinnari, Theologi ſcelera damnatis corporis animique illecebris perpetrari; Philoſophi monſtra, naturæ ſeu exuberantis, ſeu deficientis vitio, gigni; cuncti pariter artifices varia peccata artis multiplici prauitate fieri docent? Quis hos idcirco carpit? quis arguit? nemo. At eam ob cauſſam probi Politici dicam improbis ſcribunt, quia quum veræ reconditæque Politices magiſterium ambitiosè profiteantur, tum veri Principis, optimæque Reipub. formam à ſe deſcribendam apertè polliceantur, datam fidem perfidiosè fallunt, & falſa & maximè noxia inſidiosè ſupponunt, iudiciumque quà de agendis, quà de fugiendis maliciosè corrumpunt.

IV. Cæterùm tua, Scioppi, fraus illa capitalis eſt, quòd ſimulationem virtutis, neglectum honeſtatis, ac vtilium vitiorum ſtudium ceu neceſſarium ita præſcribi iubes, vt de Tyrannidis turpi-

tudine nihil memorari patiaris, & ſi quis hanc vituperet, violatæ methodi Politices reum, ignorationi, obſcuritati, & confuſioni viam munire, illico pronunties. Sed manifeſtæ intemperiæ te agitant. Quid enim tam ſingularum artium proprium, quid tam ratum fixumque, quàm vera principia, cauſſas, & leges, ex quibus conſtant, primùm explicare; deinde aduerſa vitia & peccata, quia oppoſitorum eadem eſt diſciplina, indicare; tum illorum honeſtatem ac pulchritudinem amplectendam, iſtorum turpitudinem, ſordesque vitandas monere? Quod Grammatices munus eſt? Rectæ locutionis regulas primùm explanare, mox rectę locutionis pręcipua vitia, Solœciſmum, & Barbariſmum; tum eas accuratè obſeruandas, hæc diligenter cauenda ſancire. Quæ Dialectices prouinciâ? priùs de legitimâ arguendi differendique ratione, mox de fallacibus ſyllogiſmis agere; illam probare, iſtos explodere. Quod Rhetorices officium? perſuadendi præcepta antè exponere, ac laudare; deinde errata, quæ ijs aduerſantur, detegere, ac declinanda ſtatuere. Quidni igitur & Politice primùm incorruptæ Reipub. formam, leges, principia, & cauſſas proponat, ac prædicet; exinde verò corruptæ vitia & peccata aperiat, ac deteſtetur? Verùm ad hæc artium flagitia carpenda, eorumque fœditatem colorandam vehementiore ſtylo, aut declamatorijs lateribus opus ſanè non eſt. Nam quum bono ab artifice artis piacula intento digito produntur, ſimul & illorum turpitudo, quam totam in receſſu ab artis regulis ſitam eſſe perſpectum eſt, denudatur.

V. Hinc tua Hæretica fraus, hinc tua verſuta fallacia manifeſtò ſe pandit, Scioppi, qui Lectori venenum impiæ doctrinæ ſuaue admodum, ac muſulentum propinans, apertè vetas, Tyrannidem

à Poli-

à Politico Scriptore reprehendi, neque fers eam ceu vitioſum imperij genus, ac proinde fœdum, nefariumq́ue delineari, ac perſtringi; ſed improbè doces, quibus illa modis conſeruetur, omni eius turpitudine omnino diſſimulatâ, diſceptari tantummodò, nihilq́ue prætereà, oportere. Quin etiam prauam principatûs formam maximè communem atque vſitatam, non tam iure ac legibus, quàm vi, ac dolo vtentem, non velut prauam corruptamq́ue, ſed ceu legitimam, conſectandamq́ue imprudenter obtrudis, vt paulò antè tuis è verbis palàm expreſſi. Vnde porrò tu, vnde hoc cœnum inquinatiſſimum, niſi è Macchiauelli lacunis erui-ſti? An non is quoque *lib.* 3. *de Repub. cap.* 41. vnà tecum Auctor eſt; *Quum agitur de conſeruanda Patriæ libertate, nihil eſſe debere, quod animos noſtros in aliam ſententiam pertrahere queat. Neque ab hoc ſcopo auertere quenquam debere iuſti, iniuſti, crudelitatis, aut miſericordiæ, non denique laudis & ignominiæ notam?* At non hæc ipſa quoque mens tua planè amentiſſima eſt? an non hæc numero verba à te etiam perſcripta ſunt? *Nihil igitur peccat Politicus, ſi tractet de principatu maximè communi & vſitato, neque ſi eum non ſemper iuris, & æqui ſiue honeſti curâ, ſed vbi ſit occaſio, violentiâ, aſtutiâ, ac perfidiâ ſeruari doceat.* At quid horum omnium conſequens neceſſariò eſt, niſi, vt ſi fortè ad ſtatum Reipub. ſeruandum, augendum, vel locupletandum è re ſit, & conducibile, Hæreſes Hæreticosq́ue admittere, alere, fouere, Chriſto, & Chriſtianæ religioni terga vertere, Deum & pietatem omnem penitùs expectorare; tu cum tuo Magiſtro Macchiauello huiuſmodi facultatem non modò vltro ac liberaliter indulgeas, ſed præciſè etiam ac ſeuerè imperes? Sed quo furore agitatus? Hæretico. quâ auctoritate ſubnixus? Hæreticâ. Quo typhone incitatus? Hæretico.

VI. At enim Tyrannidis, ſceleſtique Principatus antidotum è Theologiâ, Catholicęque doctrinæ inſtitutione peti iubes; Politicosque eſſe Chriſtianos quidem ac probos viros oportere, ſed tales non à Politice, ſed à Theologicâ Scholâ, à Catecheſi, Ethicâque arte conformari contendis. Verùm quis adeò cœcutit, a etiam mero meridie, vt Hæreticam tuam iſtam ſtropham facilè non diſpiciat? cui palatum ita ſtupidum, vt non ſentiat ſub melle venenum? quis adeò bardus & fungus, vt non agnoſcat ſub pelle ouinâ lupum? Quantæ enim infamiæ nomen ipſum Politices, Scioppi, in primis ſubijcis, quam nihil honeſtatis ſuos intra limites habere, adeòque impia etiam conſilia cum diſciplinâ Chriſtianâ, & bonis moribus pugnantia, modo ad conſeruationem bonorum fortunæ, quibus tota ratio ſtatus pſeudopolitici circumſcribitur, aliquid conferant, durâ quadam neceſſitatis lege ſuſcipere ſtatuis?

VII. At tu hanc infamiam inſuper habes, infamiæ tot nominibus iam obnoxius. Nihil mirum. Verùm dum cuncta pietatis ac religionis principia ſeu præcepta Politicæ omnino interdicis, atque ad Theologiam, ad Catecheſin, Ethicenque ablegas, quis non animaduertit, peccandi effrænatam licentiam Politicis abs te concedi, imò & neceſſitudinem prorſus imponi? Fateriſne, Scioppi? fateris? Fatere etiam te vnà cum Macchiauello, atque Hæreticis, qui hæc ſolemnia inſanitis, vrendum. Inficiaris? At Politici, quos tu ita inſtituis, vt nullam honeſtatis ac religionis, vtpote rerum ab officio & inſtituto eorum alienarum rationem habere, ſed eò ſolùm ſpectare velis, vt externæ proſperitatis ſtatum tueantur; quæcunque huiuſmodi fini quoquo modo erunt accommodata, iuſta, vel iniuſta, licita, vel illicita, neceſ

a *Ex Wangnereckio in Vindicijs lib. 2. cap. 4. §. 2.*

neceſſariò, te præceptore, amplectentur. Quid enim? iniuſta, atque illicita vitabunt? ergo iuſtitiæ ac virtutis rationem habebunt, quod tu prohibes, & ab officio Politici abhorrere tradis. Non vitabunt? ergo, niſi à Politici officio à te præſcripto eis volupe ſit, diſcedere, te ſuaſore atque impulſore coguntur delinquere; nullumque ſcelerum genus vel conditionem defugere.

VIII. Dáſne manus, Scioppi? an adhuc abnuis? non cernis, quàm adducto moroſoque ſupercilio Politica iſta natio, quam feris, Theologos velut libris, pluteiſque affixos, nec rerum publicarum intelligentes contemnat? quàm faſtidiosè Catecheſis documenta tanquam ſe indigna repudiet? quàm arroganter Ethices rationem poſthabeat? Et quî tandem Politici, quæ extra religionis ac virtutis pomœrium contra ius & fas Reipub. gratiâ ſciſcunt, ad Theologiæ, Catecheſis, vel Ethicæ normam corrigent? Corrigent autem? imò ne corrigere quidem poſſunt, ſi Politicorum Legibus à Macchiauello latis, atque à te confirmatis parere velint, quandoquidem hæ ditionem imperiumque quacunque demum ratione tueri iubent, & tum ſolùm, vbi commodum eſt, honeſtatis ſpecie ceu laruâ flagitia occulenda decernunt.

IX. Quâ philoſophandi peruersâ ratione velles nimirum, Scioppi, vt varia librorum genera, nequitiæ ac virtutis contubernio penitùs diuiſa per manus populorum volitarent; vt nonnulla volumina Politicas fraudes vitiorumque turbam ad regni iura propaganda opportunam explicarent, nihilque religionis, aut honeſtatis, quod ijs incommodaret, olerent; alia verò Catholicæ doctrinæ inſtitutiones, ac leges inculcarent. Pari quoque ratione, ne artium, & ſcientiarum fines perturbentur, præcipies, vt codices puras libidi-

num impuritates, quotquot infamis Venus in luſtris vnquam inuênit, Venereo ſtylo, quanquam ſine laude, tamen ſine vllâ etiam huiuſmodi flagitiorum damnatoriâ tabellâ narrantes, liberè ab omnibus legantur; hinc ſeriò cauſſatus iſthæc omnia probra ab arte explendæ voluptatis Venereæ poſtulari; hinc morum caſtitati ſat cautum ratus, quia luxuria omnis à Catechiſmo proſcribitur. Eodem pacto annues etiam, vt Hæretici libri Hæreticâ lue infecti vulgo habeantur vænales, paſſimque à cunctis peruolutentur, nullâ ipſarum Hæreſum de turpitudine adlitâ notâ, contentus eas à vindicibus religionis Scriptoribus, ſepoſito Controuerſiarum agmine oppugnari. Sed quo tandem fructu, Scioppi? quo operæ pretio? quo conſilio? Nempe vt Chriſtianæ animæ epoto priùs inſanæ Politices, libidinis, atque Hæreſeon veneno, deceptæ ac dementatæ pereant; quàm amuletum vllum aliunde vel medicinam à Theologiâ, Catecheſi, vel Ethicâ ſibi adhiberi patiantur, quin etiam, vt vbi ea aconita primum hauſerint, antidotum, vel alexipharmacum deinde nullum velint accipere, Vnde Macchiauellica tua fraudulentia, Hæreticaque malignitas luculenter ſatis dilucet.

X. Sed adhuc reclamas, iniuriamque tibi fieri quereris, quum tuo in *Suppetiarum Logicarum* libello diſertè moneas: *Prudentiæ methodum, cui non tam veritas, quàm certa vtilitas eſt propoſita, non modò permittere, ſed etiam exigere, vt in Politica tradendâ etiam deformitas, ſeu turpitudo tyrannidis deſcribatur; ad eamq; auertendam verba conferantur.* Video, quam in ſpiram te colligas, Scioppi, ſed fruſtra. Huiuſmodi enim tuum malagma veneno, quod totâ illâ libelli diſſertatione propinas, diluendo ſatis non eſt. Nam ſi ex prudentiæ methodo Tyrannidis turpitudo & deſcribenda, & culpanda, & execranda eſt; quid tecum ipſe ſtultiſ-

mè digladiaris, teq́ue ipſum fatuæ imprudentiæ, ui Scriptores illos, qui eiuſmodi prudentiam ordi habent, ac præ ſe ferunt, reprehendis; qui erò negligunt, laudas, omnino conuincis? Sed lia, inquis, methodus artis, alia methodus prudentiæ eſt. Non inficior. Quid tum poſteà? hæc cilicet alia tua pinguis allucinatio eſt, qui methodum artis methodo prudentiæ repugnare, veamq́ue artis doctrinam hominibus detrimenum importare cenſes, dum hîc methodum prudentiæ exigere ais, vt falſæ Politices fœditas ob oculos ponatur, verbisq́ue exagitetur; quam tamen methodum methodo artis aduerſari ſuprà xpreſsè docueras. Inconſultiſſime mortalium, ona eſt omnis ars, rectæq́ue rationi, niſi vitietur, ac peruertatur, conſentanea. Quî igitur artis nethodus hominum vtilitati, cuius gratiâ cunctæ rtes repertæ ſunt, quamq́ue prudentia ipſa maximè ſpectat, refragetur? Obeſt quidem, non nego, & ſanè plurimum, ſi artis corruptelæ, & vitia pro eris artificijs, non oſtensâ eorum turpitudine, atque à regulis artis aberratione, à Scriptore Politico Lectori ingerantur, eoq́ue magis, quo plures illecebras ars deprauata habet, vt Politice, imperio, gloriâ, opibus, quibus homines vitioſi, atque ad nequitiam proni, facilè illaqueantur, atque abutuntur, abundè circumfluens. At huiuſmodi tractatio non minùs methodo artis, quàm prudentię deuia, atque infeſta eſt, fallendiq́ue methodum flagitioſè admodum profitetur. Ex quâ item methodo id quoque deliramenti prompſiſti, quum *prudentia non tam veritatem, quàm vtilitatem eſſe propoſitam*, inibi ſcripſiſti. Nam etſi prudentia in rebus agendis bonâ fide ac ratione probabili frequentiùs (quod ad iudicium directum ſpectat) quàm exploratâ veritate nitatur, nunquam tamen ſciens fallit, aut falſum dicit; neque artium regulis certis, fixiſq́ue quidquam deperire ſinit.

XI. Quibus hunc in modum enucleatis, validéque concluſis, ſatis Chriſtiano Lectori demonſtratum arbitror, Scioppi, quàm pellaci doloſoque lenocinio viam ad omnem impietatem, ac ſcelus ſternas, doctrinamque ex Erebo per Macchiauelli ora fuſam, improbam perditamque in orbem denuò inuehas, quam quia P. Henricus VVangnereckius ſæpius laudatus, editis Vindicijs Politicis egregiè penitusque mactauit, ne actum agam, hic plura non addo.

Cap. XIV.

Duodecima Scioppianæ Hæreſis teſſera, librorum ab Apoſtolicâ Sede proſcriptorum iterata editio, ac patrocinium fraudulenter arreptum.

I. Libera & promiſcua exitialium *librorum* Lectio quot, & quàm grauia Catholicæ Religioni & moribus vulnera imponat, lacrymis atratoque habitu potiùs innuere, quàm atro calamo enumerare poſſumus. Cui graſſanti peſti vt tempeſtiuè obuiam irent Eccleſiæ Summates, quum multa appoſita remedia aliàs ſapienter adhibuerunt, tum illud poſtremo omniũ præſentiſſimum Concilij Tridentini *a* Patres, ac deinceps Pontifices Maximi vnà cum Purpuratorum Senatu præclarè ſanxerũt, vt noxijs eiuſmodi Codicibus in Indicem diligenter relatis, ſeuerè cunctis interdiceretur, ijs autem, qui Hæretici, vel cuiuſcunque alterius Auctoris volumen ob Hæreſis, falſique dogmatis ſuſpicionem damnatum legere, vel retinere penſi non habent, Pontificiæ Diræ illicò experiundæ inſuper intentarentur. Quod cumu-

cumulatè præſtitum, ex ipſomet librorum prohi-
bitorum Indice, huiusque Regulis, præſertim x.
rum ex cotidianis experimentis liquet planiſſimè.
II. At ego commodùm ex te iam quæro, Sci-
oppi, quam tu reuerentiam huic Indici habueris,
quâue religione Apoſtolicæ Sedis interdictis pa-
rueris? Quid moraris? Quid cachinnis ora diſtor-
ques? At ſubolet iam, quò tua hæc ridendi licen-
tia pertineat. Rides nimirum procaciſſimè, ne-
que miror, quum iam pridem Apoſtolicam Sedem
à te euerberatam, vniuerſæ Eccleſiæ Suffragia er-
roris inſimulata, Pontificiam auctoritatem ludi-
brio habitam, Religioſos Ordines exagitatos,
ipſoſmet Cœlites ſolenni ritu conſecratos ſacrile-
go ore eſſe inceſtatos, productis teſſeris quàm ex-
ploratiſſimis, in aperto poſuerim, nunc tibi de ve-
titis libris improbè vſurpatis religionem intem-
peſtiuè à me inijci, fruſtraq; litem intendi. Pude-
ret ſcilicet leuioris dedecoris, qui longè turpiſſi-
ma pudore nullo deuorâſti. Verùm ego ad reliqua
Hæretici tui ingenij præiudicia id etiam perfidiæ
auctarium addendum, minimeque diſſimulan-
dum exiſtimo, te nequitiæ callum vſque adeò ob-
duxiſſe, vt Codices æternis tenebris, Erebique
flammis Pontificiâ ſententiâ meritiſſimò addi-
ctos non ſolùm legeris, atque apud te habueris, ſed
etiam recuderis, denuoque in lucem dederis.

III. Quod ne inficiari poſſis, Scioppi, teſtor
inprimis illa *Monita priuata Societatis Ieſu*, libel-
lum nempe mendacijs calumnijſque refertiſſi-
mum, Notobrigæ in Poloniâ ſine Auctoris nomi-
nine anno cIↃIↃcxII. editum, pauloque pòſt ab
Epiſcopo Cracouienſi Petro Tylicki, nec non à
Franciſco Diotalleuio ad Poloniæ Regem Apo-
ſtolico Nuntio in eodem Poloniæ Regno anno
cIↃIↃcxv. damnatum, tandemque à Sacra Indicis
Congregatione Apoſtolico decreto anno proxi-

XI. Quibus hunc in modum enucleatis, valideque concluſis, ſatis Chriſtiano Lectori demonſtratum arbitror, Scioppi, quàm pellaci doloſoque lenocinio viam ad omnem impietatem, ac ſcelus ſternas, doctrinamque ex Erebo per Macchiauelli ora fuſam, improbam perditamque in orbem denuò inuehas, quam quia P. Henricus VVangnereckius ſæpius laudatus, editis Vindicijs Politicis egregiè penitusque mactauit, ne actum agam, hic plura non addo.

Cap. XIV.

Duodecima Scioppianæ Hæreſis teſſera, librorum ab Apoſtolicâ Sede proſcriptorum iterata editio, ac patrocinium fraudulenter arreptum.

I. Libera & promiſcua exitialium librorum Lectio quot, & quàm grauia Catholicæ Religioni & moribus vulnera imponat, lacrymis atratoque habitu potiùs innuere, quàm atro calamo enumerare poſſumus. Cui graſſanti peſti vt tempeſtiuè obuiam irent Eccleſiæ Summates, quum multa appoſita remedia aliàs ſapienter adhibuerunt, tum illud poſtremo omniū præſentiſſimum Concilij Tridentini a Patres, ac deinceps Pontifices Maximi vnà cum Purpuratorum Senatu præclarè ſanxerūt, vt noxijs eiuſmodi Codicibus in Indicem diligenter relatis, ſeuerè cunctis interdiceretur, ijs autem, qui Hæretici, vel cuiuſcunque alterius Auctoris volumen ob Hæreſis, falſique dogmatis ſuſpicionem damnatum legere, vel retinere penſi non habent, Pontificiæ Diræ illicò experiundæ inſuper intentarentur. Quod

cumu-

cumulatè præſtitum, ex ipſomet librorum prohibitorum Indice, huiuſque Regulis, præſertim x. tum ex cotidianis experimentis liquet planiſſimè.

II. At ego commodùm ex te iam quæro, Scioppi, quam tu reuerentiam huic Indici habueris, quâúe religione Apoſtolicæ Sedis interdictis parueris? Quid moraris? Quid cachinnis ora diſtorques? At ſubolet iam, quò tua hæc ridendi licentia pertineat. Rides nimirum procaciſſimè, neque miror, quum iam pridem Apoſtolicam Sedem à te euerberatam, vniuerſæ Eccleſiæ Suffragia erroris inſimulata, Pontificiam auctoritatem ludibrio habitam, Religioſos Ordines exagitatos, ipſoſmet Cœlites ſolenni ritu conſecratos ſacrilego ore eſſe inceſtatos, productis teſſeris quàm exploratiſſimis, in aperto poſuerim, nunc tibi de vetitis libris improbè vſurpatis religionem intempeſtiuè à me inijci, fruſtraq; litem intendi. Pudebit ſcilicet leuioris dedecoris, qui longè turpiſſima pudore nullo deuorâſti. Verùm ego ad reliqua Hæretici tui ingenij præiudicia id etiam perfidiæ auctarium addendum, minimeque diſſimulandum exiſtimo, te nequitiæ callum vſque adeò obduxiſſe, vt Codices æternis tenebris, Erebique flammis Pontificiâ ſententiâ meritiſſimò addictos non ſolùm legeris, atque apud te habueris, ſed etiam recuderis, denuoque in lucem dederis.

III. Quod ne inficiari poſſis, Scioppi, teſtor inprimis illa *Monita priuata Societatis Ieſu*, libellum nempe mendacijs calumnijſque refertiſſimum, Notobrigæ in Poloniâ ſine Auctoris nomine anno cIɔIɔcxII. editum, pauloque pòſt ab Epiſcopo Cracouienſi Petro Tylicki, nec non à Franciſco Diotalleuio ad Poloniæ Regem Apoſtolico Nuntio in eodem Poloniæ Regno anno cIɔIɔcxv. damnatum, tandemque à Sacra Indicis Congregatione Apoſtolico decreto anno proxi-

mo CIↃIↃCXVI. proſcriptum, vt quum Iacobus Gretſerus in Apologiâ aduersùs ea ipſa *Monita*, tum Laurentius Forerus in *Antanatomia, ſect. 6. num. 7.* & *ſeqq* palàm faciunt. Quàm manifeſtò enim hunc ipſum famoſum, iniurioſumque Codicillum temerè palantem, ſolâ inſcriptione variatum, ſubdoleque inſignitum, *Secretam Inſtructionem*, tuam in *Anatomiam* cooptâſti, iterumque Lectoribus obtruſiſti? Quàm apertè tuam ipſe fraudem retexiſti, eandem *Secretam Inſtructionem* candidè ac ſine fuco & fallaciâ *Monita priuata* in eâdem *Anatomia, pag 61.* appellans? Quàm dilucidè hic ipſe dolus à te confutus, ſi quis *Secretam* iſtam tuam *Inſtructionem* cum *priuatis* illis *Monitis*, quæ in laudato iam Gretſeri Apologetico proſtant, diligenter contendat, vt probè animaduertit inibi Forerus, diſſuitur, ac reuincitur. Præterea Commentarium *de Morbis Societatis, eiusq; cauſſis & remedijs*, ſuppoſititium inuidi Calumniatoris fœtum, Ioannique Marianæ perperam adſcriptum, publico Eccleſiæ iudicio ceu detrimentoſum, atque inteſtabilem iam dudum, vt ex eodem prohibitorum Codicum Indice paret, nullâ prorſus obductum laruâ, quanquam malè deartuatum in eandem tuam *Anatomiam* infarſiſti, & eum iſtâ typis vnà exprimendum, vt tum in h°c, tum in Foreri *Antanatomia* a intueri licet curâſti. Rurſum eandem *Anatomiam*, *Actionem Perduellionis* tametſi velut nocentes, falſique dogmatis ſuſpicione laborantes libros à Purpuratorū Patrum auguſto Senatu Apoſtolicâ auctoritate perculſos, atque in damnatorium illum Indicem redactos, vt tum ex Foreri *Mantiſſa, ſect. 4.* tum ex meis *Vindicijs, cap 14 §. 9.* perſpectum eſt, vidiſti; nihilominùs in duo alia famoſa volumina, in *Arcana Societatis Ieſu*, atque in *Relationem Alphonſi de Vargas* ijſdem planè mendacijs & calum-

a *Sect. 7.*

nijs

nijs ſcatentia magnam partem tranſcripſiſti, ac de integro in lucem anno cıɔıɔcxxxv. emiſiſti. Sed quâ, obſecro, Scioppi, Epiſcoporum, vel Sacrorum Quæſitorum præuiâ cenſurâ? nullâ. Quâ Magiſtratus, aut Præſidum facultate? nullâ. Quibus in oppidis Catholicorum? nullis. Eas quippe ferales Satyras, ac Lœdorias, quas ſuprà *cap* I. recenſui, ſine vllis loci, Auctoris, atque editoris nominibus, aut adumbratis fictiſque dumtaxat ad fraudem faciendam adſcriptis, & ſine vllâ Antiſtitum approbatione flagitioſiſſimè euulgâſti; in quibus quàm multa de rebus ſacris peruersè diſſeras, quàm varia diuinæ Scripturæ ſceleſtè corrumpas, quàm malignè omnia ad Religioſi Ordinis, ac Religioſorum Virorum contumeliam, graui admodum proborum Catholicorum offendiculo, collinees, nemo ſibi, niſi qui illas peruolutauit, facilè perſuadeat, neque hîc mihi otium eſt, pluribus ea explicare.

IV. Verùm etſi ob hæc piacula tam magna adeoque perniciabilia tibi Catholicus quiſque grauiter ſuccenſere debet, Scioppi, leuia tamen, & parua iſta omnia ego duco, præut peſtilens omnino fuit, porroque eſt libellus ille, qui Romæ anno cıɔıɔcxxııı. Magiſtro Sacri Palatij, atque Cenſoribus per compoſitam malitiam, vt VVangnereckius perſpicuè oſtendit, *a* circumuentis, cum huiuſmodi elogio à te publicatus eſt;

Gaſparis Scioppij Cæſarij & Regij Conſiliarij Pædia Politices, ſiue Suppetiæ Logicæ Scriptoribus Politices latæ. Aduersùs ἀπαιδευσίαν & acerbitatem Plebeiorum quorundam iudiciorum.

O 6 Nam

a *In Præfatione Vindiciarum Politicarum* ſ. 1.

Nam cui, queſo, Scioppi, niſi Nicolao Macchiauello, impietatis vexillum in Politiâ apertè explicanti, cunctiſque improbis Politicis præferenti ſuppetiæ iſtæ à te feruntur? Quanquam eâ in *Pædiâ* Macchiauelli clientis tui nomen fallacioſus aduocatus, vt fucum facias, perpetuò diſſimules, quis tamen adeò ſtipes eſt, vt illius patrocinium maximè, ijſdem ſuppetijs à te ſuſceptum non animaduertat? Quem fugit, te Macchiauellici nominis, ac libri ſemper fuiſſe ſtudioſum? Quis apud eundem Henricum VVangnereckium auritum, *a* atque oculatum teſtem, omni exceptione maiorem, non legit, quum Ingolſtadij Iuuentus Academica Macchiauelli impietatem, ſub annum CIↃIↃCXVI. ferè in theatrum daret, te eâ tempeſtate illic diuerſantem acriter propterea indignatum, valdeque ceu de iniuriâ homini innocentiſſimo publicè illatâ, quemadmodum idem VVangnereckius, qui eâdem in vrbe tum agebat, fidem locupletem facit, queſtum eſſe? Quis tuo ex ore varias excuſationes, quas Macchiauello gratificari ſolitus es, à te ſubinde concinnatas, ac venditatas audiuit, qui illas ipſiſſimas in tuâ iſtâ inauſpicatâ *Pædiâ*, vt idem VVangnereckius teſtificatur, non deprehendat? Quid? vbi primùm hæc eadem tua *Pædia* Romæ clanculum in lucem ſe emerſit, nónne in Germaniam à nonnullis ex Italiâ remigrantibus deſubito, vt memorat idem Auctor, illata eſt, ac velut Macchiauelli comperta propugnatio vulgo accepta eſt?

V. Sed quid ego iſta ſeu præiudicia, ſeu conſectaria in medium affero? In ipsâmet ad *Cardinalem* Ludouiſium Epiſtolâ, cui eiuſdem *Pædiam*, ſeu *Suppetias* deſpondiſti, an non clarè profiteris, te *Politicorum quorundam precepta, conſcio, atque annuente Pontifice, Romæ primùm edita* eâdem illâ lucubratiun-

a In Præfatione Vindiciarum Politicarum §. 1.

bratiunculâ *tueri?* Quorum verò, Scioppi, præcipuè Politicorum ea præcepta ſunt, niſi Macchiauelli potiſſimùm, cuius ſcripta initio adhuc ignota, neque dum tot ſcelerum manifeſta, Romæ primùm, circumſcripto Pontifice, in lucem erepſiſſe feruntur, quibus patrocinium à te deſtinatum palàm denuntias? Certè quidem *Suppetiæ* iſtæ *Logicæ* eos in Auctores, qui fraudulentos Scriptores Politicos cenſoriæ ſeueritatis notâ maximè inuſſerunt, quam ἀπουδοδωσίαν *& acerbitatem Plebeiorum iudiciorum* vocas, intorquentur. At quibus tandem in Auctoribus, quos tacito perſtringis nomine, hæc iudiciorum acerbitas à te obſeruata eſt? cur eos non appellas? cur illorum libros non deſignas? cur aliquod ſingulare indicium non edis? quinam, rogo, quibus infeſtus es? Ambroſius Catharinus, opinor, *in Diſputatione de libris à Chriſtiano deteſtandis*, Ioannes Molanus, & Ioannes Boterus in Commentarijs *de Ratione Status*, Petrus Ribadeneyra in *Principe Chriſtiano*, Scipio Amiratus in *Diſſertationibus Politicis, ad Tacitum*, Hieronymus Oſorius *lib.3. de Nobilitate Chriſtiana*, Antonus Poſſeuinus in *Bibliotheca Selecta*, Iuſtus Lipſius in *libris Ciuilis Doctrinæ*, tum *ad Lectorem*, tum *lib. 2. cap.* 14. alijque ſimiles. Atqui hi viri doctiſſimi, ac ſapientiſſimi, nec non boni publici amantiſſimi, Macchiauellum præcipuè, tanquam religionis, iuſtitiæ, ac virtutis, tum ſynceræ Politices capitalem iuratumque hoſtem iam pridem acerrimè inſectati ſunt; alios verò, vt Ioannem Bodinum, Philippum Morneum, Militem de Lánone ac pariles, quanquam doctrinæ ciuilis peſtes quoque teterrimas, tamen vix aliqui, & ſi aliqui, iſti ipſi haud quaquam pugnâ tam decretoriâ, quàm Macchiauellum, adoriuntur; cato nimirum conſilio, atque eapropter, quòd præ-

lium, duce proſtrato, penè confectum ſit, cæteraſque copias profligare procliue admodum videatur. Quorum omnium neceſſariò, Scioppi, vt liquet, conſequens eſt, vt ijdem illi viri potiſſimùm, qui Macchiauellum ſummoperè execrantur, acerbitatis à te non obſcurè coarguantur, ac pro iudicijs plebeis habeantur; contra verò Pſeudopoliticis Scriptoribus, horumque Coryphæo Macchiauello, quos à prioribus illis incorruptæ Politicæ vindicibus vapulare palàm eſt, aduocatio officioſa non perplexè commodetur.

VI. Sed perditos rerum Politicarum præceptores, age, Scioppi, hîc tantiſper prætereamus. Idemmet Macchiauellus eorum princeps, an non tibi ita in amoribus, ac delicijs, vt ad illum noxiæ omni ac labi eximendum complura alia, præter has *Suppetias Logicas*, meditamenta elaboraueris? Num hæc ex vano haurio? num in tenebris latent? num temerè diuino? Quid? nónne tu ipſe, etſi illa in lucem mittere tibi hactenus non licuit, eorum tamen titulos diutius clam eſſe noluiſti, ſed in anteceſſum in operum tuorum Catalogo, quem in *humanarum & diuinarum literarum Pædiâ* Patauij anno CIↃIↃCXXXVI. impreſsâ tèxuiſti, diſertiſſimis verbis proſcripſiſti? An non ibi *pag.* 17. Apologiam à te conflatam prodis, *quâ innocentia Macchiauelli aduersùs Italici nominis hoſtes, aliosq; ſycophantas propugnatur?* An non eodem loco proles tua genuina mox à te agnoſcitur, *Macchiauellicorum opera pretium, ſiue demonſtratio vtilitatum, quas Reipub. apportat doctrina Macchiauellica examen, & ad Euangelicæ veritatis normam directio?* An non denique continuò legitimus tuus fœtus illic indicatur, *Methodus de Scriptoribus Politicis, ac propriè de Macchiauelli libris iudicandi, cum ſynopſi libri de Principe Macchiauelli?* At ſicut his in libris Macchiauelli tutelam exporrectâ fronte profiteri

non

non erubeſcis; ita profectò tantæ impudentiæ atque nequitiæ in *Suppetijs* tuis *Logicis* iam forâs datis, eodem Macchiauello abditè quidem, ſed haud dubiè defenſo, explicatè proluſiſti.

VII. Quid tum verò poſteà, inquies, etiamſi Macchiauelli cauſſæ patronus extiti? quid tum poſteà ais, Scioppi? quid tum poſteà, etiamſi publicum honeſtatis prædonem tuearis? quid tum poſteà, quamuis iuſtitiæ euerſorem reſtituere nitaris? quid tum poſteà, tametſi vitiorum omnium promum condum operosè tegas ac fulcias? quid tum poſteà, etſi huiuſmodi functus officio, teipſum Hæreticum, aut Ethnicum, vel cuiuſuis Numinis perfidum irriſorem oſtendas? Nam quò tandem tuum hoc Macchiauello allatum præſidium euadit, niſi huc planè, vt Catholicam Religionem tuo à pectore exulare, huius loco multiplicem Hæreſim tuo in animo hoſpitari, cunctis ſceleribus oſtium à te patefieri, iura omnia diuina; atque humana de medio tolli, Deum ipſum quoque de Maieſtatis immenſæ ſolio deijci, ac penitùs auerruncari, doceas? At tu hîc ſummâ excandeſcentiâ cuncta iſta repellis, tibique per immane nefas impingi clamas, & fremis. Sed fruſtra. Velis, nolis, Scioppi, irretitus es. Curriculo periclitemur.

VIII. Cliens ipſe tuus, dextella tua, deliciolum tuum, Macchiauellus nónne omnibus, quæ modò tibi ingeſſi, criminibus obnoxius eſt? Quis enim, rogo, ex omnibus improbis ad maiorem veræ Politices perniciem, quàm ipſe, incubuit? quis grauiora detrimenta Catholicæ Religioni iniunxit? quis Chriſtianos mores magis labefactauit? Plura ſanè flagitioſi Politici, ab honeſtatis tramite longè deflexa, olim excogitârant; at Macchiauellus cuncta ea in artis formam redegit, quibuſcunque delictis vtilitatis, ac virtutis hederam præ-

prætexuit, nequitiæ omnis deteſtanda magiſteria pro germanæ Politicæ documentis orbi venditauit, Vt verò voti potiatur, quid molitur? Finem, modum, rationesque, Politices turpiſſimè vitiat, illum in fortunæ bonis ſitum pronuntiat, in huiuſmodi bonorum numerum, quicquid dominationi ancillatur, fanda & nefanda omnia, nullo prorſus diſcrimine recipit.

IX. Sed ne generalem hanc accuſationem meam calumniæ arceſſas, Scioppi, agedum ſingularibus exemplis eam illuſtremus. Verùm quia nimis longum eſt, cuncta maleficiorum genera, quibus Macchiauellus tuus ſuis in libris pretium fecit, minutatim hîc enumerare; vnum, alterumúe ad ſpecimen abunde erit. In primis res loquitur ipſa, cardinem totius Politices Macchiauellicæ in eo verti, ſummamque ſummarum ab impio inſtitutore cenſeri, vt Princeps ſuæ ditioni conſeruandæ adeò contentè ſemper velificet, vt nullâ cuiuſcunque ſceleris admittendi, dummodò operæ ſit conducibile, religione tangatur, neque vllam improbitatis, infamiæque notam ſubire vereatur. De quo tam execrando placito, decretoque quis poſſit ambigere, Scioppi, qui Principem diſertè ab eo iuberi cernat, a *Vitam tueri, & imperium conſeruare quibuſcunque rationibus, modò honeſti ſpeciem præ ſe ferant?* qui ab eo tradi ſciat, b *Neceſſarium eſſe Principi, vt perceptum habeat, ſi ſe ſaluum velit, quâ ratione poſſit eſſe non bonus?* qui hîc animaduertat, non animæ ſalutem, quam neque bonus amittit, neque non bonus poteſt acquirere, ſed imperij incolumitatem ab ipſo intelligi? qui compertum habeat, ſi virtutes reipublicæ ſyncera integræque præſtandæ minimè ſuffecturæ videantur, vitia in ſubſidium, ita nequitiâ hominum impellente, euocanda ab illo decerni, adeoque, compluribus

a *In libro Principis cap.* 18. b *Ibid. cap.* 15.

ribus Principum virtutibus vitijsque recenſitis, inibi hæc proximè ſubijci: a *Rem fortè ſummis laudibus celebrandam, ſi omnibus his Princeps foret ornatus, quæ ex iam dictis bona exiſtimantur. Verùm quum nec haberi, nec aduerſante humanæ vitæ conditione ſeruari poſſint, neceſſarium eſſe vti eâ prudentiâ, quâ eorum infamiam fugiat, quibus illi imperium adimi poſſet?* Qui paulò pòſt eundem veteratorem videat Auctorem eſſe, b ne Princeps *multum ſanè laboret, ſi in eorum vitiorum infamiam incurrat, ſine quibus dominatum non facilè tueri poſſet?* Qui ab eodem literis proditum meminerit: c *Honeſta æquè, ac turpis vitæ factis odium conciliari. Quocirca Princeps,* inquit, *imperium qui ſaluum velit, cogitur nonnunquam eſſe non bonus?* Qui denique ab eodem ſcriptum, ſecum ipſe reputet: d *Cuiuſuis ciuis, qui Reipub. bene conſultum cupit, officium eſſe, nempe vt ſpectet ad conſeruandam Patriæ libertatem. De qua quum agitur, nihil eſſe debere, quod animos noſtros in aliam ſententiam pertrahere queat. Neque ab hoc ſcopo auertere quenquam debere iuſti, iniuſti, crudelitatis, aut miſericordiæ, non denique laudis, aut ignominiæ notam?* Satiſne hinc, Scioppi, impij dogmatis purulenta ſanies ocelli tui exprimitur? Satiſne graueolentis animæ, vitia cuncta ad Reipub ſtatum tutandum centuriantis fœtor hinc exhalatur? Quàm dilucidè? quàm rotundè? quàm impudenter? *Neque ab hoc ſcopo* (iterum eadem lacuna commouenda eſt) *auertere quenquam debere iuſti, iniuſti, crudelitatis, aut miſericordiæ, non denique laudis, aut ignominiæ notam?*

X. Alterum Macchiauelli non minùs præcipuum, neque minùs nefarium pronuntiatum eſt; malum boni cauſſâ perpetratum, ſeu malum non ſui gratiâ, ſed velut accommodatum inſtrumentum

a *In libro Principis cap.* 15. b *Ibid.* c *Ibid. cap.* 19.
d *Lib.* 3. *Diſcurſ. de Repub. cap.* 40.

tum ad bonum finem, imperij videlicet conſeruationem, relatum, minimè malum eſſe, ſed bonum, itaque omnino exiſtimandum. At quis tam impuratæ Hæreſis nauſeam ab infami præſtigiatore euomitam credat, Scioppi, niſi ipſiſſima illius verba hîc ſyllabatim appendam? Cui magis, quàm tibi liquidò conſtat Romuli fraternam cædem huiuſmodi prætextu obtentuque ab eo purgari? *Quicunque igitur prudens eſt,* ait, *a idemq; ita Rempub inſtituere cupit, vt publicæ vtilitati potius, quàm ſibi, proſit, & patriæ toti potius, quàm ſuis poſteris: in id incumbere debet, vt ſolus potentiam habeat, nouas illas leges & ferendi, & rogandi Nec quiſquam prudens quenquam facilè accuſare debet, qui vt ſolus Rempub. aliquam inſtituere poſſit, inſolens aliquod factum patrauerit Aut ſi maximè factum ipſum damnet, ex ipſo tamen ſcopo, & fine, qui inde conſequitur, idem ipſum excuſet. Nam bonus eueytus, vt qui ex cæde Romuli ſecutus eſt, factum ſemper excuſat. Neque is, qui benefaciendo, ſed is, qui malefaciendi cauſsâ vim infert, reprehenſione dignus eſt.* O voces execratas, dirisque omnibus defigendas! ô cunctarum Hæreſum ſentinam, cloacamque deteſtandam! Itáne bonus finis, atque euentus flagitijs omnibus detrahit vitioſitatem? At quid hoc ex ſcito ſceleratiſſimo efficitur, neceſſarioque cogitur, niſi vt, qui vxore ſterili, virginem, prolis ſuſcipiendæ gratiâ, conſtuprat; qui agnatum veneno, quò eius hæreditatem cernat, ſuæque indigentiæ conſulat, perimit; qui cunctas fraudes in commercijs, vt diteſcat, ſtruit; qui quæcunque demum facinora turpiſſima, vt aliquid commodi, vel honoris ſibi ijs comparet, nundinatur; quandoquidem proles, hæreditas, diuitiæ, lucrum, honor in boni finis atque euentus cenſum, Macchiauello arbitro, ac Magiſtro, veniunt, minimè delinquant, ac planè innoxij

a *Lib. 1. Diſcurſ. cap 9.*

noxij ſint? Verùm quæ hydra omnium Hæreſum capitibus inſanè pullulantibus, iſtâ fœcundior, ac monſtroſior? In hanc acuendus probè ſtylus, atque arma cuncta in aciem meritò iam eſſent educenda, niſi iam pridem Viri diſertiſſimi ſuprà laudati, omniumque nouiſſimè Pater Henricus VVangnereckius *lib.1. Vindiciarum cap.* 5. eam penitùs contudiſſent.

XI. Cæterùm geminis hiſce effatis, tanquam duobus verticibus, quòd quibuſnis ſceleribus, ſi imperio ſeruando profutura ſint, non ſolùm conniuendum, ſed ſtudendum etiam ſit; quodque vitia omnia huiuſmodi finis obtinendi cauſsâ concepta honeſtentur, tota Politices Macchiauellicæ moles, non minùs quàm cunctæ ſcientiæ duplici eo principio: *Quodlibet eſt, vel non eſt; & impoſsibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe,* innititur, vt palàm eſt, & commemorati Auctores, veræ Politicæ vindices, demonſtrant. Quamobrem tam multis, tamque nefarijs ſacerrimi capitis piaculis Pontifices Maximi grauiſſimè commoti, rerum Politicarum Magiſtrum nequiſſimum eundem Nicolaum Macchiauellum ſæpius iam appellatum, ſententiâ latâ meritiſſimò damnarunt, in vetitorum librorum Indicem retulerunt, in primam claſſem perditiſſimorum Scriptorum vnà cum Hæreſiarchis, atque Hæreticis inſuper adſcripſerunt; ex quâ nunquam eum hactenus fuiſſe à Sede Apoſtolicâ expunctum, indubitatum eſt.

XII. Iam ſi quis hinc, quid tandem hominis, cuius fidei, aut religionis hic veræ Politices corruptor, ac proditor fuerit, colligere, ac nôſſe cupit, id ab eodem P. VVangnereckio nullo negotio diſcat, à quo ſumma breuiter atque egregiè ita inita eſt. a *Ex his, quæ Religioni diuinaque auctoritati aduerſantia in faſciculos Gehennæ flammis dignos alliga-*

a *Lib.*3.*c.*7.§.16.

alligauimus, apparet Macchiauellum ſolo nomine Chriſtianum, animo Hæreticum, & minime minimum, Ethnicum fuiſſe. Præcipua enim Religionis noſtræ capita Dei prouidentiam, arbitrij libertatem, animæ immortalitatem, Scripturæ, & Eccleſiæ, Eccleſiaſticorumq; auctoritatem, ſacrificij Chriſtiani ſanctitatem, & tandem primæ virtutis probitatisq; principia aut tollit, aut peruertit, aut contemnit, aut in contemptum adducit. Quâ in re Ethnicis Scriptoribus longè deterior eſt. Nam illos falſam Religionem tenuiſſe in aperto eſt, nec quiſquam mouetur, etſi Deos immortales nominent, aut ſuperſtitionis ſuæ deliria memorent. Macchiauellus verò & generatim, & ſpeciatim, vti vidimus, Religionis fundamenta conuellit.

XIII. Nunc paucis te conuenio, Scioppi. Agnoſciſne Macchiauelli, clientis tui colores, lineamenta, ductus? Viden' Chriſtianæ religionis perduellem, omnis honeſtatis deſertorem, cunctarum Hæreſum inſtitorem, abolendi prorſus Numinis cuiuſcunque ex profeſſo magiſtrum? Et tu huic nihilominùs aduocationem præſtas? à te *innocentia eiuſdem aduersùs Italici nominis hoſtes, aliosq; ſycophantas propugnatur?* à te *Macchiauelli-corum opera pretium, ſiue demonſtratio vtilitatum* editur, *quas Reſpub. apportat doctrina Macchiauellica examen, & ad Euangelicæ veritatis normam directio?* Atqui ego ex hoc tuo patrocinio id demum compendij ad te redire contendo, vt te perfidum Hæreticum, te veſanum Ethnicum, te omnis diuinitatis impiũ euerſorem indicijs quàm exploratiſſimis eſſe perſuadeas. Scitor enim ex te, Scioppi, ſi Arrius, ſi Lutherus, ſi Caluinus, ſi Hæretici cuiusque modi in tui oris & calami caſtris præſidijsque verſentur, horumque Hęreſes ab vniuersâ Eccleſiâ iugulatus defenſitare, ac poſtliminio reuocare conetis, an putas quenquam è Catholicis tam hebetem bardumque, qui te continuò Arria-

num,

num, Lutheranum, Caluinianum, Hæreticum non exiſtimet, ac iure pronuntiet? Noli tergiuerſari, aliàs ipsâ tergiuerſatione Hæreticum te deteges, ac reuincés. Porrò tu Macchiauello non vtcunque ſuppetias ferre ſat habuiſti, ſed eiuſdem quoque errores, Hæreſes, impietatem, Religionis, & Dei excidium in eâ *Pædiâ Politicês* apertè propugnas, imò verò doctrinam eodem libello à te explicatam ac defenſam ex eiuſdem Macchiauelli ſententijs, quin etiam ex verbis ipſis, vt Henricus VVangnereckius ſuis in *Vindicijs Politicis* oſtendit, totam exprimis; adeoque tuis iſtis in *Suppetijs Logicis*, quas clienti tam improbo aduenitti, nihil ſuppetiarum reliquum eſt, quin, vt idem Macchiauellus, tu quoque Hæreticus, Ethnicus, Deique inficiator, meritò cenſearis.

XIV. Sed iuuat hîc eundem P. VVangnereckij ſuarum *Vindiciarum* operi coronidem imponentem, ac de te nominatim veriſſimè hunc in modum perorantem audire. *Gaſpar Scioppius Rei tam ſeuero iudicio damnati infelix patronus ſeu cauſsidicus, multis ſe criminibus, & pœnis obnoxium fecit. Nam Summorum Pontificum, & Eccleſiæ in primis auctoritate ſpretâ, Auctorem inter libros prohibitos, & ipſos Hæreſiarchas relatum, velut* optimum & perfectiſsimum artis Politicæ Doctorem *defendendum ſibi ſumpſit: pari ferè audaciâ, ac ſi quis Lutherum, aut Caluinum, tanquam optimos perfectiſsimosq́ Religionis Doctores defendendos ſuſciperet. Verùm quum eiuſmodi librorum Lectionem grauibus pœnis coërcere voluerint Pontifices, quid Scioppius hac defenſione meruerit, ipſe auguretur. Machiauelli deinde, aliorumq́ Pſeudopoliticorum errores, fraudes, mendacia, & tum impia, tum ſacrilega principia, ac præcepta, ſua fecit. Facti enim crimen habet, qui ſcelera facere cogitat, aut facta defendit.* Quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. *Rom. 1. verſ 22.*

Conſen-

Conſentiunt autem vel maximè malefactis, qui ea defendunt. Quem conſenſum niſi Macchiauello præſtitiſſet Scioppius, non optimum, & perfectiſſimum, ſed deterrimum vitioſiſſimumq; artis Politicæ Doctorem *appellare debuiſſet.*

XV. *Ad hæc grauiſſimam S Thomæ, & Ariſtoteli iniuriam intulit, non ſolùm eorum auctoritate, & exemplo falsò & fallaciter abutendo: verum etiam eos Macchiauello comparando, quaſi non ſanctius, nec innocentiùs, quàm ille Politicam tractauerint; & vel tam hunc, quàm illos abſoluere oporteat; vel tam iſtos, quàm illum inter Auctores damnatos referre, quum paria ferè, imò eadem ſcilicet cum Machiauello de vitioſis Politiæ formis docuerint. Quo ipſo Scioppius Summorum Pontificum in Macchiauello damnando iudicium acerbiſſimè & iniquiſſimè perſtrinxit. Alijs prætereà ſcientijs vim intulit, vt Macchiauelli Pſeudopoliticam tueretur. Oſtendimus grauiſſimos, & pudendos aduersùs Metaphyſicam, Ethicam, Logicam, imò & Grammaticam errores à Scioppio commiſſos: vt non tam Macchiauellum defendiſſe, quàm inſcitiam ſuam paucis pagellis, veluti compendio patefeciſſe videatur. Quod grauiſſimum denique eſt, Chriſtianam Politicam profanauit, imò penitùs ſuſtulit. Sine Chriſto enim Politica Chriſtiana nec eſſe, nec dici poteſt; & vnde Chriſtiana, inde & Chriſtus excluditur. Atqui Scioppius totis ſuppetijs hoc præcipuè egit, vt Chriſtianæ religionis, & omnis virtutis doctrinam à Politicâ alienam eſſe, eiuſque rationes & præcepta, non ſine vitioſo* tranſitu de genere in genus, *à Politicis vſurpari demonſtraret. Politicam igitur Chriſtianam ablatâ religione, & virtute, adeoq; & Chriſto, vtriuſque ſupremo Magiſtro excluſo, non ſolùm profanauit; verùm etiam nullam reliquit, niſi impiam, & ſceleratam, vt neceſſarijs ſequelis, & argumentis oſtendimus.* Hæc Pater VVangnerechius præclariſſimè.

XVI. Ex quibus omnibus palàm demum,

Scioppi, ſit, *Suppetias* iſtas tuas Macchiauello à te allatas haud ſanè *Logicas* eſſe, ſed planè Hæreticas, teque Hæreticum multarum Hæreſum fabrum longè faberrimum.

Cap. XV.

Decima tertia Scioppianæ Hæreſis teſſera, Hæreſeon, errorumque cum veritate conglutinandi, permiſcendique conatus, & fraus impudentiſſima.

I. Hic enimuerò, Scioppi, ſtentoream, opinor, vocem exeres, tamque probroſæ de Macchiauello defenſo criminationi è veſtigio intercedens, frementi propior, quàm loquenti, clamabis, ita Macchiauelli innocentiam à te propugnatam, vt priùs tamen ipſammet Eccleſiæ ſententiam de eiuſdem Macchiauelli codicibus protexeris; teque per malignam prorſus calumniam ineptiſſimè traduci, indignaberis, quum in *Pædia humanarum ac diuinarum literarum* anteà commemoratâ *duplex Apologia* à te diſertiſſimè proſcripta ſit, *a quarum priore Eccleſiæ decreta de Macchiauelli libris defenduntur: poſteriore innocentia eiuſdem Macchiauelli aduersùs Italici nominis hoſtes, aliosq́; Sycophantas propugnatur.* Quid huiuſmodi titulo, inquies, honeſtius? quid hîc non æquum, aut minùs probum? quæ dicti vllius ſuperioris vmbra, aut ſuſpicio? quàm perſpicuè honor ac reuerentia Eccleſiæ pſephiſmatis in primis à me diſſeritur?

II. Ne plura, Scioppi. Plenus rimarum ſum, Niſi erumpam ſtomachum, diſrumpar. O fumum, fucumq́; Thraſonicum! ô ſolemnes tuas ſycophantias Hæreticas! An fruſtrà in ipsâmet pugnæ tecum

a *Pag.* 17. b *Part.* 2. *cap.* 1.

cum initæ proluſione ſuprà articulatè denuntiaui, te ingenio ex meris ſutelis, fallacijsque conſuto, id vnum moliri, vt ſub ouinâ pelle lupus rapax, ſimplices atque antiquos homines circumſcribas? Quid enim perblanda hæc tua pollicitatio, quid à te quæſita per Pontificij interdicti mentitum patrocinium, religionis, ac venerationis opinio reapſe eſt, niſi monſtroſa mulier ſupernè formoſa, in ſcorpium, ne dum in piſcem infrà deſinens? niſi Phariſaicum ſepulcrum, in ſpeciem quidem dealbatum extrinſecus, at mortuorum oſſibus intrinſecus, omnique ſanie ac tabo refertum? niſi Gomorrhæ, aut Sodomorum pomum, quod cutem extimam rubicundam ſanè, viſuq; pulchram habet; at, hac detractâ, decorticatum, fauillaceam fuliginem cineremque dumtaxat euomit? Verſipellis nimirum, vaferque Lutheri emiſſarius es, veritatem ac Religionem nunquam nocentiùs deprauans, quàm quum vtramque maximè obtendis.

III. Verùm tantùm abeſt, Scioppi, vt fucatâ huiuſmodi exceptione ex Hæreſis pedicis tete expedias, vt alio potiùs nouoque laqueo te implices. Nam quotuſquiſque Hæreticorum eſt, qui ſcutum è ſacro volumine ſuæ Hæreſi non fabricet? qui veteres Patres, & Concilia tanquam ſuæ firmamenta Sectæ non aduocet? qui diuinarum Scripturarum perenne ſtudium, atque obſequium non iactet? & tamen quis ijſdem Scripturis fidem magis, quàm Hæretici abrogat? quis illas magis corrumpit? quis turpiùs contaminat? Atqui tu ipſe pariter hunc eundem ludum fraudulenter ludis, Eccleſiæ decretis eo flagitioſiùs illudens, quo illecebroſius eorum patronum te ſpondes, vt mox euincam.

IV. Percontor enim te, Scioppi, Eccleſiæ decreta, quæ priore Apologiâ abs te defendi præ te fers,

fers, iuſtáne cenſes, an iniuſta? Iniuſta? ergo tu illa non tueris, ſed criminaris. Nam qui ea à crimine ac labe immunia à te reputentur, ſi iniuſtitiæ poſtulantur? Iuſta? ergo nequam ac ſceleſtus Macchiauellus, qui ab ijs damnatur. Minimè verò, inquies. Etſi enim Pontificibus Maximis, Purpuratiſque Patribus fraudis ignaris, & bonâ fide ſciſcentibus viſa ſunt iuſta, nihilominùs per malum dolum ac ſtropham illis fuiſſe obtruſa, à me docebitur. O intemperias! Hoccíne demum mirificum tuum Eccleſiæ propugnandæ artificium eſt, eandem ipſam imprudentiæ, erroris, ac ſtupiditatis arguere? At errauit bonâ fide. Sed tamen, te arbitro, ac patrono, errauit, nec tu illam defendis, ſed prodis.

V. Verùm ille error, quem in Eccleſiæ capita irrepſiſſe comminiſceris, ad factúmne aliquod dubium, ancepsque, an ad doctrinam pertinet? vtrum culpas? Factum? Atqui Eccleſia, antequàm vllo de facto pronuntiet, lentè admodum, ſapienterque, ne quando decipiatur, feſtinat. Viden' quot rimandi, indagandi, eruendi retruſa quæque, curas impendit? quot Lectiſſimis Præſulibus rei totius latebras cunctas excutiendas mandat? quàm multis viris doctiſſimis, ác prudentiſſimis negotij partes omnes ac fibras explorandas, ſummâque accuratione expendendas committit? quàm ſollertem prudentiæ amuſſim diuinitus ſuppeditatam, ne à recto deflectat, admouet? Quis ergo, niſi de proſapiâ Lutheri, vel Caluini illam in decernendo falli, allucinari, errore labi cauilletur? At quum Macchiauellum proſcripſit, caligo certè in eius iudicio offuſa eſt. Caligo, Scioppi? quo? vbi? quo die? quâ in cauſſæ dictione? quo fallaciæ decipulo? quibus à præſtigiatoribus? nihil ſanè iſtorum deſignare tu potes, imò nec fingere. Quos verò teſtes doli tam multiplicis, quem

hic dolatum mentiris tu excitas? ex Hæreticorum popinis deſpumatas calumnias. Quæ documenta affers? tui capitis inſanas vertigines. Quas è ſuperiore ætate tabulas producis? puros putos tuæ procacitatis, ac malignitatis fungos. Nam quæ hîc de facto quæſtio, quæ dubitatio eſſe poteſt? De præceptis, & ſcitis Politicis, quæ Macchiauelli libris contenta circumferuntur, quis vnquam, an ea extent, an in illis legantur, controuerſatus eſt? Nemo vnus. Quis ad id locorum animi aliquando pependit, aut ambiguum habuit, iuréne, an iniuriâ iidem libri Macchiauello Auctori tribuerentur? Nullus prorſus. De facto igitur nemo hæſitabundus interrogare, nemo fluctuari poteſt.

VI. De facto quidem, fateor, inquis, nihil eſt, quod mentem meam incertare meritò queat. At de doctrinâ Macchiauelli recténe, an ſecus velut falſa, ac flagitioſa ab Eccleſiâ percuſſa, & Catholicis omnibus interdicta ſit, diuerſus planè agitor, contrariamque in ſententiam diſtrahor. At ego nullus dubito, quin, qui Eccleſiæ ſententiam deſerit, atque oppugnat, vt tu, Scioppi, Hæretico baſilo impotenter vexetur. Sed quomodo, tum bipedum inconſultiſſime, Eccleſiæ dignitati tu conſulis? qui illius decreta fulcis? qui ad eorum tutelam Apologiam adornas? Tam accommodatè profectò, ac qui proprium clientem, propugnandi officium ſtrenuè pollicitus, impacto in guttur gladio, ſceleſtè iugulat. Quippe ſi Macchiauelli doctrinam ſiue temerè, ſiue imperitè ea, te iudice, damnauit; iam tu illam non defendis, ſed perdis, vt patet. Niſi fortè ita eius aduocatione tibi vtendum putas, vt qui eandem in ſanctorum virorum ſolemni conſecratione deerrare poſſe, quemadmodum ſuprà oſtendi, arbitraris; multò magis in librorũ doctrinis cenſendis titubare ac ruere tibi perſuades, quò tua Hæretica inſolentiâ hinc multò cer-

:ò certitior appareat, de quâ nemo iam Catholi-
corum ambigit.

VII. Verùm aliud nunc diuerticulum tuæ amentiæ, vt proſpicio, quæris, negasque præfra-ctè Macchiauelli doctrinam falſitatis ab Eccleſiâ fuiſſe damnatam, ſed huius lectione dumtaxat Chriſtianos populos, quod periculum non leue erat, ne plerique abuterentur, ſubmotos: ſicut etiam ſacrarum Scripturarum vernácula ac vulgari cuiuſque linguæ editione, etſi omnis erroris immuni, quia tamen pernicioſæ multorum interpretationi, varijsque corruptelis ea foret expoſita, vulgo interdictum meritiſſimò eſt. At ſerò nimis ſapis, Scioppi. Quem enim Auctoris pro Catholico habiti librum ex relatis in primam proſcriptorum claſſem mihi dabis, qui ob flagitij periculum tantummodò, ac non multò magis ob peruerſam improbamque doctrinam eiuſmodi infamiæ notâ notatus ſit? Nullum. Quod niſi annuis, iactis tuum in caput cunctis illius voluminibus tundendus tamdiu iure es, donec vnum exhibueris. Atqui Macchiauellus inter Catholicos natus, neque palàm vnquam Hæreticum, quoad vixit, ſe profeſſus, quum nihilominùs in primam claſſem damnatorum aciem vnà cum Hęreticis coniectus ſit, ob inſanam nimirum peſtiferamque doctrinam ita illum multatum fuiſſe, neceſſe eſt.

VIII. Sed aliam rurſus in ſpiram, doloſè anguis, te colligis, Macchiauellumque culpæ eo nomine exemptum is, quod quædam ſcelera facienda non abſoluto loquendi modo, ſed ex connexo tantùm, atque vt aiunt, *hypothetico* docuerit: ab Eccleſiâ autem modus hic loquendi *hypotheticus* nequaquam improbetur, ſed abſolutus dumtaxat. At fruſtra aquã cribro, Circulator inſulſe, hauris. Nam ſi modus loquendi, quo vtitur Macchiauellus, te hariolante, *hypotheticus* tacitè eſt, & quæ ille

præcipit, extra iſtum Eccleſiaſticæ cenſuræ ſunt, & nihilominùs Eccleſiæ decreta & vera, & iuſta eſſe vltro fateris; quid, obſecro, illud tandem eſt, quod eadem decreta in Macchiauello execrantur, ac damnant, ſine quo iuſta, atque ab errore libera eſſe non poſſunt? quid, inquam, monſtri id eſt? Effare, Scioppi, quid eſt? papauer, cucurbita, aut pepo? Pepo tu, ſi id reris. Vitia, delicta, propudia, maleficia, quibus Macchiauellus apertè velificatus eſt, habenaſque laxauit, ipſiſſima ea ſunt, quæ illius in libris Eccleſia iure optimo deteſtata eſt, & quia tot flagitiorum auctor ſuaſorque ille fuit, meritò eum damnauit.

IX. Porrò quum Eccleſiæ decreta in Macchiauelli libris igni addicendis & iuſta, & extra omnem ſuſpicionem erroris ſint, vt explicaui, quæ reliqua Macchiauelli in ijſdem libris innocentia eſſe poteſt? qui tam diſſentanea, & toto diſiuncta cœlo, quæ tu gloriabundus ſimul coagmentas, inter ſe poſſunt congruere? Macchiauelli, inquis, a *Apologia duplex, quarum priore Eccleſia decreta de Macchiauelli libris defenduntur.* Rectè. Quid deinde? *Poſteriore innocentia eiuſdem Macchiauelli aduersùs Italici nominis hoſtes, alioſq; ſycophantas.* O monſtrum! ô impudentiam! Eccleſia nullâ fraude aut errore decepta, Macchiauellum iure condemnauit, & tamen Macchiauellus innocens erat. Eâdem etiam concinnitate aliquem à Iudice ad patibulum iuſtè condemnatum, nihilque erroris in ferendâ ſententiâ imprudenti obrepſiſſe pugnabis, & tamen hominem eiuſmodi patibulatum, non reum, ſed innocentem eſſe. Itáne, Scioppi, Macchiauellum innocentem mentiri non erubeſces, qui Principi ſcelerum omnium poteſtatem ditionis tuendæ gratiâ impiè facit? Innocentem, qui cunctorum delictorum ſordes eiuſmodi

a *Loc. cit pag.* 17.

modi finis potiendi ſtudio expurgari, ac nobilitari tradit? Innocentem, qui Valentini Principis nequiſſimi maleficijs tæterrimis enumeratis, ſubdit, *a Se non videre, quâ in re eum reprehendat, imò omnibus potiùs imitandum proponi, qui ad imperia fortunâ duce, & alienis armis ſunt prouecti?* Innocentem, qui eundem Valentinum haud *b aliter rem ſuam*, quàm per fraudes ſcilicet, cædes, atque alia ſcelera, quorum infamiâ flagrauit, *adminiſtrare potuiſſe* ſcribit? *c* Innocentem, qui tanto facto vim ineſſe vult, vt neceſſitatem ab eo impoſitam nemo queat excutere, omneſque ineluctabilem, quamuis remedia in promptu ſint, experiantur? Ille ille tuo ſuffragio, Scioppi, innocens audiet, *d* qui *ea arma pietatem redolere, quum nullâ aliâ in re, quàm in illis ſpes omnis vertitur*; hoc eſt, Tyrannorum, atque impiorum, qui in diuino auxilio ſpem nullam collocant, ſed ius omne in armis ferunt, ſolâque militum ferociâ, ac ſuarum fiduciâ virium nituntur, perennes lanienas, maximè pias affirmat? Ille innocens, ille innoxius, *e* qui in Chriſtianis ſacrificijs *delicatam quandam mollitiem*, contrà verò in Ethnicorum hoſtijs magnificentiam quandam horrendam cerni, Catholicumque Orbem à Catholicæ vitæ inſtitutione imbellem eſſe redditum, inceſto, & ſacrilego ore peierat? ô te perditorum omnium perditiſſimum, ac ſtolidiſſimum, ſi tuis hiſce Grammaticis captionibus, ac delirijs innocentiam homini noxioſiſſimo, ac ſcerrimo emi poſſe exiſtimas!

X. At ex his ineptijs tuæ Hæreticæ ſtrophæ, Scioppi, dilucent apertiſſimè, dum Eccleſiæ decreta de Macchiauelli Codicibus ita propugnas, vt eiuſdem Macchiauelli innocentiam nihiloſecius fartam tectam ſeruatam contendas. Quod perinde

a *In Principe cap.* 7. b *Ibid.* c *Ibid. cap.* 25. d *Ibid. cap.* 26. e *Lib.* 2. *Diſcurſ. cap.* 11.

omnino eſt, ac ſi Hæreticos Macchiauelli errores cum Eccleſiæ veritate conſociare velis remiſque ſtudeas, ſeu Macchiauellicæ impietatis virus Hæreticum, Apologiæ decretorum Eccleſiæ obtentu, ceu mulſo ſubdolè dilutum, valdeque muſtulentum Lectoribus doli neſcijs, neque promptiſſimis propinare adoriaris. Sed quò, quæſo, Scioppi, tuam iſtam Macchiauelli Apologiam, *aduerſus Italici nominis hoſtes, aliosque ſycophantas* à te fabricatam collineas? in quos illam eiaculas? in Scriptores ſine dubio, eiuſdem Macchiauelli Cenſores perſeueros, ac reprehenſores acerrimos. At quinam hi? Catharinus, Molanus, Boterus, Ribadineira, Oſorius, Lipſius, Poſſeuinus, Amiratus, alijque Viri Catholici diſertiſſimi. In hos, ac ſimiles tu procaciter incurris. Sed quo pacto? Eccleſiæ decretis patrocinium tuum oppigneras; Catholicos Auctores, Macchiauelli vituperatores deſtinatò oppugnas, & ſycophantas vocas. At hæc ſycophantia tua Hæretica perſpicua, ac vecors eſt. Quaſi verò Doctores Catholici, Macchiauelli obiurgatores ab Eccleſiæ ſententiâ diſſideant, aut cum illâ perduelles filij bellum gerant, quos tui calami flagro compeſci operæ pretium ſit. Fraudulentiſſime Hæreticorum, Viri Clariſſimi de Chriſtianâ Repub. optimè meriti, quo magis Macchiauellum inſectantur, eo arctius Eccleſiæ decretis conſentiunt, adeoque dum eos cædis, hæc quoque perimis. At Italici nominis hoſtes in Macchiauellum Florentinum immeritò prorſus infeſtis ſignis inferuntur. At hæc tua rurſus, Scioppi, Hæretica ſycophantia eſt, qui hoſtilitatis prætextu, nefariæ Politices Magiſtro, multarumque Hæreſum ſatori, familiari tibi vafritiâ patrocinaris, tantundemque Eccleſiæ ſcita proteris, atque euertis. Ita ſi qui Italorum calamo in Lutherum, in Caluinum, in Bezam, & parilia portenta inuadant, tu mox

pro

pro tuâ Hæreſum omnium, & ſectarum tutelâ hiſce velut Germanici, Gallici, Allobrogici, Peregrinique nominis hoſtibus dican: impinges, vt Hæreticorum omnium vindex prædiceris.

XI. Quid hîc reponis? quid blatis? vitia ſi qua in Macchiauello ſunt, ego, ais, non probo; ſed plurima, quæ in eo lucent, egregia documenta ab iniuriâ vindico, palamque facio *Macchiauellicorum operæ pretium, ſiue demonſtrationem vtilitatum, quas Reipub. Chriſtianæ apportat doctrina Macchiauellicæ examen, & ad Euangelicæ veritatis normam directio*, quemadmodum in meâ *humanarum & diuinarum literarum Pædiâ* exertè denuntiaui. a Atqui palmaris hæc tua iterum Hæretica ſycophantia eſt. Quotuſquiſque enim Catholicorum eſt, quem fugiat in pleriſque libris, quorum Lectione Catholica Eccleſia cunctis interdixit, nonnulla extare, quæ à noxijs ſepoſita, non ſolùm nemini fraudi ſint, ſed etiam aliquammultis proſint? Quidni igitur cuique veteratori, te auctore, ius fasque ſit, Eccleſiæ ſententiam partim tueri, partim eliminare; innocentiam poſteà Scriptorum, à quibus illa monumenta elucubrata ſunt, defenſare mordicus, eâque re & Eccleſiam ipſam inſanè arietare? quidni hac tuâ eâdem arte, & cunctis Hæreticis, & cuicunque Hæreſi, quin etiam & Iudæorum, & Mahometanorum, & Dei inficiatorum ſuperſtitionibus, ludibrijs, ac bacchationibus copioſam aduocationem facilè indulgeas? quidni recentiſſimum quoque Hæreſis ſtolonem, quæ ſalutem æternam cuicunque fidei, perſuaſioni, aut ſectæ liberaliter impertit, nihilque à Numinis omnis abrogatione diſcedit, vel huius tradux primarius eſt, à Leonardo Leſſio b iam dudum exciſus omnino, ignique ſempiterno deuotus, eâdem lege commendes, ac foueas?

a *Pag* 17.

b *In Appendice Conſultationis de Relig. cap.* 1. *qu.* 1.

XII. Sed quod tandem Macchiauellicorum Codicum iſtud, Scioppi, quod ſpondes, operæ pretium eſt? Multiformis nempe alia tua Hæretica ſycophantia, quam nemo meliùs, quàm Eugenius Lauanda, lepidiſſimi vir ingenij, enucleat, à quo ego ſenſa potiùs, quàm verba commodùm mutuatus, eam tibi luculenter ob oculos pono a Equidem nullus omnino, Vertumne inconſtantiſſime, dubito, quin ex tuæ Grammatico-politicæ principijs non ſolùm Herodis, Iudæ Iſcariotis, Caiphæ, Pilati, & totius Iudæorum aduersùs Chriſtum Concilij patrocinium aliquando ſuſcepturus ſis, verùm etiam ab ipſo *Diabolo* magnam gratiam initurus, ſi tam huius, quàm illorum dicta & facta ad Euangelicæ veritatis normam, vt tu eam peruersè interpretaris, exegeris. Cur non enim pro tuâ in Theologicis, & ſacris Scripturis Politicâ intelligentiâ, & Grammaticis fallacijs (quemadmodum ex Macchiauelli documentis à te laudatis & commendatis neceſſariò cogitur) audaciter pronunties, Herodem infantes occidendo, vt regni eſſet ſecurus, minimè deliquiſſe, ſed rectè ac probè ſibi conſuluiſſe? Iiſdem quippe artibus regnum, quibus acquiritur, ſeruari etiam, ac ſtabiliri: Et ſi Iſraelitis ius fuit aliorum regna aggrediendi, eorumque reges interficiendi; multò magis Herodi integrum fuiſſe, quò ſuum tueretur, eos è ſuis, à quibus timor, & periculum ingruebat, de medio tollere.

XIII. Scio graue eſſe flagitium, ſacrorum voluminum locis ridiculè abuti; quod ego ſanè haud leuiter execror. Sed quia tibi id ſolemne admodum eſt, rurſum decernes, Chriſtum à Iudâ ex obedientiæ virtute proditum fuiſſe. Hunc enim ab illo ijs apud Ioannem 15. verbis, *Quod facis, fac citius*, ad id incitatum fuiſſe. Ac proinde eidem

Iudæ,

a *In Grammatico Tadico pag. 27.*

Iudæ, tanquam noſtræ ſalutis nauo procuratori, grates ingentes habendas, à quo ſi quid fortè ex negligentiâ, vel modo agendi, in leges peccatum eſt, id laqueo cumulatè expiatum. Eodem pacto Caipham quoque, Pilatum, ac cæteros necis Chriſti adminiſtros ſanctiſſimo functos officio conſtitues: proptereaque maximis honoribus, vtpote qui Dei filium ex diuinis oraculis *definito conſilio, & proſpicientiâ Numinis traditum morti adiudicârunt*, vatumque prædictiones cœleſti afflatu editas expleuerunt, mactandos; alioqui fore, vt Caiphas vaticinandi prærogatiuâ in ipſo patrandi facinoris articulo à Deo ornatus, perperam illud effatus ſit; *Expedit, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Demum & cacodæmoni quoque grates exſoluendas, quòd ſacram Scripturam verſare, docuerit; rationem cum Doctoribus congrediendi oſtenderit; facem Chriſti ex miraculis cognoſcendi Iudæis incredulis proluxerit, confidenter aſſeuerabis. Quæ cunctæ, & ſimiles aliæ ſycophantiæ, vt Hæreticæ omnino ſunt, ita ex tuo ingenio, Macchiauellique propugnatione à te operosè arreptâ neceſſariò expreſſæ. Nec profectò teipſum deſeres, ſed eâdem ſycophantandi licentiâ, & tuos quoque famoſos libellos publico Apoſtolicæ Sedis iudicio partim iam proſcriptos, partim proſcribendos ad Euangelij normam explicare, atque è damnatorum Indice eradere conaberis. Quod nimirum Chriſtianæ Reipub. plurimum intereſſe putes, ne Catholica Religio quicquam à tuâ multiplici Hæreſi, impiâque omnis Diuinitatis abolitione diſcrepet.

XIV. I nunc, Scioppi, & Macchiauellicorum librorum operæ pretium porrò pollicetor, ambitioſeque plauſum eum, quem tibi vltro Lauanda ſuprà laudatus dat, aucupator, *Reſipiſcat*, inquit, [a]

[a] *Loc. cit.*

Romana Eccleſia, & emendet erratum in damnanda Macchiauelli doctrinâ commiſſum. Ecce enim nouus inſtaurator Theodidactus adeſt Scioppius, non è cœlo, ſed è cœno emergens, Quintus, Sextuſue Euangeliſta, recens Legilator, & Prophetes, quem meritò expectent non Hæretici ſolùm, verùm etiam Iudæi, Mahometani, Infideles omnes, & Pagani. Omnes quippe vniuersè ad vnam Synagogam Scioppianam aggregabit, vbi eorum examen ad Euangelicæ veritatis normam peræquè direxerit. Sed apage Grammaticopolitici, Plautinis bobus cadendam inſaniam. Hactenus ad normam veritatis Euangelicæ, & ex doctrina Catholica interdixit Eccleſia pernicioſorum librorum Lectione, quos inter & Macchiauellica, aliaq́ue id genus meritò cenſuit. Nunc vnius putridi, mucidiq́ue Grammatici inſtituto corrigendus Eccleſiæ ſtylus; abolendæ Conciliorum Sanctiones, ſcita Pontificum inducenda, omnia ſurſum deorſum miſcenda Hæc Lauanda non minùs ſalsè, quàm verè.

XV. Ex quibus planiſſimum poſtremò, opinor, eſt, hoc vnum lucri a te, Scioppi, qui innocentiâ Macchiauelli aduersùs Italici nominis hoſtes, aliosq́ue ſycophantas defensâ, vel defendendâ gloriaris, factum eſſe, vt complures tuas ſycophantias Hæreticas in theatrum apertè protraxeris, quod ego initio demonſtrandum mihi hoc loco ſumpſeram.

CAP.

Cap. XVI.

Quarta decima Scioppianæ Hæreſis teſſera, communium inter omnes Catholicos ſententiarum oppugnatio, nec non Scholaſticæ Theologorum, & Philoſophorum in docendo, diſſerendoque normæ irriſio.

I. Exploratum famoſi libelli, quem *Myſteria Patrum Societatis Ieſu* inſcripſiſti, architectum te eſſe, Scioppi, quoniam in *Vindicijs* meis *cap.* 5. & 6. prævalidè docui, non hîc ego otiosè denuò tibi ingero, ſed eundem libellum in ius ambulare ad tribunal vſque Sacrorum Quæſitorum omnino volo; quò illic extemplo noſtræ Catholicæ Religionis ac fidei perduellis, atque hoſtis indidem multis nominibus reuincaris. Verùm quum iſtorum complura iam antè produxerim, vnum tantummodò ex illo conuiciorum & calumniarum manipulo in præſens excerpo, quod te à Chriſtianæ Eccleſiæ aquilis ac ſignis ad Hæreticorum ganeas & luſtra transfugiſſe planè oſtendit.

II. Quid hoc rei, inquis, eſt? Dicam, Scioppi, ſi priùs ſatis rogatiunculæ meæ feceris. Interrogo enim te, an in Catholicorum cenſu cenſendum cenſeas, qui pleraſque ſententias communibus Theologorum Catholicorum ſuffragijs munitas, atque obſignatas petulanter explodit? qui compoſitis Hæreticorum fallacijs euerberat? qui ſolida Catholicorum reſponſa vel omnino præterit, vel ſubdolè luxat, vel flagitioſè corrumpit? Quid ais? Catholicine ho-

minis, an Hæretici ductus ac lineamenta iſthæc tibi videntur? Catholici? At Catholici omnes, ſi ita tibi perſuades, perſuaſiſſimum habent, te Hæretici Hæreticum eſſe patronum. Hæretici? at, ſi hoc das, teipſum in laqueum induis, qui illis ipſis in *Myſterijs*, hoc eſt, mendacijs tuis totidem prorſùs piacula contrahis. Egóne, inquis? admodum. Quî id euincis? Ipsâmet eorum *Myſteriorum*, aut potiùs mendaciorum recenſione. Sed quia operoſum nimis, & longitudinis faſtidio maximè obnoxium eſt, luſtrare ſingula, compendio omnium tempori vtor, ſiſtoquè tibi dicti mei prædem vademque locupletiſſimum Laurentium Forerum, qui ſuâ in *Mantiſſa ſect.* 1. cuncta tua illa *Myſteria* probè excuſſit, teque hiſce de maleficijs nominatim appellat. Quàm diſertim, quàm præciſè ſic te ille vrget? *Complures Catholicorum Theologorum doctrinas communi conſenſione receptas & approbatas ignominioſè traducit, & cauillatur, quarum alias apertè negat, & pro abſurdis habet; alias verò Hæreticorum argumentis ita oppugnat, vt reſponſionem Catholicorum omnino ſupprimat, & occultet, aut ridiculè peruertat; perinde ac ſi quis alteri grande vulnus infligat, eiq; deinde malagma, aut emplaſtrum eius generis imponat, quod magis lædat, & mordeat, quam ſanet; qui eſt doloſiſſimus modus docendi Hæreſes, & ſpargendi quoſcunque errores.* Neque verò Forerus magis hæc verbis initio generatim præfatur, quàm factis deinde ſingillatim, affatimque totâ eâ ſectione exequitur, vt cuiuis eam inſpiciendi, perpendentique compertum eſt.

III. Hui quàm vitreum, plumeumque machinamentum arci munitiſſimæ quatiendæ, diruendæque, vel talitro infracto friabile, aut contorto flatu diſſlandum, inquies, hîc infeliciter portas? Atqui ego iam id in meâ *Staterâ* penitùs obtriui, Forerumque mendacij ſeriò coargui. Scioppi, quid

narras?

narras ? quæ monſtra audio ? Tu Forerum illic mendacij coarguiſti ? Imò te quàm impudentiſſimè mendacijs exaggerare mendacia, palàm feciſti. Tu perſpicuæ veritatis machinamentum obtriuiſti ? Imò tuam Hæreſim quàm maximè ibi patefeciſti. Hæc ſcilicet in illis *Myſterijs* paulò tenebricoſior, at eâ in *Staterâ* planè dilucet, omninoque differenat, vbi ſine vllâ nube *cap.*1. *num.*6. ſcribis, *Falſum quidem eſſe, Auctorem* (teipſum nimirum) doctrinas Catholicorum Theologorum communi conſenſu receptas, & approbatas ignominioſè traducere & cauillari (quemadmodum totidem verbis Forerum tibi exprobrantem paulò antè retuli) *ſed verum eſſe, eum doctrinas non ſolùm Ieſuitarum, ſed eorum etiam, qui cum Ieſuitis ſentiunt, in ijs, quæ in libello Myſteriorum traducuntur, &* apertè negare, *& verorum Catholicorum* argumentis oppugnare, & reſponſiones ridiculè *proponere.* Quod enim Hæreſis chirographum certius, patentiuſque, Scioppi, eſt, quàm quum verorum Catholicorum nomine Catholici ipſi exuuntur, eoque manifeſtarij Hæretici inſigniuntur ? At quos eâ in *Staterâ*, loco etiam laudato, verorum nomine Catholicorum tu deſignas, aut intelligis, niſi Hæreticos ? quos falſorum appellatione, niſi Romanæ filios Eccleſiæ, quos natio tua Hæretica *Papiſtas* ad ludibrium nominat ? Nam quinam illi, obſecro, ſunt, qui cum Ieſuitis in ijs, quæ in libello Myſteriorum à te traducuntur, ſentiunt ? Profectò D. Bonauentura, Silueſter, Angelus, Richardus, Panormitanus, Turrecremata, Pighius, alijque complures, in primis autem Hildebrandus *Cardinalis*, qui poſteà Gregorius VII. inauguratus eſt, quos pro veritate Forerus centuriat, atque in aciem educit. At hi, quia Romanæ Eccleſiæ religionem ſanctè profeſſi ſunt, tibi veri Catholici non ſunt, ſed Hæretici; eaque propter verorum Catholicorum argumentis, hoc eſt, Hæreticorum

deliramentis illos à te oppugnatos atque irriſos non fateris modò, ſed etiam gloriaris. Hinc eundem Turrecrematam, & Pighium de Summi Pontificis poteſtate rectè differentes in eâdem *Staterâ, cap. 7. pag. 75. impuras cloacas* vocas. Hinc eundem Hildebrandum aliosque permultos eidem Pontificiæ auctoritati patrocinantes, hoc *nomine infames* ibidem pronuntias. Hinc Bonauenturam, Silueſtrum, & cæteros ſigillo arcanæ ac ſacræ confeſſionis rite cauentes, *fraudium, & impietatum ſocios* inibi *cap* 11 *pag.* 140. nuncupas, hoſque telis Hæreticorum, quos verorum nomine Catholicorum donas, aggrederis, non minùs ſycophantiosè, quàm fruſtra, ſed tuæ multiformis Hæreſis documento planiſſimo.

IV. Quid quod in eodem *Myſteriorum* libello *viros doctrina laude celeberrimos* (vt obſeruatè tibi diem dicit idem Forerus, *a* cuius ego verba hîc totidem vſurpo) *optimeq́; de Eccleſia Catholica meritos, Cardinalem Toletum, Cardinalem Bellarminum, & Franciſcum Suarez* (vt de alijs taceam) *conſutis dolis, fallacijs, & diſtortiſſimis deprauationibus, abſque vlla illorum culpâ, in ſummum odium atque contemptum apud omnes tam Catholicos, quàm Acatholicos conaris pertrahere*, quemadmodum eodem loco P. Forerus *b* modò laudatus, tuarum fraudium ſpicilegio, vel exiguo, in medium allato reuincit? Quid quod he tu ipſe quidem id inficiari andes? Quid quod perſpicuæ hoſtimentum veritatis, noui mendacij ſacomate obruere, ne dum æquare, contendis? Nam opprobranti Forero quid tu in tuâ *Statera* reponis? *c* Quid reſpondes? *Te Fran Toletum, Rob. Bellarminum ex Ieſuitarum ſectâ Cardinales: item Franciſcum Suarez, in odium & contemptum apud omnes tam Catholicos, quàm Acatholicos conari pertrahere.*

a *In Mantiſſa ſect* 1 *pag* 2. b *In Mantiſſa ſect.* 1. *pag* 47. *& ſeqq.* c *Cap* 1 *num.* 2.

ſtrahere. Bonum factum, Scioppi. Candidè quod res eſt, ſemel fateris. At continuò addis: ſed non confutis dolis, ac fallacijs, & diſtortiſsimis verborum deprauationibus (vt tibi Forerus obiecerat) *verùm eos proprÿs, & natiuis, quos ſibi ipſi induxerunt, coloribus depingendo.* Quod eſt immane tuum inſanumque mendacium, vt quà ex clariſſimorum eiuſmodi virorum editis monumentis, quà ex vitâ religiosè ab ijs exactâ, quà ex Foreri *Mantiſſa ſect.*1. perſpectum eſt.

V. Verùm longè maius adhuc exitium rei Catholicæ alio inſidioſo cuniculo moliris, Scioppi de quo paucis te volo. Florent in Chriſtianâ Repub. ſacræ doctrinæ, ac Theologiæ ſtudia, ac vtriuſque explicandæ, docendæque ratio Catholicæ Religionis dogmata validiſſimè propugnat, pariquè robore, atque impreſſione contrarios errores Hęreſesque iugulat, vt Catholicis conſtat. At tu hæc fidei Chriſtianæ præſidia, ac munimenta pacatè ferre nullo modo potes, dolent tibi oculi, liuore exederis, de illis euertendis tecum cogitabundus ſæpius is in conſilium. Quid tandem verò ſtatuis? quid machinaris? In libello de Pædiâ humanarum, ac diuinarum literarum *pag.* 9. plauſibile commentariolum à te vulgandum in lucem ſpecioſo huiuſmodi titulo infucatur? *Pædia diſciplina ſcholaſtica inter Catholicos vſitata: cuius vſus erit, vt diſtinctè ſciatur, quas peruulgata in ſcholis Catholicis humanas diuinasq́; literas docendi ratio mendas habeat, ſiue defectus & noxas, quantiq́; ad totius Orbis Chriſtiani ſalutem interſit, aliam rationem iniri* Hîc enimuerò mera monſtra nuntias, Scioppi. Túne ſuperciliosè Grammaticè Chriſtianam Rempub. doceas, quæ omnino neſcis? quæ nunquam didiciſti? quæ nunquam vidiſti? quæ nunquam cogitâſti? quæ in tuæ mentis vertigines cadere minimè poſſunt? Mitto de multifariâ tuâ inſcitiâ, de quâ commo-

commodior infrà *a* diſſerendi locus erit, plura in præſens commemorare de Philoſophiâ dumtaxat, ac Theologiâ quæro. Quando tu in iſtarum diſciplinarum adyta te penetrâſti? quid adyta dico? ipſa tantùm limina quando tranſijſti? quando inſtitiſti? quando ſaluere iuſſiſti? nempe quum mula peperit, aut quo die Orcus ab Acherunte mortuos amiſit. Et repentinò, velut fungus vnâ nocte exudatus atque concretus, tu Magiſter totius Catholici Orbis factus, proſilies, medullasque Philoſophiæ ac Theologiæ emedullabis? Agnoſco ſycophantiam, facilè cuicunque nares ſint, ſubolentem. At hæc alio à te deſtinata eſt. Catholicus mos ac ratio iuuentutis Philoſophiâ ac Theologiâ imbuendi tibi diſplicet, Hæretica norma enormis ingenia peruertendi, cui à teneris vnguiculis aſſueuiſti, ceu auita, & impreſſa viſceribus perplacet; adeoque illum excuneare, hanc inuehere, ac ſubrogare niteris. Nimirum vim illam ineluctabilem Chriſtianæ Philoſophiæ, ac Theologiæ, quæ Hæreſim, Hæreticosque comprimit, tranſadigit, mactat, placatis oculis intueri non potes, eaque propter vt perditiſſimis congerronibus tuis gratificeris, ac ſuppetias feras, præclariſſimas eas facultates doloſis ſtrophis delumbare ſtudes, penitusque corrumpere. De quo, ne quiſquam ambigat, faxo mox, *b* Scioppi, ſacrarum Scripturarum ſceleſtè peruerſarum ſpecimen à te prolixè datum in promptu ſit.

VI. Sed præſtat iam Eugenio Lauandæ hiſce tuis de præſtigijs accuratè diſceptandi operam nauare. *Vide, oro, infandam*, ait, *c viliſsimi capitis arrogantiam cum ſumma inſcitia coniunctam. Scilicet hactenus à mille ſexcentis annis tot Sancti, & à Deo illuſtrati viri, atque etiam Eccleſia Doctores cum mendis,*

a *Part. 2. cap. 7.* b *Cap. 16.*
c *In Grammatico Padico.*

mendis, defectibus, & noxis diuinas literas docuerunt: Vnus hic terræ filius, & nocte obſcurior Orbem Chriſtianum illuminabit. Apage Grammaticum Cloacalem virgindemiâ plectendum. Quid hinc colligant Cenſores fidei? Profectò ſi ad Orbis Chriſtiani ſalutem, aliam Theologiæ explanandæ, tradendæq; cum hoc Nouatore rationem iniri intereſt, hucuſque mortales omnes denſis inuoluti tenebris cæcutiuimus. Ergo hic tenebrio Orbi lucem afferat? Hic ſalutem, ne pereamus, apportet? Animaduertis, opinor, Lector, in Grammatico elementa Hæreſeos, qui audet diſciplinæ Scholaſticæ rationem nouam inter Catholicos præſcribere, & omnem Chriſtianam antiquitatem erroris arguere, ipſe tantundem ex Scholaſticis ſapiens, quantum vtricularius ex Sibylla folijs. Et dubitamus hunc Rabinum, amentem literarum Meſsiam, non aliquando ad Iudaiſmum tranſiturum? Ita Lauanda ſuo congruenter nomini, ſeu cognomini, etiam ſine Mattiacis pilis & nitellâ munditer, ac nitidè. Quod ſi tu fortè necdum tuas Hæreticas maculas illarum vſu emaculaſti, Scioppi, alium ſaponem tibi præterea liberaliter iam iam ſuppedito.

CAP. XVII.

Quinta decima Scioppianæ Hæreſis teſſera, ſcelerata diuinarum literarum deprauatio.

I. NVllus eſt, reor, Scioppi, pauo tam ambitioſus, qui gemmantibus conchatæ, & circulantis caudæ coloribus adeò magnificè, ſe circumſpiciat; nullus gallinaceus tam inconditi turbidique ſtridoris, aut potiùs furoris, qui ſanguineis criſtis, & paleis ex rutilo albicantibus ita infletur, plumisque mirè horrentibus, ac ſolum pauientibus ita turgeat, vt tu ſacrarum

Scriptu

Scripturarum cognitione, interpretandique peritiú, quam magnidicis ſermonibus iactare non deſinis vſque ad rauim, intolerantiſſimè gloriaris; ratus fortaſſe, cunctas Hæreticæ tuæ amentiæ ſyngraphas hac vnâ te nullo negotio aboliturum. Sed oppidò falleris. *Omnes* quippe *Hæretici*, vt cautè obſeruauit D. Auguſtinus, *a ex Scripturis falſas atque fallaces opiniones ſuas conantur defendere.* Imò eo maximè Hæreticos ſe produnt, probantque, quod ijſdem fœdè abuſi, ſuis deliramentis tibicines ſtruunt, veritatem ipſam habent ludibrio. *Nec ob aliud ſunt Hæretici,* vt ſapienter idem Auguſtinus, *b niſi quod eas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pertinaciter aſſerunt.* Vt verò votis potiantur, & ſacroſanctis literis ſua obuoluant mendacia, quid agunt? Ipſummet diuinum diploma ac cœleſtes tabulas vitiant, lancinant, verbis malo dolo ingeſtis farciunt, malitioſè ac nequiter traijciunt. *a Neque enim vtuntur Hæretici,* vt diſertè notauit S. Hieronymus, *c teſtimonijs Scripturarum ſibi cohærentibus, ſed conturbant omnia.*

II. Hactenus, Scioppi, complures tuæ Hæreſis teſſeras in medium attuli, ratasque ac fixas demonſtraui Nunc aliud telum vibro, pugnoque id vnum ſtrenuè, tuam omnem, quam prædicas, ſacrarum literarum ſcientiam eo potiſſimum eminere atque excellere, quòd verendum illud, diuinumque volumen impuratis manibus tractas, atque ad ruinoſos tuos errores, inſaniasque Hæreticas ſtatuminandas, tum ad improbas calumnias fabricandas, pro tuâ libidine atque odio, Hæreticorum more, torques, truncas, laceras, peruertis De Hæreticæ porrò tuæ doctrinæ flagitijs non hic ego

a *Lib. 1. de Trinit cap. 3.*
b *Lib. 7. de Geneſi ad literam, cap. 9.*
c *In Ezech. c. 32.*

ego litem tibi (ne trepida) quam ſuprà documentis tam multis iam toties diremi,iterum,ac fruſtra intendo, ſed quod iiſdem flagitijs Hæreticis vendirandis ſacroſancta chirographa impiè mancipaueris,nunc tibi,velis nolis, probè vapulandum.

III. Nec te ego vel punctum temporis moror. Quæ te enim Erynnis, Scioppi, tranſuerſum egit, vt hinc exordiar,vt, quum in Societatem noſtram debacchareris, Religioſamque noſtrorum ſcholaſticorum paupertatem ſimplici deuinctam voto, quæ vſu rerum dumtaxat, non dominio, abdicat, à Sede Apoſtolicâ, Summiſque Pontificibus toties probatam ſacrilegij inſimulares,ad id perſuadendum in tuâ Aſtrologiâ *cap.5. pag* 18. enucleatè ſcripſeris; *Iſtos omnes paupertate vouendâ Ananiæ & Sapphiræ exemplo* defraudare, ac Spiritui ſancto mentiri? *Act.5.* Quæro de te, quod fuit Ananiæ,& Sapphiræ, quod repentinâ morte multatos illico expirâſſe, memorat ibi S.Lucas,exemplum? Quod votum illi vouerunt? quâ religione ſe obſtrinxerunt? ſcilicet fortunarum ſuarum non ſolùm mancipium depoſuerunt, ſed vſu quoque ſibi interdixerunt, voto vtroque nomine ſponte Rei. At quia partem pretij ex diuendito agro clam ſibi, non Apoſtolorum arbitrio, ſed ſuo expenſuri,retinuerunt,temeratæ deuotionis,& ſacrilegij nefas contraxerunt,actùtumque id ſubitæ mortis ſupplicio, perculſi diuinitus, luerunt, vt quum veteres Patres, tum Doctores omnes,vno dempto Caietano, tam apud Bellarminum *lib. 2. de Monachis, cap.*20. quàm apud Lorinum *in Acta cap 5. verſ 4.* conſentiunt. Sed quorſum iſtuc,vt noſtrorum Scholaſticorum paupertatem,vſu dumtaxat rerum proprio deſtitutam, vincas eſſe ſacrilegam? quorſum? vt ſacrilegam tuam diuini Codicis corruptelam omnium oculis exponas, quemadmodum iam anteà *cap.8.* patefeci.

IV. Num

IV. Num verò quicquam ampliùs reuerentiæ aduersùs illam Chriſti Domini ſententiam: *a* *Beatius eſt magis dare, quàm accipere:* à te adhibitum eſt? Quàm imperitè, quàm nefariè ad Benedictinorum paupertatem, quæ diuitias promiſcui vſus habet; tanquam præ curis, oneribus, ac difficultatibus, quibus ea comitata eſt, longè maioribus, perfectiorem, Franciſcanorum paupertati anteferendam diuinum illud oraculum contra priſcorum Patrum, Maximorum Pontificum, Sacrorum Interpretum, omniumque Catholicorum ſenſum, vt ſuprà *cap.* 10. expendi, flexiſti? *a* An eorum Ieſu Chriſti verborum: *b* *Nolite poſſidere aurum, neque argentum,* &c. quam oportebat, verecundiam habuiſti? ſcilicet. Quàm effrænatè contemptâ Sanctorum Patrum, ac Theologorum expeditâ, ſanâ, perſpicuâque explicatione, de quâ iam antè *cap.* 11 ſatis copiosè, ita malignè ea reſoluis, vt voluntariam paupertatem primis Chriſtianæ Religionis præconibus, viam Catholicæ fidei legitimo, vt par eſt, teſtimonio aperientibus, perneceſſariam; & ſi qui talem paupertatem in vſum minimè reuocent, teſtes idoneos non eſſe, neque cum Chriſto, vt paſtores animarum, colligere, ſed, vt lupos, ſpargere, decernas? *c* Quàm falſa, quàm propudioſa, quàm in Epiſcopos omnes iniurioſa tua iſta opinationis veſania eſt? quàm à cunctis Doctoribus, anteſignano D. Thomâ, vt iam vidimus, penitùs execrata? Num exemplum & effatum Pauli Apoſtoli Corinthijs ſic denuntiantis: *d* *Non enim quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos. Nec enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs:* te officij, ac pudoris admonuit? ſanè, & quàm planiſſimè: ſed contempſiſti. Quàm ineptè enim, quàm flagitiosè locum hunc, ex quo

certò

a *In Aſtrologia cap.* 7 *pag.* 29. b *Matth* 10.
c *In Aſtrologia cap* 5. *pag.* 18. d 2. *Corinth.* 12.

certò liquet, ſicut à naturalibus parentibus bona temporaria filijs tranſcribuntur, ita è contrario *ſpiritualibus*, vt vocant, genitoribus alimenta à filijs ſuppeditanda, nouus tu ſacrarum literarum myſtes, aut potiùs lanius eò collineas, vt hinc Patres *ſpirituales* ad victa & caduca bona filijs ſuis *ſpiritualibus* largienda diuino obligatos eſſe præcepto, immani pudendâque imperitiâ exundas, proptereaque in tuâ Anatomiâ *pag*.89. huiuſmodi Pauli teſtimonio recitato, non ſolùm in noſtra Collegia, quibus certos ſtabilesque fundos ad Socios ſuſtentandos poſſidere per Conſtitutiones Apoſtolicæ Sedis auctoritate firmatas ius fasque eſt, ſed in plurimos quoque alios Religioſos cœtus, quibus idem licet, & conſuetum eſt, ita palàm inſanis: *Ieſuita*, & cæteri Religioſi eiuſdem, quod ad hoc, conditionis, *volunt eſſe Patres, nec tamen filijs theſaurizare, aut impendere, ſed ſibi ab illis theſaurizari, quod eſt impoſſibile?* Quàm ſcurrile, quàm inficetum, quàm Apoſtolico ſcito aduerſum tuum iſtud ſcomma eſt?

V. At ſcitor inſuper ex te, Scioppi. Quod Paulus ad Galatas ſcribit *cap*. 4. *verſ*. 13. *Scitis autem, quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iam pridem:* ad quam Euangelij prædicationem ſpectat? Non me clam eſt, per *infirmitatem carnis* intelligi hîc ab Apoſtolo labores, ærumnas, infeſtationes, paupertatem, & pericula; quibus vndique obſeſſus, vilis, miſer atque infirmus videbatur, vt cum D. Hieronymo ſacri tradunt Interpretes. Sed num hac ſolâ mutæ prædicationis formâ, quæ in vitæ ſanctitudine poſita eſt, Paulus, quum iam pridem Euangelij lucem Galatis intulit, vſus eſt? Imò verò & ore, linguâ, voce diuinum Chriſti claſſicum ſimul apud eos cecinit, vt exploratum eſt, idque manifeſtò ibi indicat; *Euangelizaui vobis iam pridem.* Neque aliò it Regius

gius Vates, vbi *Pſal.* 67. ſacrum hoc carmen condit: *Dabit verbum Euangelizantibus virtute multa,* quod ad Euangelij vocales internuntios pertinere, compertum eſt. At verò illud *Act.* 4. *Virtute magnâ reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti:* non de boni exempli, & ſanctæ vitæ virtute, ſed de virtute miraculorum accipiendum eſſe, vel lippis perſpectum eſt. Mentior iam, Scioppi, niſi hæc tria ſacri voluminis chirographa ad ſanctimoniæ, operumque inſignium, quæ mutam prædicationem appellas, commendationem ſtolidâ improbitate depromis. Num inficiaris? Quò verò tendunt hæc, quæ in *Anatomia pag.* 79. tam anxiè hoc pacto inculcas? *Secundus modus, quo contemplatiui proximorum ſalutem adiuuant, eſt Euangelizatio operis, ſeu plenitudinis, & virtutis multæ, quæ eſt muta prædicatio, hoc eſt, vitæ, & conuerſationis ſanctitas, ſignum Dei, ex quo miniſtri eius, velut ex manu, aut chirographo Dei à Gentibus, & Hæreticis cognoſci poſſunt.* Mira, & nunquam audita myſteria. Sed quomodo ijs fidem ex diuinis tabulis adhibes? Quomodo? Subdis illico tria illa ſuprà adducta loca *ad Galat.* 4. *Pſal* 67. *Act* 4. quæ toto penè cœlo diſtant. Vnde paret manifeſtò, quàm volupe tibi, atque in delicijs ſit, ab vno ſenſu ad alium deſciſcere, atque à germanâ diuinorum Codicum explanatione turpiter delirare.

VI. Sed noli, quæſo te, Scioppi, indignari, ſi negotium tibi prætereà faceſſo, vt mihi duos illos verſus 21. & 22. ex *cap.* 37. Eccleſiaſtici ediſſeras; *Eſt vir aſtutus multorum eruditor, & anima ſua inutilis eſt. Vir peritus multos erudiuit, & anima ſua ſuauis eſt. Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt: in omni re defraudabitur; non eſt enim illi data à Domino gratia.* Cedò nunc, quis ſapientiſſimi huius pronuntiati intellectus ſyncerus eſt? quæ genuina notio? quis *vir peritus* hoc loco accipiendus? quî *anima ſua*

ſuauis

ſuauis dicitur? Quid moraris? quid reſtitas? quid caput ſcalpis? Pone curam, pone ambages. Vicem ego tuam officiosè non minùs, quàm tempeſtiuè iam præſto. Illuſtriſſimi ac doctiſſimi Præſulis Cornelij Ianſenij eum locum vnà cum cæteris Catholicis Doctoribus incorruptâ fide, ac planiſſimè enucleantis verba hîc tibi annumero. *Vir*, inquit, *a peritus, doctus, & ſapiens multos erudit, & interim etiam animæ ſuæ ſuauis eſt, & vtilis, quia & ſuâ ſapientiâ multam ſibi affert dulcedinem, atque vtilitatem, & magnâ afficitur voluptate, quòd alios ſentiat, per ſe eruditiores & meliores fieri.* Nimirum qui ſacrarum literarum pręcipuè ſcientiâ abundat, multos alios quoque earundem cognitione amat imbuere; ac præ internæ dulcedinis, boniq́ue operis fructu, quo animam ſuam locupletat, & quia locupletat, etiam exhilarat, magnâ voluptatis ſuauitate perfunditur. Idcirco Lyranus in *Gloſſa* ad hoc *caput*, vir, inquit, peritus, *videlicet in Scriptura*, multos erudiuit *ad bonum*, & animæ ſuæ ſuauis eſt *per augmentum meriti* Quo veluti diteſcit, ac ſaginatur. At contra omnino viro aſtuto, qui alios docet, ſeipſum non docet, ſed negligit, accidere decernit idem Eccleſiaſticus, eum quippe animæ ſuæ inutilem euadere. *Fit enim interdum, vt ſit quiſpiam, qui alios bene doceat, & bene eis conſulat* (Ianſenij verba rurſum vſurpo) *& tamen ſibijpſi ſit inutilis, & malè conſulit iuxta prouerbium: Nec quicquam ſapit, qui ſibi non ſapit, & ſapientem eum odi, qui ſibijpſe non ſapit.* De vero igitur & Catholico huius oraculi ſenſu res minimè anceps, conſtat; ambigere non licet. Atqui ego, Scioppi, iam tibi vehemẽter ſuccenſeo, tecumq́ue iniuriarum iure optimo ago, quòd hoc ipſum oraculum ad improbam calumniã viris Religioſis ſtruendam fraudulenter adulteraueris. Negas? ſed quàm malis auibus? teneris. Nónne in tuâ *Anatomia*, *pag.* 73. & 74. ita noſtris hominibus obtrectas;

a *In ea verba Eccleſ.*

Ieſuitæ volunt ſimul multos erudire, ſiue ad faciendos fructus pœnitentiæ dignos impellere, & animæ ſuæ ſuaues eſſe, nec eam ieiunijs multis affligere, quod eſt impoſsibile? Nónne ad hoc conuicium fulciendum mox cantherium à Syracide petis, continuoque ſubijcis: *Vt enim Eccleſ. 17. ſcriptum eſt.* Vir aſtutus multos erudiuit, & animæ ſuæ ſuauis eſt. Omni re defraudabitur *(id eſt, fruſtra laborabit)* non eſt enim illi data à Domino gratia? Nónne hanc eandem Eccleſiaſtici ſententiam ad eandem calumniã recoquendam in tuâ *Aſtrologiâ, cap. 4. pag.* 15. vnà cum ijſdem interpretamentis, loquendi formis, cæteriſque adiunctis iterum inculcas? Nónne hinc documènto præualido cogitur, te vtriuſque libri, *Anatomiæ*, atque *Aſtrologiæ* (vt quaſi præteriens id ſtrictim attingam) vnum eundemque Auctorem eſſe? ô ſtrophas! ô dolos! ô ſycophantias! cui non apertæ? cui non iam retectæ? diuerſarum membra ſententiarum perturbas. parum eſt. minimè ſibi conſentanea ſimul iungis. non eſt ſatis. è regione pugnantia in vnam periodum compingis. Vltra tua impudentia progredi non poteſt. *Eccleſiaſtici* 37. inquis, *ſcriptum eſt*; *Vir aſtutus multos erudiuit.* Mentiris. *Vir peritus*, ait Sapiens, *multos erudiuit.* At inter aſtutum & peritum nullum diſcrimen. Mentiris iterum, mendaciumque tuum palàm Syracides reuincit, âſtuto peritum ex deſtinato opponens. Perge. *Vir aſtutus multos*, ais, *erudiuit, & anima ſua ſuauis eſt*; itáque ab Eccleſiaſtico ſcriptum teſtaris. Sed mentiris oppidò rurſum more tuo, mendacijque te idem Sapiens clarè coarguit ſic enuntians; *Vir aſtutus multorum eruditor, & anima ſua inutilis eſt.* Non verò, vt tu flagitioſè peruertis, *& anima ſua ſuauis eſt*: ſed *Vir peritus multos erudiuit, & anima ſua ſuauis eſt.* Hanc porrò animæ ſuauitatem tantundem valere, ac corporis commodis ſtudere, aſperioremque viuendi rationem auerſari,

non

non obſcurè tu innuis. At inſcito mendaciq́ue commento, quum longè diuerſam dulcedinem indicet, vt oſtendi. Quare ſi infamis leno, Scioppi, eſt, qui duorum vxores maritorum, alteram alteri, commutatis thoris, mutuo infandoq́ue adulterio proſtituit: an non pari te quoque infamiâ vrgeri neceſſe eſt, qui, vbi Spiritus ſanctus virum peritum cum animæ ſuauitate caſtiſſimo connubio copulat; contra autem virum aſtutum inutili labore damnat; è contrario virum aſtutum cum animæ ſuauitate, inauſpicatis ac ſacrilegis nuptijs, execrabilis diuinorum verborum ſtuprator, ad dedecus Religioſis viris imprimendum, coniungis? Nemini aqua hæret.

VII. Sed prodigij magni inſtar habent, Scioppi, quæ in tuâ item *Aſtrologiâ* a luſcitioſus Aſtrologus perſonas, *Hæreticis, & Gentilibus prædicandi prouinciam nemini rectiùs mandari, quàm Monachis hoſpitalitatis, & beneficentiæ lege obligatis.* Quorſum iſtuc? vt euincas ſcilicet, noſtram Societatem improuidè, minimeq́ue ſuo congruenter fini obtinendo à S. Ignatio fuiſſe inſtitutam, quippe qui rem omnium, ad alienæ procurationem ſalutis, maximè neceſſariam, beneficentiam nempe, atque hoſpitalitatem, qualem D. Benedictus ſuis alumnis præſcripſit, neglexerit. Non eſt animus hic tuam hanc ſtropham malè materiatam euertere, quam probè iam Forerus b noſter contudit. Illud tantùm te rogo, quâ tandem ratione hanc Monachorum prærogatiuam vendibilem facias. Nimirum, inquis, c quia *qui ſanctos mores & ſermones ſuos Beneficentiæ ſale, condiunt, hominumq́; palato conciliant, hi Victores diſcedunt, animasq́; diabolo raptas in triumpho ducunt.* Quod ne dicis tantùm g atiâ aſſeuerare videaris, exemplo quoque robo-

Q ras,

a *Cap. 20. pag. 74.* b *Animaduerſ. 4. in Aſtrolog. Scioppij.* c *In Aſtrologia cap. 20. pag. 73.*

ras, addiſque confeſtim: *Quomodo Apoſtolos feciſſe Actor. 14 narratur.* Quid verò ibi narratur? *Virtute magnâ, ait, Apoſtoli teſtimonium reddebant Chriſto, & Gratia magna erat in omnibus illis. Nemo enim erat egens inter illos, quia diſtribuebatur ſingulis prout cuique opus erat.* O tuam, Scioppi, tutelam, fallaciamque palmarem! *Nemo erat egens inter illos* inquis. Non diffiteor. Sed cur ſupprimis, quod inibi etiam legitur: *Nec quiſquam eorum, quæ poßidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia?* nempe quòd id fraudem tuam aperit, ac iugulat. Quod enim totâ in Germaniâ, imò in vniuerſâ Catholicorum Repub. *Cœnobium* certis redditibus, vt in Benedictino Ordine moris eſt, præditum, ſtudioque hoſpitalitatis addictum extat, quod ea, quæ poſſidet, non ſua eſſe, ſed Chriſtianis omnibus communia affirmet? Vnum reperito, & viciſti. Sed nuſpiam adhuc conditum eſt. Nam hactenus condita fundos proprios, quos habent, & ſuos eſſe aiunt, & cæteris, etiam Religioſis familijs, ne dum Chriſtianis cunctis, communes iure negant. Quàm temerè igitur, atq; infeliciter Apoſtolicorum virorũ, quibus ſuum nihil erat, exemplum ad Euangelicæ prędicationis prouinciã, Monachis potiſſimùm, quibus & prædia & poſſeſſiones propriæ ſunt, neq; alijs alterius Ordinis communes, præ reliquis aſſerendam, atque hinc ad Societatis noſtræ Inſtitutum dedecorandũ arceſſis? Hîc ego, quid diſtent æra lupinis, non de te quæram, Scioppi, qui quid inter mendacium, & veritatem interſit, dummodò maledicas, nil penſi habes.

VIII. Sed quamdiu inſignitam tuam calami in ſacroſanctum diploma procacitatem differo? Illud Iobi 41. *Quum ſublatus*, ſiue irritatus *fuerit*, diabolus videlicet, de quo ibi ſub ceti imagine ſermo, *timebunt Angeli, & territi purgabuntur*: quo pacto tu exponis? *Id eſt etiam illi* (tua enodatio eſt

tuâ

tuâ in Aſtrologiâ *cap* 10. *pag.* 38. ſi meminiſti) *qui viribus ingenij plurimum pollent, præ timore ſe* CONCACABVNT, *& quo ſe vertant, neſcient.* O virgineam tuam, Scioppi, modeſtiam! ô præclaram ſacras erga literas reuerentiam! ô cœleſtis oraculi elegantem exornationem! vnde, quæſo, eam tu didiciſti? A Luthero ſine dubio, cuius olim in ſtabulo educatus, idem fimetum tecum circumfers. Nec ego de explicatione queror, quam vtcunque ferri poſſe, non ignoro, ſed de tam inuerecundâ verbi obſcœnitate, quâ eam contaminâſti. Quis enim, niſi Lutheri Catulus tam fœdè, vt tu, diuinos pugillares dehoneſtâſſet?

IX. Hæc & plura alia quum ad ſpecimen tuæ in ſacris Codicibus explanandis, tractandisque impudentiæ ac ſtultitiæ, documenta affatim ſuppetant; ne longior ſim, cunctis ijs tua *Pædia Politica, ſeu Ciuilis Philoſophiæ quum ex Macchiauelli libris, tum ex ſacris literis hauſta*, vt eam in tuorum voluminum Catalogo *a* inſcribis, coronidem ſine controuerſiâ imponit. O veteratorium tuum ac ſceleratum ingenium, Scioppi, cui eodem numero ac loco ſunt cœleſtes tabulæ, & Macchiauelli infames chartæ, ad Politices neſcio quam Pædiam indidem coagmentandam! Hæreſim ſcilicet nouam architectaris, abolitionemque Numinis, quâ tua impietas turget, iam diu parturis, demumque ſemel paries: Eo vel maximè quòd gloriabundus iactas quoque aliam *Pædiam Theologiæ Didacticæ, cuius vſus*, vt ſpondes, *b erit, vt quis clauem duplicem parare ſibi poſſit ad aperiendum literalem, & Myſticum ſacræ Scripturæ ſenſum: ipſeq; fiat ſicut arbor ſecus decurſus aquarum, cuius nunquam deficiant nec fructus in cibum, nec folia ad animorum medicinam.* Pſal. 1. & Ezech 47. Hîc enimuerò exclamare me cogis, Scioppi.

a *In Pædia humanar. ac diuin. liter. pag* 11.
b *Ibid.*

pi. Prô quàm diues nugarum, ac præſtigiarum es! Túne alijs ad ſenſum hiſtoricum abditumq́ue venandum eruendumq́ue viam, quam tu ipſe neſcis, à quâ tam ſæpe deliras, quam toties deſeris, præbere queas? tu cæteris diuinarum oracula Scripturarum, quæ tot delirijs tuis obuoluiſti, patefacias? O anilia commenta! Et quiſquam adeò ſtipes ſit, vt tibi vel ſi per Iouem ſeu iures, ſeu peieres, ne dum iniurato fidem habeat? Dicam ingenuè, quod res eſt, ſine vllo verborum circuitu. Quum diuinos libros tam flagitioſè vitiaueris, torſeris, vulneraueris, laniaueris; ſenſum literarium exprimere, te magiſtro id demum erit, cœleſtia illa chirographa mutilare, traijcere, commutare, confundere, perturbare; myſticum verò elicere, Dei notitias ac res ſacris contentas vocibus, ad probroſas calumnias per ſummum nefas fabricandas, vt complures tui Codices, famoſi præſertim locupletes ſunt teſtes, & in *Vindicijs* meis, *a* planum feci, pauloq́ue pòſt *b* rurſum conuincam, ſcelerate transferre. Quâ vtrâque prærogatiuâ vſque adeò excellis, vt clauis ad noua & portentoſa ex Dei reſponſis conuicia recludenda, atque expromenda verè tibi ſemper in ore, in manu, & in calamo ſit; nullaq́ue arbor ad enormes, ac nefarios errores, vbicunque diuerſaris, ſerendos te fœcundior exiſtat; in cibum ſcilicet venenatum, non in medicinam, obtrectatorum, maximè Hæreticorum, quorum partes tueris.

X. Sed age, quid in tuas iſtas intemperias Eugenius Lauanda bellè meditatus ſit, gratis accipe. *En nouum*, inquit ille, *c* Videntem, *cui crede, explorata ſunt ſacra Eleuſina magis, quàm myſticus, vel etiam literalis ſacræ Scripturæ ſenſus. Non longè eo. Blaterat quidem Scioppius in conuiuijs, atque ſympoſijs (vbi præſertim*

a *Cap. 14. §. 5 & 6.* b *Infrà part. 3. cap. 6.*
c *In Grammatico Tædico pag. 36.*

præſertim paulò hilariùs ſe inge- gitauit) fractas quaſdam ſacræ Scripturæ ſententias: ſed tam accommodatè ad rem, quàm quod prouerbio dici ſolet, ocreæ quadrant naribus. Apparet ea peritia ex libris, quos Sacra Indicis Congregatio proſcripſit, videlicet ex Ieſuitâ exenteratio, *ex* Anatomiâ Societatis, *& alijs id genus, quæ ipſiſſimam Scioppij Pythonici maniam agnitam exhibent, in quibus adeò ſtolidè, & indoctè verſatus eſt, vt non tam riſum, quàm commiſerationem tulerit.* Habes, opinor, nugiuendæ Grammatice, dignum tuis auribus acroama, cui mox alterum addit eodem loco Lauanda: *Verùm ſi hæc*, inquit, *de ſenſu literali; quid putemus de myſtico? Dicam, quod nonnemo ex magnis Principibus renidenti ore in gratijs protulit: tam callere Scioppium ſenſum Scripturæ myſticum, quàm merum Turcam Symbolum ſancti Athanaſij. Nihil profectò verius.* Niſi quod ad conflandas immanes ex diuinis literis calumnias, virisque innoxijs, & Deo ſacratis aſpergendas (patere me, quod reliquum eſt, liberè appingere) adeò nequam es artifex, ac præſtigiator, vt nemini propemodum Hæreticorum, qui in calumniandi palæſtra diuinisq; ſententijs abutendi impudentiâ ſunt aliàs, *vt notum* eſt, exercitatiſſimi, quicquam concedas. Nimirùm antiquum inſitumque Hæreticorum morem, Scioppi, dediſcere religioni habuiſti.

XI. Cæterùm etſi huiuſmodi tua piacula improba admodum ſunt, vt liquet; in eo tamen capital maximè feciſti, quòd æterni teſtamentum Numinis auguſtiſſimum, eximiâque reuerentiâ ac religione colendum non ſolùm ad infandas calumnias ſtruendas, ſed ad pleraſque tuas Hæreſes uoque obtinendas, roborandasque, vt *Lydius* ipſe *apis* certo documento eſt, labefactâſti, detorſiſti, urpâſti, deprauâſti, atque ita te Hæreticis rurſum ccenſum demonſtrâſti, quod hîc ego potiſſimùm erſequor, ac deteſtor.

Cap. XVIII.

Sexta decima Scioppianæ Hæreſis teſſera, Sacri Concilij, Catholicorumque Doctorum doloſa obtruncatio, nec non complures aliæ in afferendis, explicandisque Scriptoribus fraudes ad calumnias, aut errores creandos nequiſſimè confutæ.

I. Qvum diuinas tabulas, atque chirographa tam illotis manibus, impuratoque calamo, vt vidimus, Scioppi, pollueris; haud equidem miror, te pari effrænatione & in Lateranenſe Concilium, & in Scriptores cuiuſque modi graſſari; mirarer potiùs, ſi his pepercisſes, aut parceres. Verùm quoniam ad tuæ Hæreſis multiiuges traduces propagandos nihil tibi inauſum eſt, nihil intactum relinquis, cogor hîc tuæ Hæreticæ perfidiæ id quoque auctarium adijcere.

II. Inter reliqua tua opprobramenta, quibus Pontificem Maximum ſæpius dedecorare, vt docui, ſtuduiſti, illud certè poſtremum non eſt, vt iam ſuprà *cap.*4 non dubiâ tuæ Hæreſis teſſerâ inſignitum oſtendi, quòd articulatè negas, vllum *Monaſterium* ex ijs, quæ vacant, cuiquam mortalium, etiam à Chriſti Vicario ſine ſacrilegio commendari poſſe; addisque in *Anatomia, pag.*87. nec poſſe *cuiquam commendari, ſiue etiam adminiſtratorio titulo committi, ſine deſtructione, grauiq; eorum, atque etiam Eccleſiæ Romanæ fraude ac damno.* De quâ tuâ falsâ, inſanâque doctrinâ non hîc ego tecum, Scioppi, ampliùs expoſtulo, quum iam antea *a* illam penitùs obliſerim; ſed id tantummodò cu-

a *Cap.*4.

dò cupio reſciſcere, quo tu argumento eam firmatum eas. Inſtar omnium, inquis, b Concilium Lateranenſe eſt, ſub Leone X. celebratum, quod *Seſſ.9. C.3.* ita diſertè cauet: *Volumus, & ſancimus, vt quum illa* (nempe *Monaſteria*) *per obitum Abbatum, qui illis praerant, vacauerint; nullo modo poßint commendari, ſed de perſona idonea eis ita prouideatur, vt illis idonei Abbates, prout decet, præfuturi ſint.* At vereor, ne maritimis moribus hîc mecum experiatis, Scioppi. Nam quin aliquam expedieris hoc loco fallaciam, nullus ſanè dubito. An enim Concilij verba integra ſine vllâ fraude recenſuiſti? nullum ſuppreſſiſti? nihil diſſimulâſti? num poſt eam particulam, *nullo modo poßint commendari*, proximè ſequitur, vt tu ſubieciſti, *ſed de perſona idonea eis ita prouideatur?* nihilne interiacet? nulla prorſus vox interponitur? Imò tota hæc planiſſima clauſula ex deſtinato interſita cernitur; *Niſi pro conſeruatione auctoritatis Apoſtolicæ Sedis; & ad occurrendum malitijs illam oppugnantium, pro temporum qualitate, aliter nobis de fratrum Concilio viſum fuerit expedire.* vt ex ſolido Concilij eo decreto ſuprà *cap.4. §.5.* recitato teſtatum eſt. At cur huiuſmodi perſpicuam exceptionem falſariâ manu ſubduxiſti? nempe quia temulentum tuum placitum apertè iugulat. Cur ſacroſanctam ſanctionem tam nefariâ carnificinâ deartuaſti, atque exoſsâſti? nimirum vt Romani Pontificis auctoritatem affligeres. Cur, vbi Concilium decernit, Pontifici Maximo fas eſſe, *Monaſteria pro conſeruatione auctoritatis Apoſtolicæ Sedis commendare*, tu id præfractè inficiaris? ſcilicet vt te Lutheri Caluiniq́ue hircum redolere, Catholicus quiſque deprehendar. Perge.

III. Vt Ieſuitas, Scioppi, oculis nonniſi limis, hirquiſque tranſuerſa dumtaxat tuentibus

b *Cap.4.*

aſpicere ſolitus es, ita Collegiorum noſtrorum copia nimium quantum te vrit. Hinc in tuâ *Anatomia, pag.* 15. & 17. vt noſtris Præfectis Generalibus, quorum auctoritate ea inſtituta ſunt, ægrè facias, fibulam ijs à Secundâ noſtrâ Congregatione generali, ne porrò id audeant, huiuſmodi pſephiſmate impoſitam ais: *Adhibeatur in poſterum moderatio in multitudine Collegiorum admittendâ, rogatq; Patrem Præpoſitum Generalem Congregatio, & ſeriò* MANDAT, *vt potiùs applicet animum ad roboranda, & ad perfectionem adducenda iam admiſſa, quàm ad noua admittenda:* moxque quum P. Claudium Aquauiuam, tum P. Mutium Vitelleſcum, quòd id Congregationis mandatum inſuper habuerint, & contempſerint, perſtringis. Sed Græcâ nimirum fide, ſcæuâque inauſpicatâ. Nam ſi quis falſarius falſimonijs alios fallere cupiens, falſus vnquam ipſe eſt, tu profectò, Scioppi, maximè es: & ſi cunctis falſarijs manus præciderentur, vt præcidendas eſſe nonnemo apud Suetonium *a* proclamauit; tu ſanè iam pridem manibus careres. Quid enim? *Rogatq; Patrem Præpoſitum Generalem Congregatio, & ſeriò mandat:* inquis? Itáne *ſeriò mandat?* Imò tu valdè ſeriò mentiris, & *commendat,* quod eſt in autographo, atque in omnibus exemplaribus, quæ habent, *ſeriò commendat;* infelici ſeceſpitâ lacerans, ac mutilans, *mandat* nequiter ſubſtituis ac fraudulento tuo ingenio nauiter litas. An porrò quiſquam puerorum, poſtquam ſeptuennes ſunt, quid inter *Mando,* & *Commendo* interſit, Scioppi, ignorat? Nunquámne tu amico tuo, aut etiam Principi paruolum aliquem paraſitaſtrum per literas fortè *ſeriò commendâſti?* quippini? Num propterea etiam aliquid Principi ſeriò mandâſti? Hoc tu certè non ſomniabis, & ſi fors ſomnias, te ſomniantem ac deliran-

a *In Claudio cap.* 15.

delirantem non moror. Aliud ergo eſt *ſeriò commendare*, aliud *ſerò mandare*. Primum eſt in Congregationis decreto, alterum è tuo fanatico capite tantùm depromptum. Quid quod ad geminandam fallaciam non ſolùm verbum *Commendo* malè truncatum in *Mando* improbè transformas, ſed memorabilem quoque Decreti illius appendicem, explicationemque proximè ſequentem, quæ Congregationis mentem planiſſimè exprimit, Generalemque Præſidem extra culpam omnino ponit, dolato dolo ſupprimis? Quàm reuerenter enim, quàm manifeſtò eadem Congregatio non abſolutè vetat, quò minùs Generalis Antiſtes noua deinceps Collegia poſſit admittere, ſed eundem dumtaxat rogat, monetque, vt eâ in ſe cautionem ac moderationem cordi habeat? Quàm edocenter, quàm dilucidè ſancit: vt *ſi quæ* Collegia admittenda *exiſtimaret* Generalis Præſes *ex ijs, quæ offerrentur, eiuſmodi eſſent, & eis in locis, & cum talibus circumſtantijs, vt ad commune bonum Eccleſiæ Dei magnum momentum habitura videantur?* Viden' iam, vt tota tua fraus hinc penitùs exenteratur? vt adunci tui vngues præciduntur? vt decipulo captus ipſe tuo reuinceris?

IV. At longè atrociore calumniâ *Cardinalem* Toletum aggreſſus, Hæreticum errorem tuis in *Myſterijs, Aphoriſmo 6. pag. 92.* ei affingere non dubitas. *Mentiri*, ais, *in Confeſſione non eſt ſemper peccatum.* Idem Toletus *lib. 3. cap. 9.* Hóccine Toletus? ne cogitauit quidem. Si tuâ de proſapiâ Hæreticâ foret Toletus, hæc & alia portenta Hæretica tecum cuderet. At quia morum innocentiâ, doctrinæ ſplendore, propugnatæ Catholicæ fidei gloriâ, Vaticanæ purpuræ dignitate Orbi conſpicuus, de Chriſtianâ Repub. optimè meritus eſt, haud mirum, ſi ab Hæretico nebulone, cui mentiri tam ſolemne, vt mendacia in virtutibus numeret, Hære-

tico conuicio proſcindatur. Verùm Toleti verba ipſiſſima, nullo detracto, ſic habent. *Mentiri in Confeſsione graue peccatum eſt, quamuis non ſemper mortale: niſi quum peccatum negatum, vel falsò affirmatum, eſt mortale: quando verò eſt veniale, mendacium non eſt mortale.* Vnde bicubitalis tua ſycophantia ſeſe pandit, ac prodit. Quid enim? nihilne culpam lethiferam veniali intereſſe putas? nihil. ergo delicta omnia mortifera, nullum leuius agnoſcis, quæ Hæretica veſania eſt. Aliquid? ergo quum Toletus *mentiri in Confeſsione non eſſe ſemper peccatum mortale*, exertiſſimè doceat; tua Hæretica ſtropha diem illi dicens, perinde ac ſi ſimpliciter negâſſet, mentiri in Confeſſione arcanâ ſemper eſſe peccatum, palàm denudatur, fuſtuarioque digna meritò iudicatur. Quod verò ad hanc multam deprecandam Latinæ *Myſteriorum* editiones in Verdæanâ tuâ *Staterâ, cap. 12. pag.* 145 à quibus ea fraus abſit, ſubſidio à te vocentur, nihil prorſus agis, niſi quòd te *Myſteriorum* Germanicorum, in quibus illa fraus viſitur, germanum architectum fabrumque, qui eam & pleraſque alias fallacias improbo operi adiecisti, imprudenter oſtendis.

V. Nunc periclitari lubet, an qui Toleto adeò impudenter illuſiſti, Diuo Thomæ aduenienti aſſurrecturus ſis, tuæque procacitatis lacernam ſemel depoſiturus. Porrige ſis tuas *Suppetias Logicas.* In his enucleatè affirmas ab Ariſtotele, ac ſancto Thomâ demonſtrari, *a Politici eſſe, non tantùm de optima, ſed etiam de qualicunque Reipub formâ, quamuis deteriori, & vitioſâ præcipere.* Pauloque poſt hæc, S. Doctoris verba repræſentas. *Politicus non ſolùm debet conſiderare Politiam ſimpliciter, ſed etiam optimam ex ſuppoſitione, & eam, quæ cuique congruit, & quæ poſsibilis eſt. Similiter debet Politicus conſiderare Politiam faciliorem, & communiorem omnibus.*

a *Apud Wangnereckium lib. 1. cap. 4. §. 3. pag. 90. 4.*

omnibus. Iſti autem ſolùm de optima Politiá determinauerunt, quæ multis indiget, ad quam pauci pertingere poſſunt, & ideò ſolùm de illa, quæ vix, aut nunquam eſſe poteſt, conſiderauerunt. Et ideò manifeſtum eſt, quod errauerunt. Hæc ille quæſitiſſimæ ſapientiæ, diuinæ, ac humanæ myſtagogus. Sed te percontor modò, Scioppi; numquid reuerentiæ horum verborum tibi fuerit? num fideliter cuncta enuntiâris? num aliqua de induſtriâ prætericris? num machinam hîc pariter ſubdolam ſis machinatus? Quid muſſas? effare. Quò te pedes? conſiſte. Vno obtutu colubram excolubro, ſimulque exanimo. Aio conſignatiſſimè, os à te Lectori ſublitum peniſſimè, atque ante poſtremam illam Diui Thomæ clauſulam: *Et ideò manifeſtum eſt, quod errauerunt:* quam tu præcedenti orationi, verbo *conſiderauerunt* terminatæ ceu proximè ſequentem ſubiecisti, ſed falsò, ac perfidiosè, hæc cuncta verba, quæ piceatâ manu ſublegiſti, intermedia extare: *Alij conſiderauerunt Politiam magis communem, & nihil de optima dixerunt. Vnde reprobant quaſdam Politias Laconicorum, & ſi qua alia eſt, quæ approbanda eſt, & quam laudamus* Poſt quæ demum illico appingit eam clauſulam flagitiosè à te anticipatam: *Et ideò manifeſtum eſt, quòd errauerunt.* Vnde liquet erroris à ſapientiſſimo Doctore arceſſi non tantùm eos, qui facilioris, & communioris Politicæ omiſsâ penitùs tractatione, de optimâ dumtaxat præcipiunt; ſed illos quoque, qui è contrario in communiore explicandâ ita toti ſunt, vt optimam intactam omnino prætereant. Sed cur, quæſo, Scioppi, hanc poſteriorem notam à D. Thomâ ijs, qui optimæ Politiæ diſputationem penitùs negligunt, iniuſtam expunxiſti? nimirum Macchiauelli patrocinium in eo *Suppetiarum* libello, vt ſuprà demonſtraui, *a* ſuſcepiſti; ac proinde,

Q 6 ne

a *Cap. 14. & 15.*

ne clientem tuum eundem Macchiauellum, alioſque Politices corruptores, à quibus non ſolùm de optimâ Politiâ nihil literis mandatum eſt, ſed etiam rectæ Politices formæ, quæ probandæ ſunt, quaſque & S. Thomas, & boni Politici laudant, nequiter improbantur, fuiſſe allucinatos, ac delirâſſe fateri cogereris, per fraudem ea verba ſupprimere neceſſe habuiſti.

VI. Quid præterea? In eodem *Logicarum Suppetiarum* libello ex *lib.* 5. *Politicorum* Ariſtotelis *cap* 9. *hac* memoras a *Oportet oligarchas videri ſemper plebis cauſſam defendere, & aliter iurare, quàm nunc ſolent. Nunc enim in quibuſdam oligarchÿs quum ad imperium admittuntur, ita iurant: ero plebi inimicus, & quidquid mali potero, faciam. Atqui oportet eos præ ſe ferre ac ſimulare contrarium, ita conceptis verbis iurantes: Plebem non afficiam iniuriâ.* Mox verò Diui Thomæ in hæc Philoſophi verba Commentarium, velut ſyllabatim deſcriptum ita refers. b *Si debeat ſaluari paucorum potentia, oportet eam videri facere pro populo, & facere oportet iuramenta contraria ÿs, quæ faciunt. Conſueuerunt enim oligarchæ, quum in principatu inſtituuntur, iurando dicere: Iuro, quòd populum odio habebo, & conſilio annitar, vt malè habeat. Hoc autem non eſt faciendum, ſed oportet opinari contrarium eſſe faciendum, & inſinuare in iuramento oportet, quod oligarchæ non facient iniuriam populo.*

VII. At num hæc verba, Scioppi, Ariſtotelis, ac D. Thomæ reuerâ ſunt? vtique. Omnia? omnia. Nullum detractum? nullum. Nihil ſycophantiæ in ijs à te compoſitum? nihil. Sed cui narras? Tibíne ego facili crudelitate fidem adiungam? tibi, qui tam ſæpe doctis dolis attentos etiam & catos in tranſennam ducere, ac fallere ſuetus

a *Apud Wangnereckium lib.* 1. *cap.* 1. §. 3. *pag.* 154.
b *Lectione* 7.

ſuetus es? At falleris oppidò tu ipſe modò, ſi me tuæ fallaciæ ac tranſennæ iam opportunum autumas. Nego præcisè, ac diſertè illa verba eſſe genuina Ariſtotelis, nego eſſe S. Thomæ, nego fideliter ea à te recitata, aioque temerè variata, mutilata, coagmentata, perturbata, conſarcinata, falſoque pro illorum verbis obtruſa. An reluctaris? Recitetur locus integer Ariſtotelis è *lib.* 5. *Politicorum, cap.* 9. turpiter à te vitiatus, vbi quum Philoſophus nonnulla imperia tradidiſſet videri popularia, aut paucorum potentiæ accommodata, quæ tamen popularem Rempub. aut paucorum potentiam, propterea quòd hanc, aut illam nimis affectant, tandem euertunt; deinde ad eam doctrinam, quam tu improbo aſtu auſoque peruertere, decerptis ex eodem Philoſopho verbis, conatus es, illuſtrandam continuò ſubdit: *Erant autem & in popularibus Rebuſpublicis, & in paucorum potentijs In popularibus quidem Rebuſpublicis populi ductores, vbi multitudo domina eſt legum. Duas enim ſemper efficiunt ciuitates, certantes cum diuitibus. At contrà oportet ſemper videri loqui pro diuitibus; in paucorum autem potentijs pro populo eos, qui paucorum potentiæ ſtudent; & iuramenta contraria, quàm nunc iurare. Nunc equidem in quibuſdam* (paucorum ſcilicet potentijs) *iurant: Ero populo inimicus, & conſulam, quicquid habuero mali. Oportet verò præ ſe ferre verbis, & ſimulare contrarium, id ſignificantes in iuramentis: quod plebem non afficiam iniuriâ.* Quæ Ariſtotelis verba è Græco Codice accuratiſſimè reddidit P. VVangnereckius, *a* nec Latina & communis Leonardi Aretini interpretatio, quanquam vocibus nonnihil, ſenſu diſcrepat. At hæc ipſa verba, quanto interuallo ab ijs, quæ tu alijs exturbatis, alijs præteritis, alijs in ſimiæ ſpeciem transfiguratis, in medium attuliſti, diſcedunt?

a *Lib.* 2. *Vindiciarum, cap.* 1. §. 13.

diſcordant ? diſſentiunt ? Num omnes mortales fungos ac ſtipites, qui fraudem tuam collatis teſſeris deprehendere, ac luce veritatis diſpellere non poſſent, exiſtimâſti ? Fungus tu planè ac ſtipes, ſi ita animum induxiſti, ſtupidiſſimus.

VIII. An verò meliore fide D. Thomæ hypomnema, ſeu expoſitionem exhibuiſti ? ſcilicet. Prouoco ad propria atque integra ipſius S. Doctoris verba. Age, recitentur. *Peccant ductores populi in ſtatu populari, ſiue in quo tota multitudo, velut monarchiâ quadam dominatur; non ſecundùm legem. Ductores enim pugnantes contra diuites, diuidunt ciuitatem in duo; adulantes enim multitudini, mouent eam contra diuites. Hoc autem non eſt faciendum, ſi debeat popularis ſtatus ſaluari; ſed multitudo pro diuitibus debet videri facere, quod volunt: ſic enim ſaluari poterunt. In paucorum ſtatu ſimiliter peccat paucorum potentia, opprimens multitudinem, ex quo contingit corruptio paucorum ſtatus. Et ideò ſi debeat ſaluari, oportet paucorum potentiam videri facere pro populo, & facere iuramenta contraria eis, quæ faciunt. Conſueuerunt enim paucorum ſtatus potentia, quum inſtituuntur in principatibus, iurando dicere: iuro, quod populum odio habebo, & conſilio annitar, vt malè habeat. Similiter in populari ſtatu iurat populus, malignus ero diuitibus, & conſulam, quæ illis mala eſſe ſciam. Hoc autem non eſt faciendum; ſed oportet opinari contrarium eſſe faciendum, & inſinuare in iuramento, quod potentia paucorum non facient iniuſtum populo. Et populus debet iurare, quod non iniuſtè aget contra diuites.* Hactenus Philoſophorum, ac Theologorum luminare. At tu ab hiſce lineis, quàm longè abijſti ? receſſiſti ? deflexiſti ? quàm multa amputâſti, traieciſti, ſurſum, deorſumque traxiſti ?

IX. Nequaquam, inquis. Verba ego ſus deque habeo. Senſa religioſiſſimè tam Ariſtotelis, quàm

D. Tho-

D. Thomæ expreſſi. Ea etſi non annumeraui ſingula, quid piaculi eſt? Quid piaculi, Scioppi? nihil ſanè, niſi quòd te mendacem conuincit, dum eiuſmodi verba omnia illorum Auctorum eſſe deſtinatò profiteris, quæ tamen tua ſunt, à te perperam ſubiecta, ac pro Ariſtotelis atque Thomæis venditata. Niſi id ſponderes, & ſenſum dumtaxat aliorum commemorare, aut compendio indicare tibi adlubeſceret, haud ego te culpandum, dummodò ſententiæ minimè incommodares, cenſerem. Verùm non ſolùm verba ſingula contra polliciti fidem neutiquam præſtitiſti, ſed ipſum qnoque ſenſum dimidiatim prorſus diſcerpſiſti. Siquidem Rerumpublicarum populariùm, quarum error in diuitibus inſectandis errorem optimatum in plebe agitandâ frequentatum quaſi intento digito è regione oſtendit, mentionem penitùs omiſiſti.

X. At fraudis tuæ enorme auctarium illud eſt, quod quia tum Ariſtoteles, tum D. Thomas locis paulò antè laudatis paucorum dominatum, quem *oligarchiam* vocant, ſimulatione ac periurio conſeruari docent, tu ad eorundem locorum, quæ tuis in *Suppetijs Logicis*, vt planum feci, affers, contumeliam, eidem Philoſopho, nec non Theologorum etiam anteſignano per indignum nefas imponis, quòd a *Status conſeruandi cauſſâ doceant ſimulare & peierare:* excuſari tamen vtrumque pronuntias, quòd id non abſolutè, ſed eâ cum conditione *ſi debeat ſaluari paucorum potentia*, vt loquitur S. Thomas, doceant. O verſipellem præſtigiatorem! ô Vertumnum Hęreticum! Tuas iſtas *Suppetias Logicas* appello, Scioppi. In his quò maximè tuas fallacias ac dolos collineas, niſi vt Lectori nefariam Hæreticamque Macchiauelli doctrinam, vt ſuprà b patefeci, quàm blandiſſimè inſtilles? Huic autem

a *Apud Wangnereckium in Vindicijs lib.2. cap 1. §. 3. pag.164.* b *Cap.14. & 15.*

autem ſceleri tam execrabili, quò aliquod honeſtamentum prætexas, quò te vertis? Ariſtotelem, ac D. Thomam prenſas. Sed fruſtra. Refragantur. Eorum ſcripta excutis. Sed ludis operam. Dicta exploras. Sed tibi minimè propitia experiris. Vt votis potiaris, facinus aliquod atrox tibi audendum eſt. Nihil pigraris. Incorruptis tantorum Auctorum Codicibus manus infers, eosque torques, lancinas, diripis; quodque viri ſollertiſſimi nonniſi ſub conditione, atque ex connexo fieri innuunt, tu abſolutè illis affingis, quòd imperij conſeruandi gratiâ ſimulare, ac ſimulationi, iureiurando ſolemni, hoc eſt, infando periurio, fidem facere doceant. Itáne, Scioppi, quicunque alicuius rei conditionem ſtatuit, is tibi eiuſdem rei efficiendæ Auctor *a* abſolutè, ſuaſor, ac doctor extemplo eſt? Nónne inſanis palàm, ſi ita ſentis? Simulationis ac periurij doctrina, quam diuinæ humanæque leges damnant, ac deteſtantur, abſolutè improba eſt, neque à flagitio eximi poteſt, vt conſtat. Iam quum Ariſtotelem, & S. Thomam iſtorum ſcelerum Auctores abſolutè Doctoresque nefariè mentiris; quid niſi earundem ruptores legum illos apertè decernis? & tantâ te impietate ſanctiſſimum Doctorem inceſtante, impiare non erubeſcis? quid impietate? fœdâ etiam inſcitiâ atque imperitiâ manifeſtò allucinantem prodere te non pudet? Quid? in tuâ Grammaticâ quàm varios ſolœciſmorum modos tu ipſe explicas? num idcirco te ſolœciſmos docere ſi quis dicat, placatis auribus feras? ad rauim vſque haud dubiè oblatrabis. Theologus pariter an non iniuſtitiæ, libidinis, Hæreſis, aliorumque delictorum naturas, diuerſasque ea patrandi rationes accuratè exponit? an ideò & horum quoque ſcelerum Doctor abſolutè à te appelletur? nempe à cerrito capitone,

a *En Wangnereckio.*

pitone, & quo non cerritior alter. Dialecticus quoque an non multiplices ſophiſmatum formas, contortarumq; concluſiuncularum decipula ediſſerit ? num propterea in ſophiſtarum etiam album à te illico referetur ? ſed à Sophiſtarum omnium ineptiſſimo. Poſtremò ipſemet Chriſtus Dominus, quàm perſpicuè iniquum villicum à ſuo laudatum Domino, quòd idoneum rebus ſuis remedium adhibuerit, Lucæ 16. memorat ? Quid ergo ? An etiam Chriſtum Aſſertorem Orbis, magiſtrum iniquitatis eodem nomine nuncupandum ſacrilego ore cauſſaberis ? Huc nimirum tandem tuum illud *Logicarum Suppetiarum* conſilium euadit: dumque Macchiauello opitularis, Philoſophiæ ac Theologiæ principibus Ariſtoteli, ac D. Thomæ, tum rectæ rationi in primis, ac ſplendenti veritati bellum tenebricoſum, plaudente orco, ſed execrante cœlo, indîcis. Verùm *aliud eſt*, nugiuende circulator, *docere vitia, aliud dedocere*, vt egregiè aurem vtramque tibi peruellit VVangnereckius; a *aliud præcipere vt fiant, aliud ea explicare, ne fiant; hoc eſt artis, illud improbitatis. Non ergo docent ſimulare & peierare S. Thomas, & Ariſtoteles; ſed dedocent, & abſolutè vetant, quod ex hypotheſi oligarchiæ neceſſarium, ac vtile eſſe cenſent; quia inter vitioſas fugiendasq; Reipub. formas eam reponunt, teipſo fatente, Scioppi, qui Politicæ turpiſſimus leno, immeritò Ariſtarchorum nomen, ac culpam, Pſeudopoliticorum æquiſſimis Cenſoribus affingis.* Cæterùm quia Macchiauelli Hæreticis intemperijs velificabas, vt has væno exponeres, Philoſophorum coryphæi Ariſtotelis, ac Theologorum ductoris S. Thomæ brachijs circumtritis, conuulſiſque articulis opus tibi exiſtimâſti.

XI. Sed quid ago, Scioppi? Res erit non vnius voluminis, ſed plurium, ſi cuncta id genus tua piacula,

a *Loc cit.*

piacula, quæ non tantùm in ſacris literis, ſed in cæteris quoque Scriptoribus Catholicis, nec paucis, cædendis, delumbandis, carpendis, perturbandiſque, ad tuos errores, Hæreſeſque cauponandos, contrahere ſoles, huc reuocare velim. Scatent his paſſim tui libri, præſertim famoſi, ex quibus perexiguam hanc partem ad ſpecimen Hæreticæ tuæ iſtius corruptelæ, cui modò ſtigma inuro, libâſſe ad alias properanti ſit ſatis.

Cap. XIX.

Septima decima Scioppianæ Hæreſis teſſera, generalis Hæreticorum defenſio.

I. VEllem, Scioppi, vt quam tibi geminam, complicatamquè duplicis tuæ Hæreſis teſſeram, vnius tantùm inſtar, in manus paulò priùs tradidi, nunc mihi diuidere, alioque ex capite retractare, per tuam humanitatem liceret. Non inuitus, opinor, id mihi largieris, qui fœcundâ tuarum Hæreſium ſobole in ſinu gaudes. Oſtendi ſuprà *cap.* 7. tuam in pleroſque Cœlitum Hæreticam impudentiam, quos infandis maledictis figere, quia pertinaces in perfidiâ Hæreticos ferro atque igni coërcendos docuerunt, nihil te veritum eſt. Palàm modò faciam, Hæreticorum omnium patrocinium, quos à quauis pœnâ ſecuros eſſe vis, à te flagitiosè ſuſceptum, quod antè, quanquam tacitè indicaui, ex profeſſo tamen minimè expendi: vnde neceſſariò parebit, quàm impium te in Diuos præbuiſti, tam pium in Hæreticos maiores tuos, quos propugnas (ô pietatem impiam!) te præſtitiſſe. Parùm videlicet fuerat, complures libros ab Apoſtolicâ Sede iure damnatos, ſceleſtè à te, vt antè *cap.* 14. probaui, defen-

defenſari, niſi in præſens cunctis quoque Hæreticis iuratum aduocatum penitùs deuoueres. Quod ne quo fuco infucare, atque eludere queas.

II. Sciſcitor ego ex te, Scioppi, an eam opinionem, quæ obſtinatos Hæreticos profanis Iudicibus ad pœnas luendas dedendos negat, ſanam, tutamque arbitreris? Quid ais? Maximè? At non te mendacij apertè conuincunt Catholicæ Eccleſiæ ſcita, quæ tum *Cap ad abolendum*, tum *Cap. Excommunicamus, Extrau de Hæreticis*, tum *Cap. Super eo*, item *de Hæreticis in 6.* perſpicuè ſtatuunt, Hæreticos contumaces, ac refractarios poteſtati profanæ committendos, atque ab hac puniendos? Maximè? At non ferreum tuum os probè contundunt ipſimet Hæretici, Parmenianus, Petilianus, & Gaudentius, Donati mancipia, Ioannes Hus, atque Lutherus, vnà cum aſſeclis, qui ſoli delirium tam delirum commenti ſunt? Maximè? An non tibi metum incutiunt, non modò Lutheri articulus, qui eandem inſaniebat inſaniam, à Leone X. perpetuâ execratione defixus, ſed multò magis idem Ioannes Hus, Hieronymusque Pragenſis, qui in eâdem Hæreſi erant, à Concilio Conſtantienſi *Seſſ* 15. damnati flammisque vltricibus vſtulandi latâ ſententententiâ addicti? Maximè. At non te Catholicæ perduellem Eccleſiæ coarguit Bellarminus, qui *qui lib. 3. de Laicis, cap.* 21. ex diuinis Scripturis, è ſacris Concilijs, è veteribus Patribus oppoſitum dogma apud Catholicos omnes ratum eſſe fixumque demonſtrat luculentiſſimè?

III. Verùm non ſolùm fas iusque, Scioppi, eſt, Hæreticos arreptæ ſemel mordicus Hæreſis, nec vnquam reiectæ nomine, extremo plectere ſupplicio, ſed perſeuerantes quoque in ſcelere, omnemque reſipiſcendi ſpem incidentes armis aggredi, atque illatâ vi ad Catholicam Religionem

nem capeſſendam adigere. Quis enim ambigat? Peruicacem Hæreticum præ Hæreſis noxiâ comburere, poteſtas, vt vici, in Chriſti Eccleſiâ eſt; neque minùs certum, Pontifici Maximo in Hæreticos ratione ſacri Baptiſmatis Eccleſiæ ſubditos, quamuis extra Eccleſiam errabundos, ius eſſe. Quid ſi igitur iubenti Pontifici, vt Hæreſim expectorent, obſtinatis animis reluctentur? nónne peruicacis Hæreſis maculâ notatiſſimi actutum erunt? nónne capital fecerint? nónne Pontifex pœnis non tantùm *ſpiritalibus*, ſed etiam corporalibus in eos iure poteſt animaduertere, principumque miniſterio, atque armis ad Catholicam fidem profitendam eoſdem compellere?

IV. Sed præter vim argumenti ineluctabilem, quàm explicatâ dilucidâque Sanctione Bonifacius VIII. *Extrau. de Maiorit & obed.* id ipſum decernit? Num abnuis? Ecce tibi ipſiſſima Summi Antiſtitis verba. *Qui in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat, malè verbum attendit Domini proferentis*, Conuerte gladium tuum in vaginam. *Vterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritalis ſcilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Eccleſia, ille ab Eccleſia exercendus. Ille Sacerdotis, is Regum manu & militum, ſed ad nutum & patientiam Sacerdotis.* Quid planius? quid euidentius? At lege ſis Gloſſam in hunc eundem locum, *verbo*, *Notandum autem.* Quàm diſertè? quàm enucleatè? *Reges ergo*, ait, *& Principes videntes per ſigna hoc expedire Eccleſiæ, debent contra rebelles, & inobedientes* (quales præcipuè Hæretici indomitæ ceruicis, ac cernulantes) *materialem gladium exercere.* Quid porrò hæc ſonant, quid denuntiant, niſi arma in Hæreticos, vt Catholicæ Eccleſiæ adiungantur, Principibus, ac Regibus ad nutum Sacerdotis, Petri in ſolio conſidentis, Vicarij ſcilicet Chriſti, de quo ibi ſermo eſt, eſſe expedienda? Quorſum S. Gregorius Magnus

gnus *lib. epiſt.*72. Africæ Exarchum, vt notat Becanus 2. 2. *de bello, cap.*25. *quæſt.*5. *num.* 4. operosè hortatus eſt, vt Donatiſtas bello comprimeret, niſi vt hanc ipſam doctrinam conſignatiſſimè obſignant? Cur multò priùs Tertullianus quoque in *Scorpiaco, cap.* 2. hanc eandem quæſtionem verſans, articulatè ſcripſit; *Ad officium Hæreticos compelli, non inlici dignum eſt; duritia vincenda eſt, non ſuadenda, & vtique ſatis optimum præiudicabitur, quod probabitur à Deo conſtitutum atque præceptum:* niſi vt huic ipſi veritati in anteceſſum plauderet? ſed num te clam eſt, quid hoc eodem antiquiſſimi Patris loco recitato, Benedictus Iuſtinianus, magnus Theologus in 1. *Petri epiſt cap.*2. *verſ.*13. *nũ.* 13. mox ſubijciat? Ne ignorationem cauſſari poſſis, ſic habet: *Tertulliano omnis antiquorum Patrum & Theologorum Senatus aſtipulatur, Hæreticos tanquam perduelles, & transfugas ad Eccleſiæ caſtra iure compelli, & ad proditam ac deſertam religionem reuocari.*

V. Quamobrem Franciſcus Suarez, inſigne Philoſophiæ, ac Theologiæ decus, 2.2. *de Fide, diſp.*20. *ſect.*3. *num.*3. vbi errorem illorum, qui negant, *poſſe, aut debere Hæreticos cogi pœnis ſiue ſpiritualibus, ſiue temporalibus* commemorauit, poſteà *num.* 6. Catholicam veritatem, vt diſtinctè eam appellat, primâ aſſertione ita prorſus exponit: *Punire Hæreticos Apoſtatas à fide, quam in Baptiſmo profeſſi ſunt, licitum eſt, & ſanctum, dummodò fiat ab habente poteſtatem; & hinc conſequenter licita eſſe poteſt coactio ad fidem.* Quod dogma Catholicum ſtatim vnà cùm Ioanne Arboreo, Alphonſo à Caſtro, Roffenſi, Simanca, & Farinacio, quos ad teſtimonium citat, fusè, ac ſolidè vſque ad *num.* 10 demonſtrat. Quippe ſi Hæreticos intractabiles punire fás eſt, vt vidimus; & pœnis vtique ad Fidem Catholicam eoſdem cogere, quum vtrumque mutuò connexum ſit, vt idem Suarez *num.* 9. 13. 14. 15. & 16.

docet,

docet, liceat, neceſſe eſt. Teipſum quoq; Sciop-pi, teſtor; quoties hanc eandem Catholicam San-ctionem, quum Catholici viri laruam nondum poſuiſſes, ſubſcripſiſti? quoties laudâſti? quoties inculcâſti? Mitto complura tua illa chirographa, quæ iam ſuprà *cap.* 7. recenſui; hîc vnum addo, quod in *Claſsico Belli ſacri, præfatione ad Lectorem* exaras, & reliquorum ſpecimen cumulatè porri-git. Nónne ibi ſic vota voues? *Faxit Deus, vt ali-quando ſapiant, quibus ipſe populorum curam commi-ſit, & nationem iſtam Conſiliariorum, qui mollibus ſententijs, Hæreticorum nata turbis & ſeditionibus in-genia alere ſolent, in maximam malam crucem faceſ-ſere iubeat* Tum in tuo *Eccleſiaſtico pag.* 370. *Hære-ticorum combuſtio, magna*, inquis, *eſt vtilitatis.*

VI. Nunc porrò, Scioppi, poſtquam iam pri-dem Catholicam Religionem faſtidire cœpiſti, quæ tua mens? qui ſenſus? quæ opinio? ſed non eſt, cur hîc denuò te rogem, quum iam ſuprà *cap.* 7. *num* 10. è tuæ *Aſtrologia cap.* 10 *pag* 57 præ-cisè reſponderis, *Paganiſmum, & Hæreſim interfici, & aboleri ſpiritu labiorum, id eſt, per prædicationem hominum ſpiritu lenitatis.* Bene eſt. Quid ſi verò Hæreſis, quæ, teſte Apoſtolo, ſerpit, vt cancer, ſolâ prædicatione, aut ſpiritu lenitatis minimè euellatur, ſed quotidie magis ad Catholicæ per-niciem fidei graſſetur, Hæreticique facti in dies impotentiores, omnia ſalutis remedia præfractè repudient? licebítne illos ad officium, Chriſtia-namque Religionem armis appellere? Quid cen-ſes? licebítne? Hîc enimuerò, Scioppi, homo ſummè mitis, & totus lenitate delibutus, Hære-ticorum quantumcunque peruicacium ſupplicijs maximè commoueris, horumque patronum acer-rimum agens ac vindicem, infeſto impioque bel-lo petis veteres Patres, Pontifices Maximos, ſacra Concilia, vniuerſamque Chriſti Eccleſiam, ad-

 uerſùs

erſus quam eoſdem Hæreticos in perfidiâ per-
antes ita incolumes eſſe vis, vt Conſiliarios, &
Concionatores, qui ſecus exiſtimant, pœnis-
que ad Catholicæ Fidei teſſeram addicendos iure
optimo ſtatuunt, ſubdolos operarios, miniſtros
ſatanæ, ac Pſeodoapoſtolos eſſe, Hæretico ore de-
ternas. Quo tuo te placito, ne cui aqua hæreat,
ta diſertim tuâ eâdem in *Aſtrologiâ* explanatum
voluiſti: *a Miniſtri ergo ſatanæ, Pſeudoapoſtoli, &
ſubdoli operarij*, 2. Cor. 11. *arma & gladios innocen-
tium iſtorum* (nempe Hæreticorum, de quibus hîc
loqueris) *iugulis intentant.* Tum *cap.* 16. *pag.* 59.
*Vnum coactionis genus dignum eo, qui Chriſtum, &
Ioannem imitari cupit, violentiam, quâ in ſeipſum
vtitur, aliosq; in Eccleſiam intrare compellit*, Luc. 14.
agnoſcis; cæteros autem, *quibus Principum arma
& gladij magis placent, vt ijs homines intrare com-
pellant, regni ſatanæ miniſtros eſſe, nec eum paſtore
Chriſto oues colligere, ſed cum lupis rapere*, expreſsè
ſcribis, vt iam ſemel etiam *cap.*7. *num.*10. ſuprà
retuli.

VII. At quis obſecro, Scioppi, oculis tam exo-
culatis iam eſt, qui tuam Hæreſim bicubitalia cor-
nua exerentem non cernat? *Vnum coactionis genus*
in Chriſtianâ Repub. ad Hæreticos Chriſto ſub-
mittendos adhibendum pronuntias. Quodnam
iſtud? violentia, quâ Euangelij Satores ac Præco-
nes in ſeipſos vtuntur, aliosque in Eccleſiam in-
trare compellunt. Audio. Quid ſi autem hæc vio-
lentia ſatis non ſit, ſpiritumque lenitatis Capito-
nes Hæretici ludibrio habeant? Nil refert, aliæ
machinæ ijs expugnandis minimè admouendæ.
Quid ſi eorum pertinaciam longè improbiſſimam
armis frangendam, atq; ad Catholicam fidem co-
gendam Eccleſiæ Patres, Concilia, Pontifices, An-
tiſtites, Theologi, Catholici omnes ſentiant, ſan-
ciantque?

a *Cap.*10. *pag.*38.

ciantque? Satanæ miniſtros, Pſeudapoſtolos, ac ſubdolos operarios exertè vociferaris. Quid ſi ad propugnandam Hæreſim omnino duratos ferro, ignique plectendos iudicent? regni Satanæ miniſtros eſſe, nec cum Chriſto paſtore oues colligere, ſed cum lupis rapere, elatè clamas. Et poteráſne tuam Hæreſim Catholicæ Eccleſiæ decretis è regione aduerſantem impudentiùs enuntiare? Poteráſne perduellium Chriſtianæ religionis defenſionem apertiùs affectare, procaciusque ſuſcipere, ac profiteri? poteráſne Hæreticorum omnium aduocatum, & patronum fideliorem, pugnacioremque te detegere, ac præſtare? Hoc quia à te, quod antè pollicitus ſum, iam manifeſtò extorſi, è certamine victor abſcedo, verbumque ampliùs non facio.

CAP. XX.

Octaua decima Scioppianæ Hæreſis teſſera, aperta Hæretici nominis, abiectâ tandem Catholici laruâ, profeſſio.

I. QVàm nefariè, Scioppi, Hæreticorum omnium patronum agas, nemini Catholicorum, opinor, iam latet. Faxo nunc, vt etiam tibi volupe eſſe, Hæreſim ipſam ex profeſſo profiteri, in confeſſo ſit. Hactenus multigena tua Hæreſis ex varijs, quas ad id locorum coagmentaui, teſſeris pelluxit ſanè, nec malignè: iam verò tota longo ſyrmate in theatrum prodit. Scilicet vbi Catholici perſonam viri, diu nimis improbè adumbrâſti, piguitque demum te, Chriſtianæ Reipub. ampliùs imponere, Chriſti Religione iam prîdem eiuratâ, Hæreſim ipſam in fronte tandem, detriti homo pudoris, deſtinatò proſcripſiſti; quod

non

non inuitus, credo, ſed gloriabundus potiùs fateberis. At ſi fortè hîc quoque tergiuerſari ſtatis ſutelis tuis tibi adlubeſcat, induam mox te confeſſione tuâ, planeque iugulabo.

II. Quod enim aſylum tibi, quod diuerticulum, quæ lâtebra reliqua eſſe poteſt? Sedem Apoſtolicam Romanam Hæretico œſtro percitus, vt *cap. 5.* docui, impudentiſſimè dehoneſtâſti. Parum eſt. Iam veram Catholicamque Fidem, quæ ſine eâ minimè conſiſtit, in tuâ *Verdaeanâ Staterâ*, conceptis verbis res ſuas ſibi habere iubes, Hæreticorumque ſectam toto animo penitùs complecteris. Num id obſcurum, Scioppi, eſt, aut ego hoc flagitium tuum inuidiosè quicquam exaggero? Exaggero, Scioppi? Qui Romanæ fidem Eccleſiæ germanam Chriſti fidem eſſe negat, dic, obſecro, quo breuiore compendio vniuerſam auerruncare religionem Catholicam poteſt, Hæreſimque depangere? nullo. Nam Forero noſtro libellum tuum *Myſteriorum* ſuâ in *Mantiſſâ, ſect.* 1. refellenti, *Catholicæq; fidei vehementer repugnare* meritò obijcienti, quid ingenui reſponſi denique in eâ *Staterâ* reddis? *a* Explicatè, ſine fuco & fallaciâ, *verum* id *eſſe, ſi fides Ieſu, & Ieſuitarum vna & eadem eſſet fides: ſi in Ieſuitis Paradoxis conſiſteret fides Catholica Nam a tantùm impetit libellus ille, cuius auctor* (tu ipſe videlicet) *fidem Catholicam amplectitur, eam nempe, quæ fuit ab initio, quæ ſemper conſtans, &* perſeuerans in doctrinâ Apoſtolorum, *Act* 2. *verſ.* 4. Intelligo omnia. nihil hîc opacæ caliginis interiectum.

III. Sed naua, quæſo, iam paulùm mihi operam, Scioppi. Quæ tua, quæ Ieſuitarum fides ſit, age, cernamus. Diuiduum enim vtriuſque contubernium tu ipſe denuntias. Quæ, rogo, fidei ſigna, quæ vexilla Ieſuitæ ſequuntur? Ea omnino, quæ Romana Eccleſia hodie etiamnum præf[illegible], & con-

R ſtantiſ-

a *Cap.* 1 *pag* 11.

ſtantiſſimè tuetur, quod ne ipſi quidem Hæretici in dubium reuocant, ſed valde dolent. Fare modò. Num hæc Romanæ Eccleſiæ fides, genuina Chriſti fides, & Catholica eſt? Inficiaris? At hac ipſâ inficiatione, Eccleſiæ Catholicæ Romanæ perduellem te prædicas, Hæreſiumque innumera portenta eniteris. Concedis? At hac etiam conceſſione Hæreticum te pariter reuincis, qui aliam à Romanâ & Catholicâ, quàm vel impensâ ſanguinis Ieſuitæ propugnant, fidem tibi cordi eſſe, diſertè tradis. At hodierna, inquies, Romanę Eccleſiæ fides, à vetere illâ, quam ſeuerunt Apoſtoli, iam pridem deſciuit? At te iterum Hæreticum, defectionis Hęreticâ calumniâ ac fabulâ manifeſtò detegis, vt Catholicis cunctis perſpectum eſt. Dásne hoc candidè? Apage, ais; minimè gentium. Repugnaui acriter in eâdem *Statera, cap.* 10. *pag* 1:9 vbi liberè monui, quamuis plerique viri Gregorij VII. ſcitis de Summi Pontificis auctoritaue adhæſerint, *alios* tamen *multos obſtitiſſe, etiam in Concilijs generalibus, quæ vocant. At quum tempore patrum noſtrorum cunctis ferè ad reformationem aſpirantibus, ſed de modo, & de pleriſque articulis controuerſis motis, in partes itum fuiſſet; Ieſuitas inter alios emerſiſſe, qui quæ ab alijs penè deſerta erant, & deplorata, reuocare ſtuduerunt, & vt Papæ fauorem ſibi conciliarent, Sedis Romana Tyrannicam auctoritatem labantem erigere conati ſunt.* Itáne, Scioppi, Hæretici nebulonis crimen diluis, an magis in te trahis? notam eluis, an magis ſubis? Eccleſiam Romanam à primæuâ Apoſtolorum fide iam olim degeneráſſe mentiris palàm, mentiarque ego, niſi vel hoc ſolo mendacio in Hæreticorum cenſu ab omnibus Catholicis illico cenſeris. Quid deinde? *Patrum noſtrorum tempore*, ais, *cunctos ferè ad reformationem aſpiraſſe.* Quæro. Quod fuit illud tempus, quo ad reformationem aſpiratum innuis? non aliud, quàm Lutheri,

theri, & Caluini. Quinam illi patres, quos tuæ religionis Auctores nuncupas? ijdem Lutherus, & Caluinus. Quæ ea reformatio? illa nempe, quam Lutherani, & Caluiniſtæ profitentur. Quid verò hæc reformatio molita eſt? diſceſſionem à Catholicâ fide, Hæreſimque Lutheranam, & Caluinianam, quæ Pontificiæ auctoritatis iugulum, omnium maximè petit, cui teipſum accenſum vltro teſtaris. Quid autem de Concilijs tu exiſtimas? Quæ *vocant*, inquis, *generalia*. Quinam vocant? Catholici? ſanè. At tu minimè Catholicus, ſed Hæreticus, qui teipſum ab ijs apertè abiungis, dum ea haud ita, vt nos Catholici, generalia appellas, ac veneraris. Non Catholici, reponis, ſed *Papiſtæ* hoc illis nomen imponunt. At Hæreticâ iſtâ *Papiſtarum* catachreſi, quam tacitè ſapis, à Catholicis Romanæ Eccleſiæ alumnis, qui adſpectabili Chriſti Domini in terris Vicario parent, te diffidere, & cum Hæreticis, qui nos Catholicos *Papiſtas* indigitant, ſibique nomen Catholicorum inſolentiſſimè arrogant, facere, præſertim tam probroſo mendacióq; Tyrannicæ auctoritatis conuicio Romanam Sēdem, more tuo, vt *cap* 3. pluribus docui, perſtringens, dilucidè oſtendis.

IV. Sed ne quis è tuis congerronibus has tuas Hæreticas intemperias eo *Statera cap.* 10. minùs articulatè à te expreſſas cauſſetur, eaſdem conſignatiſſimè in eâdem *cap.* 1. *pag* 14. lineâ ſti. Nam Forero noſtro ſuâ in Mantiſsâ *ſect.* 1 *num.* 2. de famoſo tuo *Myſteriorum* libello vehementer, ſed iure meritoque expoſtulanti, quod is *Acatholicorum animos in Societatem Ieſu iam antè plus ſatis accenſos, confictis, horrendiśq; calumnijs ampliùs exaſperat, & capitali odio replet, reddit eoſdem quoque à fide Catholicâ alieniores:* quo demum pacto, Vertumne Hæretice occurris? perſpicuè ſine vllis verborum offucijs gloriari te, *a quod à Societate Ieſuitica non tan-*

a *Cap.* 1. *cit.* R 2 *tùm*

tùm Acatholicorum, ſed etiam verè Catholicorum animos ante quidem accenſos, ſed non plus ſatis, capitali odio replere conatur, eosq; alieniores reddere, non quidem à Catholica, ſed à Ieſuitica fide, & qui nomen vni Chriſto dederunt, à Sede peſtilentia auocare. Nunc te percontor, Scioppi. Ieſuitæ cui fidei ſunt obæra-ti, à quorum fide ac religione longè diuerſum te abire diſtinctè indicas? Romanæ Eccleſiæ; vt cunctis Catholicis perſuaſiſſimum iam dixi, nec tu inficias ire potes. Ergo tu manifeſtarius Hæreticus, qui eiuſdem Eccleſiæ deſertor Hæreſi ab illâ damnatæ mancipatum te eſſe gloriaris. At quinam tibi hoc loco verè Catholici? quinam Acatholici? Cedò, quinam Catholici? quos Forerus vnà cum Romanâ Eccleſiâ, & Catholicis omnibus Acatholicos appellauit. Quinam verò Acatholici? verè Catholici, quos tu cum Hæreticis Chriſtianæ fidei puræ putæ expertes reputas. Res comperta. Negas? At continuò ibidem rurſum eandem Hæreticam peruerſitatem exerens, ſubdis; *Verum eſſe, te doctrinas non ſolùm Ieſuitarum, ſed eorum etiam, qui cum Ieſuitis ſentiunt, in ijs, quæ in libello Myſteriorum traducuntur, & apertè negare, & verorum Catholicorum argumentis oppugnare* At Forerus in *Mantiſſa ſect.*1 *num.*2. §.6. doctrinas Catholicorum argumentis Hæreticorum à te oppugnari criminatur, & deinceps probat. Tu quid regeris? Eas doctrinas non eſſe Catholicorum. Quippini? quia ab amentiâ Lutheri, & Caluini abhorrent. Quorum autem? *Ieſuitarum, & eorum, qui cum ijs ſentiunt.* Sed num hi Catholici? Nequaquam. Quidni? quia Romanæ Eccleſiæ ſacramentum dixerunt. Quinam igitur veri Catholici, quorum argumenta à te vſurpari ſcribis? ipſimet Hæretici, quos eadem Eccleſia Romana execratur. An verò aliâ ratione eandem hanc nomenclaturam, quàm iſtâ ipſâ, illic *cap.*8. *pag.* 97

iteras,

iteras, atque ita Forerum noſtrum affaris: *Negas eſſe Marianæ librum, qui Societatis veſtræ regimen traducit, quamuis non ignores à fide dignis inter tuos Catholicos narrari?* De ſycophantiâ ſuppoſititij illius libri pœnas hîc ego, quum locus non ferat, à te non exigo; hâc tuâ contentus ſygraphâ, quâ planum facis, quos Forerus Catholicos nominat, & quibuſcum in Romanæ Eccleſiæ fide, vt notum eſt, degit, à te pro Catholicis minimè haberi: quos autem cum eâdem Romanâ Eccleſiâ Hæreticos agnoſcit, à te in veris Catholicis numerari.

V. Sed multò adhuc luculentiùs tuam hanc abuſionem Hæreticam eâdem in *Statera, cap. 1. pag.* 12. hiſce totidem verbis inſolas, præ te ſyncerè ferens: *Te proculcare vitam, & miracula nouorum Sanctorum Societatis Ieſuiticæ - quod faciunt* (paulò pòſt addis, ſimulque mentiris) *omnes veri Catholici, non pauci etiam ex ijs, qui Ieſuitis tales habentur.* Verùm de tuâ in Diuos noſtros impietate, quia *cap.* 6. non ieiunè diſſerui, nihil hoc loco repeto. Sat mihi in præſentiâ eſt, hinc liquere, nomine verorum Catholicorum Hæreticos ipſos, à te manifeſtè deſignari, à quibus omnibus miracula noſtrorum Sanctorum explodi, vt certum eſt, ita non mirum; ſed eos à Ieſuitis inter veros Catholicos haudquaquam referri, Catholicis omnibus exploratiſſimum: illos autem non paucos, qui nobis Ieſuitis Catholici habentur, Romanæ filios Eccleſiæ haud dubiè intelligi. Sed ab ijs, aut vllo iſtorum, miracula, vitamque noſtrorum S. Ignatij, ſanctique Franciſci proculcari, Hæretica calumnia eſt, tuo ore calamoque digniſſima. Quid ampliùs? Tuis in *Myſterijs pag.*78. vſque ad *pag.* 85. quaſdam Ribadeneiræ, & Marianæ ſententias ad inuidiam Ieſuitis apud Hæreticos conflandam exagitas. Reſpondet tibi Forerus in *Mantiſſa,*

ſect. 1. *num.* 47. Si ij *hoc dicent, nihil eos edocere, niſi quod docent etiam ipſi Acatholici tum Caluiniani, tum Lutherani*; mox Bezæ verba ex *Epiſt. Theolog.* 1. *pag.* 20. & 21. recitat, tum Lutheri ad Fridericum Saxoniæ Electorem Epiſtolam *Tom.* 2. *Ien. Germ.* Anno CIↃIↃLXIII. refert; tum Iſaaci Frœreiſeni; Lutherani opinionem è *volum.* 1. *Scrutinij Panopliæ Bellarminianæ, diſp.* 28 *Controu.* 36. *num.* 2. memorat; tandemque nonnullorum Theologorum VVirtenbergenſium, Badenſium, Palatinorum, & Auguſtanorum, quos Hæreticos eſſe, planum eſt, iudicium, quod in Germanico libro, cui titulus, *Poſtilio ad omnes Euangelicos Reges, & Principes* &c. euulgarunt, profert. Quid hic verborum facies, Scioppi? Quam vocem mittes? quam? Rogas? Quaſi verò, inquis, in *Staterâ, cap.* 9. *pag.* 106. non ſim vociferatus, *falſum eſſe, quod Ieſuita affingit nonnullis eorum, quos Acatholicos appellat, pactiones omnes de libertate religionum publicè factas penitùs eſſe de medio tollendas.* At homo falſarie, Forerum falſi, falſus ipſe, ac fallens (ſed non, cui oculi ad tuam falla- ciam in allatis Auctoribus deprehendendam) fruſtra accuſas. Ipſimet enim Hæreticorum Codices eam pactionis de libertate Religionum abolitionem, vt Forerus aſſeuerauit, clarè repræſentant. Verùm hinc non falsò, ſed certo certius cogitur, Bezam, Lutherum, & alios Hæreticos, quos in medium idem Forerus adduxit, à te Hæreticos minimè cenſeri, ac proinde multiformem tuam Hæreſim in propatulo hoc modo collocari. Haud ſecus in eâdem *Statera, cap.* 7. *pag* 79. Ieſuitis inclementer ſuccenſes, atque iniquitatem exprobras. Quid cauſſæ eſt? Facinus inexpiabile. Quod ij, inquis, *per ſingulas paginas in Caluinum, in Bezam, in Lutherum, & alios euomunt fœda conuicia* Sed in eos, qui & multa fœdiora commeruerunt. Perge. *Si quis probationem petat, illi clamant Bolſecum, &*

Staphy-

Staphylum, & ſimiles, teſtes eſſe omni exceptione maiores, quos nôrunt fuiſſe hoſtes iuratos eorum, quos calumniantur. Potésne iam impudentiùs inter Caluinum, Bezam, Lutherum, & cætera Hæreticorum monſtra, tibi cariſſima, nomen tuum profiteri, Scioppi, quàm Catholicos Doctores, qui eos ſtylo & ſcriptis mactant, ſcurriliter traducendo, eoſdemque Hereticos tanquam innocentes, adeoque & Hæreſis immunes, calumnijs oneratos pronuntiando?

VI. At neque dum tuus Hæreticus furor totus deferbuit. Solemne Hæreticis eſt, Catholicam Eccleſiam Romanam, Pontificium regnum nominare. Eodem nomine, vt eius à gremio longè errabundum te prodas, ſic ipſam in illâ *Statera cap.* 10.*pag.*119. donas: *Ieſuita, vt Papa fauorem ſibi conciliarent, Sedis Romanæ Tyrannicam auctoritatem labantem* (quemadmodum procaciſſimè mentiris) *erigere conati ſunt: ideò quæ plurimis alijs, etiam in regno Pontificio, paradoxa erant, ſelegerunt.* quod ex æquo falſum eſt. Hæretici eandem Eccleſiam à *Papa Papatum* vocant, vt conſtat. Haud ſecus & tu inibi *cap.*7.*pag.*74 cauillaris; *Superbiam Romanæ Sedis* in quodam diplomate, quod ibi carpis, *bonis omnibus diſplicuiſſe*, iubesque ſtatim videri Barclaium, aliosque multos *in Papatu*; eos nempe, quos Eccleſiæ Romanæ authoratos eſſe compertum eſt. Hæretici nos Chriſtianos, atque Catholicos hiſce honorificis nominibus exuunt, at Pontificios appellant, quosque vniuerſi Catholici Hæreticos autumant, præfractè negant. Tu pariter eundem Hæreticum ludum ludis, eodemque *cap.*7. *pag.*78. deridiculi gratiâ ita ſcribis; *Quum autem Rex magna Britannia ſit Pontificijs manifeſtè Hareticus: Item Rex Dania, Regina Succia, & alij Principes, & Reſpublica multa.* At tu nouus Propheta Tartari, receensque Erebi Apoſtolus hos ac

docet, liceat, neceſſe eſt. Teipſum quoque, Scioppi, teſtor; quoties hanc eandem Catholicam Sanctionem, quum Catholici viri laruam nondum poſuiſſes, ſubſcripſiſti? quoties laudâſti? quoties inculcâſti? Mitto complura tua illa chirographa, quæ iam ſuprà *cap. 7.* recenſui; hîc vnum addo, quod in *Claſſico Belli ſacri, præfatione ad Lectorem* exaras, & reliquorum ſpecimen cumulatè porrigit. Nónne ibi ſic vota voues? *Faxit Deus, vt aliquando ſapiant, quibus ipſe populorum curam commiſit, & nationem iſtam Conſiliariorum, qui mollibus ſententijs, Hæreticorum nata turbis & ſeditionibus ingenia alere ſolent, in maximam malam crucem faceſſere iubeat* Tum in tuo *Eccleſiaſtico pag* 370. *Hæreticorum combuſtio, magna*, inquis, *eſt vtilitatis.*

VI. Nunc porrò, Scioppi, poſtquam iam pridem Catholicam Religionem faſtidire cœpiſti, quæ tua mens? qui ſenſus? quæ opinio? ſed non eſt, cur hîc denuò te rogem, quum iam ſuprà *cap. 7. num* 10. è tuæ *Aſtrologiæ cap.* 10 *pag* 57 præcisè reſponderis, *Paganiſmum, & Hæreſim interfici, & aboleri ſpiritu labiorum, id eſt, per prædicationem hominum ſpiritu lenitatis.* Bene eſt. Quid ſi verò Hæreſis, quæ, teſte Apoſtolo, ſerpit, vt cancer, ſolâ prædicatione, aut ſpiritu lenitatis minimè euellatur, ſed quotidie magis ad Catholicæ perniciem fidei graſſetur, Hæreticique facti in dies impotentiores, omnia ſalutis remedia præfractè repudient? licebítne illos ad officium, Chriſtianamque Religionem armis appellere? Quid cenſes? licebítne? Hîc enimuerò, Scioppi, homo ſummè mitis, & totus lenitate delibutus, Hæreticorum quantumcunque peruicacium ſupplicijs maximè commoueris, horumque patronum acerrimum agens ac vindicem, infeſto impioque bello petis veteres Patres, Pontifices Maximos, ſacra Concilia, vniuerſamque Chriſti Eccleſiam, ad-

uerſùs

uerſus quam eoſdem Hæreticos in perfidiâ perſtantes ita incolumes eſſe vis, vt Conſiliarios, & Concionatores, qui ſecus exiſtimant, pœniſque ad Catholicæ Fidei teſſeram addicendos iure optimo ſtatuunt, ſubdolos operarios, miniſtros ſatanæ, ac Pſeodoapoſtolos eſſe, Hæretico ore decernas. Quo tuo te placito, ne cui aqua hæreat, ita diſertim tuâ eâdem in *Aſtrologiâ* explanatum voluiſti: a *Miniſtri ergo ſatanæ, Pſeudoapoſtoli, & ſubdoli operarij*, 2. Cor. 11. *arma & gladios innocentium iſtorum* (nempe Hæreticorum, de quibus hîc loqueris) *iugulis intentant.* Tum *cap. 16. pag. 59. Vnum coactionis genus dignum eo, qui Chriſtum, & Ioannem imitari cupit, violentiam, quâ in ſeipſum vtitur, aliosq́; in Eccleſiam intrare compellit*, Luc. 14. agnoſcis; cæteros autem, *quibus Principum arma & gladij magis placent, vt ijs homines intrare compellant, regni ſatanæ miniſtros eſſe, nec eum paſtore Chriſto oues colligere, ſed cum lupis rapere*, expreſsè ſcribis, vt iam ſemel etiam *cap. 7. num. 10.* ſuprà retuli.

VII. At quis obſecro, Scioppi, oculis tam exoculatis iam eſt, qui tuam Hæreſim bicubitalia cornua exerentem non cernat? *Vnum coactionis genus* in Chriſtianâ Repub. ad Hæreticos Chriſto ſubmittendos adhibendum pronuntias. Quodnam iſtud? violentia, quâ Euangelij Satores ac Præcones in ſeipſos vtuntur, aliosque in Eccleſiam intrare compellunt. Audio. Quid ſi autem hæc violentia ſatis non ſit, ſpiritumque lenitatis Capitones Hæretici ludibrio habeant? Nil refert, aliæ machinæ ijs expugnandis minimè admouendæ. Quid ſi eorum pertinaciam longè improbiſſimam armis frangendam, atq; ad Catholicam fidem cogendam Eccleſiæ Patres, Concilia, Pontifices, Antiſtites, Theologi, Catholici omnes ſentiant, ſanciantque?

a *Cap. 10. pag. 38.*

ciantque? Satanæ miniſtros, Pſeudapoſtolos, ac ſubdolos operarios exertè vociferaris. Quid ſi ad propugnandam Hæreſim omnino duratos ferro, igniqúe plectendos iudicent? regni Satanæ miniſtros eſſe, nec cum Chriſto paſtore oues colligere, ſed cum lupis rapere, elatè clamas. Et poteráſne tuam Hæreſim Catholicæ Eccleſiæ decretis è regione aduerſantem impudentiùs enuntiare? Poteráſne perduellium Chriſtianæ religionis defenſionem apertiùs affectare, procaciusque ſuſcipere, ac profiteri? poteráſne Hæreticorum omnium aduocatum, & patronum fideliorem, pugnacioremque te detegere, ac præſtare? Hoc quia à te, quod antè pollicitus ſum, iam manifeſtò extorſi, è certamine victor abſcedo, verbumque ampliùs non facio.

Cap. XX.

Octaua decima Scioppianæ Hæreſis teſſera, aperta Hæretici nominis, abiectâ tandem Catholici laruâ, profeſſio.

I. Qvàm nefariè, Scioppi, Hæreticorum omnium patronum agas, nemini Catholicorum, opinor, iam latet. Faxo nunc, vt etiam tibi volupe eſſe, Hæreſim ipſam ex profeſſo profiteri, in confeſſo ſit. Hactenus multigena tua Hæreſis ex varijs, quas ad id locorum coagmentaui, teſſeris pelluxit ſanè, nec malignè: iam verò tota longo ſyrmate in theatrum prodit. Scilicet vbi Catholici perſonam viri, diu nimis improbè adumbrâſti, piguitque demum te, Chriſtianæ Reipub. ampliùs imponere, Chriſti Religione iam prìdem eiuratâ, Hæreſim ipſam in fronte tandem, detriti homo pudoris, deſtinatò proſcripſiſti; quod

non

non inuitus, credo, ſed gloriabundus potiùs fateberis. At ſi fortè hîc quoque tergiuerſari ſtatis ſutelis tuis tibi adlubeſcat, induam mox te confeſſione tuâ, planeque iugulabo.

II. Quod enim aſylum tibi, quod diuerticulum, quæ latebra reliqua eſſe poteſt? Sedem Apoſtolicam Romanam Hæretico œſtro percitus, vt *cap.* 3. docui, impudentiſſimè dehoneſtâſti Parum eſt. Iam veram Catholicamque Fidem, quæ ſine eâ minimè conſiſtit, in tuâ *Verdaanâ Staterâ*, conceptis verbis res ſuas ſibi habere iubes, Hæreticorumque ſectam toto animo penitùs complecteris. Num id obſcurum, Scioppi, eſt, aut ego hoc flagitium tuum inuidioſè quicquam exaggero? Exaggero, Scioppi? Qui Romanæ fidem Eccleſiæ germanam Chriſti fidem eſſe negat, dic, obſecro, quo breuiore compendio vniuerſam auerruncare religionem Catholicam poteſt, Hæreſimque depangere? nullo. Nam Forero noſtro libellum tuum *Myſteriorum* ſuâ in *Mantiſſâ, ſect.* 1. refellenti, *Catholicaq; fidei vehementer repugnare* meritò obijcienti, quid ingenui reſponſi denique in eâ *Staterâ* reddis? *a* Explicatè, ſine fuco & fallaciâ, *verum* id *eſſe ſi fides Ieſu, & Ieſuitarum vna & eadem eſſet fides: ſi in Ieſuitis Paradoxis conſiſteret fides Catholica Nam ea tantùm impetit libellus ille, cuius auctor* (tu ipſe videlicet) *fidem Catholicam amplectitur, eam nempe, quæ fuit ab initio, quæ ſemper conſtans, &* perſeuerans in doctrinâ Apoſtolorum, *Act* 2. *verſ.* 4. Intelligo omnia. nihil hîc opacæ caliginis interiectum.

III. Sed naua, quæſo, iam paulùm mihi operam, Scioppi. Quæ tua, quæ Ieſuitarum fides ſit, age, cernamus. Diuiduum enim vtriuſque contubernium tu ipſe denuntias Quæ, rogo, fidei ſigna, quæ vexilla Ieſuitæ ſequuntur? Ea omnino, quæ Romana Eccleſia hodie etiamnum præf[illegible], & con-

R ſtanviſ-

a *Cap.* 1 *pag* 11.

ſtantiſſimè tuetur, quod ne ipſi quidem Hæretici in dubium reuocant, ſed valde dolent. Fare modo. Num hæc Romanæ Eccleſiæ fides, genuina Chriſti fides, & Catholica eſt? Inficiaris? At hac ipsâ inficiatione, Eccleſiæ Catholicæ Romanæ perduellem te prædicas, Hæreſumque innumera portenta eniteris. Concedis? At hac etiam conceſſione Hæreticum te pariter reuincis, qui aliam à Romanâ & Catholicâ, quàm vel impensâ ſanguinis Ieſuitæ propugnant, fidem tibi cordi eſſe, diſertè tradis. At hodierna, inquies, Romanę Eccleſiæ fides, à vetere illâ, quam ſeuerunt Apoſtoli, iam pridem deſciuit? At te iterum Hæreticum, defectionis Hereticâ calumniâ ac fabulâ manifeſtò detegis, vt Catholicis cunctis perſpectum eſt. Dásne hoc candidè? Apage, ais; minimè gentium. Repugnaui acriter in eâdem *Statera, cap.* 10. *pag* 119 vbi liberè monui, quamuis plerique viri Gregorij VII. ſcitis de Summi Pontificis auctoritate adhæſerint, *alios* tamen *multos obſtitiſſe, etiam in Concilijs generalibus, quæ vocant. At quum tempore patrum noſtrorum cunctis ferè ad reformationem aſpirantibus, ſed de modo, & de pleriſque articulis controuerſis motis, in partes itum fuiſſet; Ieſuitas inter alios emerſiſſe, qui quæ ab alijs penè deſerta erant, & deplorata, reuocare ſtuduerunt, & vt Papæ fauorem ſibi conciliarent, Sedis Romana Tyrannicam auctoritatem labantem erigere conati ſunt.* Itáne, Scioppi, Hæretici nebulonis crimen diluis, an magis in te trahis? notam eluis, an magis ſubis? Eccleſiam Romanam à primæuâ Apoſtolorum fide iam olim degeneráſſe mentiris palàm, mentiarque ego, niſi vel hoc ſolo mendacio in Hæreticorum cenſu ab omnibus Catholicis illico cenſeris. Quid deinde? *Patrum noſtrorum tempore*, ais, *cunctos ferè ad reformationem aſpiraſſe.* Quæro. Quod fuit illud tempus, quo ad reformationem aſpiratum innuis? non aliud, quàm Lutheri,

theri, & Caluini. Quinam illi patres, quos tuæ religionis Auctores nuncupas? ijdem Lutherus, & Caluinus. Quæ ea reformatio? illa nempe, quam Lutherani, & Caluiniſtæ profitentur. Quid verò hæc reformatio molita eſt? diſceſſionem à Catholicâ fide, Hæreſimque Lutheranam, & Caluinianam, quæ Pontificiæ auctoritatis iugulum, omnium maximè petit, cui teipſum accenſum vltro teſtaris. Quid autem de Concilijs tu exiſtimas? Quæ *vocant*, inquis, *generalia*. Quinam vocant? Catholici? ſanè. At tu minimè Catholicus, ſed Hæreticus, qui teipſum ab ijs apertè abiungis, dum ea haud ita, vt nos Catholici, generalia appellas, ac veneraris. Non Catholici, reponis, ſed *Papiſta* hoc illis nomen imponunt. At Hæreticâ iſtâ *Papiſtarum* catachreſi, quam tacitè ſapis, à Catholicis Romanæ Eccleſiæ, alumnis, qui adſpectabili Chriſti Domini in terris Vicario parent, te diffidere, & cum Hæreticis, qui nos Catholicos *Papiſtas* indigitant, ſibique nomen Catholicorum inſolentiſſimè arrogant, facere, præſertim tam probroſo mendacio; Tyrannicæ auctoritatis conuicio Romanam Sedem, more tuo, vt *cap* 3. pluribus docui, perſtringens, dilucidè oſtendis.

IV. Sed ne quis è tuis congerronibus has tuas Hæreticas intemperias eo *Statera cap.* 10. minùs articulatè à te expreſſas cauſſetur, eaſdem conſignatiſſimè in eâdem *cap.* 1. *pag* 14. lineâſti. Nam Forero noſtro ſuâ in Mantiſsâ *ſect.* 1 *num.* 2. de famoſo tuo *Myſteriorum* libello vehementer, ſed iure meritoque expoſtulanti, quod is *Acatholicorum animos in Societatem Ieſu iam antè plus ſatis accenſos, confictis, horrendiſq; calumnijs amplius exaſperat, & capitali odio replet, reddit eoſdem quoque à fide Catholicâ alieniores:* quo demum pacto, Vertumne Hæretice occurris? perſpicuè ſine vllis verborum officijs gloriari te, *a quod à Societate Ieſuitica non tan-*

a *Cap.* 1. *cit.*

tùm Acatholicorum, ſed etiam verè Catholicorum animos ante quidem accenſos, ſed non plus ſatis, capitali odio replere conatur, eosq́ alieniores reddere, non quidem à Catholica, ſed à Ieſuitica fide, & qui nomen vni Chriſto dederunt, à Sede peſtilentia auocare. Nunc te percontor, Scioppi. Ieſuitæ cui fidei ſunt obærati, à quorum fide ac religione longè diuerſum te abire diſtinctè indicas? Romanæ Eccleſiæ; vt cunctis Catholicis perſuaſiſſimum iam dixi, nec tu inficias ire potes. Ergo tu manifeſtarius Hæreticus, qui eiuſdem Eccleſiæ deſertor Hæreſi ab illâ damnatæ mancipatum te eſſe gloriaris. At quinam tibi hoc loco verè Catholici? quinam Acatholici? Cedò, quinam Catholici? quos Forerus vnà cum Romanâ Eccleſiâ, & Catholicis omnibus Acatholicos appellauit. Quinam verò Acatholici? verè Catholici, quos tu cum Hæreticis Chriſtianæ fidei puræ putæ expertes reputas. Res comperta. Negas? At continuò ibidem rurſum eandem Hæreticam peruerſitatem exerens, ſubdis; *Verum eſſe, te doctrinas non ſolùm Ieſuitarum, ſed eorum etiam, qui cum Ieſuitis ſentiunt, in ijs, quæ in libello Myſteriorum traducuntur, & apertè negare, & verorum Catholicorum argumentis oppugnare* At Forerus in *Mantiſſa ſect. 1 num. 2. §. 6.* doctrinas Catholicorum argumentis Hæreticorum à te oppugnari criminatur, & deinceps probat. Tu quid regeris? Eas doctrinas non eſſe Catholicorum. Quippini? quia ab amentiâ Lutheri, & Caluini abhorrent. Quorum autem? *Ieſuitarum, & eorum, qui cum ijs ſentiunt.* Sed num hi Catholici? Nequaquam. Quidni? quia Romanæ Eccleſiæ ſacramentum dixerunt. Quinam igitur veri Catholici, quorum argumenta à te vſurpari ſcribis? ipſimet Hæretici, quos eadem Eccleſia Romana execratur An verò aliâ ratione eandem hanc nomenclaturam, quàm iſtâ ipsâ, illic *cap. 8. pag. 97*

iteras,

iteras, atque ita Forerum noſtrum affaris: *Negas eſſe Marianæ librum, qui Societatis veſtræ regimen traducit, quamuis non ignores à fide dignis inter tuos Catholicos narrari?* De ſycophantiâ ſuppoſititij illius libri pœnas hîc ego, quum locus non ferat, à te non exigo; hâc tuâ contentus ſygraphâ, quâ planum facis, quos Forerus Catholicos nominat, & quibuſcum in Romanæ Eccleſiæ fide, vt notum eſt, degit, à te pro Catholicis minimè haberi: quos autem cum eâdem Romanâ Eccleſiâ Hæreticos agnoſcit, à te in veris Catholicis numerari.

V. Sed multò adhuc luculentiùs tuam hanc abuſionem Hæreticam eâdem in *Statera, cap.* 1. *pag.* 12. hiſce totidem verbis inſolas, præ te ſyncerè ferens: *Te proculcare vitam, & miracula nouorum Sanctorum Societatis Ieſuiticæ - quod faciunt* (paulò pòſt addis, ſimulque mentiris) *omnes veri Catholici, non pauci etiam ex ijs, qui Ieſuitis tales habentur.* Verùm de tuâ in Diuos noſtros impietate, quia *cap.* 6. non ieiunè diſſerui, nihil hoc loco repeto. Sat mihi in præſentiâ eſt, hinc liquere, nomine verorum Catholicorum Hæreticos ipſos, à te manifeſtè deſignari, à quibus omnibus miracula noſtrorum Sanctorum explodi, vt certum eſt, ita non mirum; ſed eos à Ieſuitis inter veros Catholicos haudquaquam referri, Catholicis omnibus exploratiſſimum: illos autem non paucos, qui nobis Ieſuitis Catholici habentur, Romanæ filios Eccleſiæ haud dubiè intelligi. Sed ab ijs, aut vllo iſtorum, miracula, vitamque noſtrorum S. Ignatij, ſanctique Franciſci proculcari, Hæretica calumnia eſt, tuo ore calamoque digniſſima. Quid ampliùs? Tuis in *Myſterijs pag.*78. vſque ad *pag.* 85. quaſdam Ribadeneiræ, & Marianæ ſententias ad inuidiam Ieſuitis apud Hæreticos conflandam exagitas. Reſpondet tibi Forerus in *Mantiſſa,*

ſect. 1. *num.* 47. Si ij *hoc dicent, nihil eos edocere, niſi quod docent etiam ipſi Acatholici tum Caluiniani, tum Lutherani*; mox Bezæ verba ex *Epiſt. Theolog.* 1. *pag.* 20. & 21. recitat, tum Lutheri ad Fridericum Saxoniæ Electorem Epiſtolam *Tom.* 2. *Ien. Germ.* Anno cIↃIↃLXIII. refert; tum Iſaaci Frœreiſenij Lutherani opinionem è *volum.* 1. *Scrutinij Panoplia Bellarminianæ, diſp.* 28 *Controu.* 36. *num.* 2. memorat; tandemque nonnullorum Theologorum VVirtenbergenſium, Badenſium, Palatinorum, & Auguſtanorum, quos Hæreticos eſſe, planum eſt, iudicium, quod in Germanico libro, cui titulus, *Poſtilio ad omnes Euangelicos Reges, & Principes* &c. euulgârunt, profert. Quid hic verborum facies, Scioppi? Quam vocem mittes? quam? Rogas? Quaſi verò, inquis, in *Staterâ, cap.* 9. *pag.* 106. non ſim vociferatus, *falſum eſſe, quod Ieſuita affingit nonnullis eorum, quos Acatholicos appellat, pactiones omnes de libertate religionum publicè factas penitùs eſſe de medio tollendas.* At homo falſarie, Forerum falſi, falſus ipſe, ac fallens (ſed non, cui oculi ad tuam fallaciam in allatis Auctoribus deprehendendam) fruſtra accuſas. Ipſimet enim Hæreticorum Codices eam pactionis de libertate Religionum abolitionem, vt Forerus aſſeuerauit, clarè repræſentant. Verùm hinc non falsò, ſed certo certius cogitur, Bezam, Lutherum, & alios Hæreticos, quos in medium idem Forerus adduxit, à te Hæreticos minimè cenſeri, ac proinde multiformem tuam Hæreſim in propatulo hoc modo collocari. Haud ſecus in eâdem *Statera, cap.* 7. *pag* 79. Ieſuitis inclementer ſuccenſes, atque iniquitatem exprobras. Quid cauſſæ eſt? Facinus inexpiabile. Quod ij, inquis, *per ſingulas paginas in Caluinum, in Bezam, in Lutherum, & alios euomunt fœda conuicia* Sed in eos, qui & multa fœdiora commeruerunt. Perge. *Si quis probationem petat, illi clamant Bolſecum, & Stapby-*

Staphylum, & ſimiles, teſtes eſſe omni exceptione maiores, quos nôrunt fuiſſe hoſtes iuratos eorum, quos calumniantur. Potésne iam impudentiùs inter Caluinum, Bezam, Lutherum, & cætera Hæreticorum monſtra, tibi cariſſima, nomen tuum profiteri, Scioppi, quàm Catholicos Doctores, qui eos ſtylo & ſcriptis mactant, ſcurriliter traducendo, eoſdemque Hereticos tanquam innocentes, adeoque & Hæreſis immunes, calumnijs oneratos pronuntiando?

VI. At neque dum tuus Hæreticus furor totus deferbuit. Solemne Hæreticis eſt, Catholicam Eccleſiam Romanam, Pontificium regnum nominare. Eodem nomine, vt eius à gremio longè errabundum te prodas, ſic ipſam in illâ *Statera cap.* 10.*pag.*119. donas: *Ieſuitæ, vt Papæ fauorem ſibi conciliarent, Sedis Romanæ Tyrannicam auctoritatem labantem* (quemadmodum procaciſſimè mentiris) *erigere conati ſunt: ideò quæ plurimis alijs, etiam in regno Pontificio, paradoxa erant, ſelegerunt.* quod ex æquo falſum eſt. Hæretici eandem Eccleſiam à *Papa Papatum* vocant, vt conſtat. Haud ſecus & tu inibi *cap.*7.*pag.*74 cauillaris; *Superbiam Romanæ Sedis* in quodam diplomate, quod ibi carpis, *bonis omnibus diſplicuiſſe*, iubesque ſtatim videri Barclaium, aliosque multos *in Papatu*; eos nempe, quos Eccleſiæ Romanæ authoratos eſſe compertum eſt. Hæretici nos Chriſtianos, atque Catholicos hiſce honorificis nominibus exuunt, at Pontificios appellant, quosque vniuerſi Catholici Hæreticos autumant, præfractè negant. Tu pariter eundem Hæreticum ludum ludis, eodemque *cap.*7.*pag.*78. deridiculi gratiâ ita ſcribis; *Quum autem Rex magnæ Britanniæ ſit Pontificijs manifeſtè Hæreticus: Item Rex Daniæ, Regina Sueciæ, & alij Principes, & Reſpublicæ multæ.* At tu nouus Propheta Tartari, receníque Erebi Apoſtolus hos ac

pariles non pro Hęreticis, quos ſe præſtant, ſed pro defecatis, & ſanctis Caholicis venditas.

VII. Verùm quum Lutherano Caluinianoque ſpiritu adeo ebrius, Scioppi, ſis, num ſacroſanctum *Miſſæ* ſacrificium, arcanæque confeſſionis ſacramentum relinques intacta? imò vtriuſque quæſitis dehoneſtamentis, Hæretici flagitioſiſſimi famam ac lauream aucuparis. Ad illius ludibrium vocem inſolentem fingis petulantiſſimè, ac *Sacrificium Myſticum* in eâdem *Staterâ, cap* 5 *pag* 61. nuncupas, pauloque pòſt ſubijcis, *ei ſacrificio, quod Ieſuitæ exiſtimant eſſe corporis Chriſti*, vt ita cunctis perſuadeas aliter à te exiſtimari, omneſque Catholici tuum iſtum Caluiniſtæ ructum intelligant. Piacularis verò Confeſſionis ſecreto tam infenſus es, vt quæ dogmata de illo Catholici Doctores paſſim ſanciunt, tu ea horrenda atque execranda paradoxa *ibid. cap.* 11. *pag.* 240. decernas, illoſque *fraudium & impietatum ſocios, quales fuerunt Silueſter, & Angelus de Clauaſio, & ſimiles*, diſertim ais, quo nemini, cui ſectæ nomen dederis, obſcurum ſit. Inuiolabile confeſſionis ſigillum iure & naturali, & diuino, & humano munitum reſignare, ac temerare, fraudem atque impietatem, ſacerrime mortalium, vocas, tu ipſe è fraudibus atque impietate ita compactus, vt fraudem verendo ſacramento non facere, fraudem appelles, & non eſſe impium, impietatis inſimules.

VIII. Sed quorſum ego plura tuæ profeſſionis Hæreticæ documenta conquiro, quum in *Actione Perduellionis* abiectâ demum Catholici viri perſonâ, quam permultos annos malè ſimulâras, Lutherani natiuam induas, ac repetas; in alijs autem propudioſis libris Hæreticum te potiùs exhibeas, quàm nomines? Quid quòd cum Hæreticis colludere, & conſpirare, vt meis *Vindicijs cap.* 4. *num.* 5. ex tuâ autographâ Epiſtolâ patefeci, ſuetus es?

Quid

Quid quòd vbique locorum, poſtquam paulum alicubi pedem fixiſti, præſertim Patauij, pro Hæretico omnium tæterrimo à viris cordatis, ac pijs, vt à locupletiſſimis teſtibus acceptum ſcio, paſſim haberis? quid quòd Eminentiſſimus olim *Cardinalis* Federicus Borromæus viro integerrimo, ac doctiſſimo, quem in oculis maximè ferebat (vt mihi ſæpius is ipſe narrauit) tui conſuetudine, quum fortè tum Mediolani diuerſareris, ſeuerè, ac præcisè interdixerit? Nimirum emunctæ naris Antiſtes, iam tabidam Hæreſi ouem ſagaciſſimè præſentiebat. Quid poſtremò quòd non ſolùm Hereticus palàm es, ſed alios etiam ad defectionem à Catholicâ religione ſolicitas? Certè Forerum noſtrum in eâdem *Statera pag* 170 ita vrges. *Ieſuita Forerio à Deo bonitate, & miſericordiâ opto mentem ſanam in corpore ſano, vt tandem illuminatis mentis oculis, perſpiciat, quàm pernicioſa ſectæ ſe addixerit, quantis erroribus ſit inuolutus, quàm periculosè hæreat, vbi ſublata eſt libertas bene ſentiendi, & loquendi.* Cui impio conſilio ac ſuaſioni quid idem Forerus in literis, quas Dilingæ XVII. Martij, anno CIↃIↃCXXXIX. ad me dedit, reſpondeat; vt germanâ fide reddo, ſic accipe. *Et ego,* inquit, *tibi, Scioppi, opto mentem non tantùm ſanam, ſed ſaniorem. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Scelera tua, ſi reſipiſcere nolis, ſint tecum in perditionem. Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone Dei. Pœnitentiam age ab hac nequitia tuâ, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio ſcelerata cordis tui.*

IX. Quamobrem ſi fortè adhuc anceps animi pendes, Scioppi, an tua multiplicis Hæreſis profeſſio Chriſtiano Orbi ſatis perſpecta ſit, ſecurum te eſſe iubeo. Vadem me do. Meo periculo credito eſſe perſpectiſſimam.

LAPIDIS LYDII PARS TERTIA.

Abſolui, Scioppi, teſſeras, non quidem omnes, ſed paucas ad ſpecimen excerptas, quæ variam tuam Hæreſim è tuis famoſis libellis vndique corniculantem, intento velut digito oſtendunt. Iam pace tuâ ad multiplices Verrucas, quæ etſi Hæreſim neceſſariò minimè continent, Hæreſis tamen tubera quædam, ac fungi ſunt, orationem conuerto, doceoq́ue, tuam Hæreſim ijs quoque nulli ſecundam, fæcundè admodum ſilueſcere.

Cap. I.

Verruca prima Scioppianæ Hæreſis, portentoſa arrogantia, atque ſuperbia.

I. EX cunctis deprauatæ doctrinæ, vitioſiſque animi inſignibus, quæ Hæreticis hominibus comitari ſolent, haud equidem ſcio, an vllum ijs certiùs, quàm ſui nimia æſtimatio, tumorque ſupra cæteros elatus, tanquam imago, reſonet. Nec tu diſſentire potes, Scioppi, ſi magni Auguſtini a placito, à quo oraculum celebre quondam editum eſt, *Superbiam matrem eſſe omnium Hæreticorum*, ſubſcribas; ſi Egeſippo apud Euſebium b aſſeueranti, Thebutem ab Eccleſiâ receſſiſſe, qui Epiſcopi Infulâ potiri non potuit, fidem habeas: ſi in memoriam de ambitu Simonis Magi, vt in Actis Apoſtolicis meminit Lucas, c regrediaris: ſi principalium Hæreticorum primâ cunabula

a *Tom 6. lib. contra Epiſtolam Manichæi.*
b *Lib. 4. cap. 21.* c *Act. 8.*

eunabula à Campano ſupercilio, faſtuque poſita, quia honeſtatum repulſam tulerunt, tecum repu- tes; ſi Hæreſim à Valentino proſeminatam, ani- maduertas, quia *Epiſcopatus* ſpe, vt ſcribit Tertul- lianus, *a* fruſtratus eſt; à Marcione, vt narrat Epi- phanius; *b* à Montano, vt refert Theodoretus; *c* à Nouatiano, vt memorat Cornelius apud Euſe- bium; *d* ab Ario, vt tradit idem Theodoretus; *e* à Macedonio, vt teſtatur Epiphanius; *f* ab Aerio, vt affirmat idem Epiphanius; *g* à Neſtorio, vt ex- ponit rurſum Theodoretus; *h* a Sabatio, vt Socra- tes *i* & Nicephorus *k* literis conſignârunt, quia eodem Epiſcopatus honore aucupando operam fruſtra contriuerunt, vt eruditè notat Benedictus Iuſtinianus. *l* Inre proinde D. Hieronymus peſti- lentem hanc luem fœdè ſerpentem ſecum reco- lens, ſtomachum haſce in voces erumpit: *m Quis Hæreticorum, non in ſuperbiam extollitur, Eccleſiæ ſim- plicitatem paruipendens, & fidem imperitiã reputans?*

II. Iam Scioppi, ſi pateris, explorare diſcupio, num tu quoque turgidis tui opinionibus inflatus, ventoſâque arrogantiâ ſubnixus multiplici tuæ Hæreſi tu ipſe non dubijs auſpicijs, ſed oppidò in- fauſtis proluſeris, porroque ſuperbiæ ſtolones ac palmites ex eâdem deinde pullulârint.

a *Lib. contra Valentin.* b *Hæreſi* 42. c *Lib.* 4. *de Hæreſ. fabul.* d *Lib.* 6. *Hiſt. cap* 33. e *Lib.* 4. *de Hæreſ. fabul.* f *Hæreſi* 73. g *Hæreſi* 75. h *Lib.* 4. *de Hæreſ fab.* i *Lib.* 5. *Hiſt cap* 10. k *Lib* 11. *Hiſt. cap.* 30. l *In* 1. *Timoth.* 1. *verſ.* 7. m *In Abdiam Proph.*

§. I.

Scioppij in honoribus ac titulis iactandis ſuperbia.

III. Ordior à magnidicâ ſermocinatione, quam de tuæ gloriæ, ac dignitatis amplitudine ſy-

ſophantioſè funditas. Carolus *Cardinalis* Madrutius, Tridenti Epiſcopus, ac Princeps tuis reſpondens literis, epiſtolam tibi Illuſtri Domino fortè inſcripſerat. Hoc tu ornatus elogio, quàm ſublatè te infers, ac venditas Ioſepho Scaligero? quàm erectâ ceruice id ei impingis? *Sed cedodum mihi*, exclamas, *a non tibi dolent oculi, quum illuſtrem me à Germano Principe appellari vides?* quàm arroganter tui ſupra eum prærogatiuam extollens mox addis, *Iniquum tamen forſan putes, in quo tu titulo ab adoleſcentibus, ijsq́; nihilo ſapientioribus caualonibus, & ludimagiſtellis conſequendo tot annos laborabas, eundem nunc mihi titulum velut dormienti, aut oſcitanti, vltro, non à virgatore aliquo ludimagiſtro, ſed à Generoſo Comite, eodemq́; Cardinale ampliſſimo, & Illuſtriſſimo Imperij Romani Principe impertiri?* quàm ventoſâ prædicatione paulò pòſt narras *b* à Pontifice *inter equites S. Petri, & S. Apoſtolici Palatij Comites ac familiares receptum*, tum *à Senatu populoq́; Romano in Ciues ac Patritios cooptatum?* quàm inſolenter te hoc ipſo nomine eidem Scaligero his verbis oſtentas? *c Ais Metrodorum Scepſium floruiſſe Cæſarianis temporibus. Sed ego Patritius Romanus & Senatorij Ordinis, duos Romanos Conſules allegare poſſum, qui tibi mentienti, vt Plautus ait, os oſcillent probè.* Verùm non tantùm Apoſtolici Palatij *Comitem* te profiteris, Scioppi, ſed *Comes* etiam à Clarâ Valle duobus in libellis Patauij editis in Orbis Theatrum inexpectatus planè, repentinò prodijſti.

IV. Salue *Comes* Illuſtriſſime, ſalue. O factum bene! tibi equidem, quòd è Grammatico ludo tandem exceſſeris, atque in *Comitem* fulgentiſſimum è fuligineo tenebrione conſcriptus ſis, gratulor, gratabundus acclamare cogor, Grammatico nugoni feliciter. Iam enimuerò nonniſi magnum ſpirans,

a *In Scaligero Hypobol. pag.* 116. b *Ibid.*
c *Ibid pag.* 215.

ſpirans, auitam plebeiæ fæcis ſellulariorum conſuetudinem dedignaberis, iam veteres propinquos tuos, ac neceſſarios aſpernaberis, iam Principes dumtaxat ac Reges, in quorum familiaritatem intres, tibi colendos putabis. Olim ſanè Ioſephum, quem appellaui, Scaligerum nimiopere ſibi de nobili ſuâ ſtirpe placentem, ac paratragœdiantem vt contunderes, ita aggreſſus es, faſtumque eius maiore faſtu calcâſti. *a Quoniam verò tanta tibi res videatur Regibus ac Principibus notum eſſe,*

Aſpice me, cui parua domi fortuna relicta eſt,
Nullus & antiquo Marte triumphus aui:

vt ſim & Regibus & Principibus non modò notus, ſed etiam probatus, ac commendatus, non paucis etiam familiari vſu & conſuetudine iunctus: quam ego rem minimè conſecutus eſſem: niſi aliam, quàm tu, artem didiciſſem Tu nempe bene loquendi, ego bene audiendi ſcientiam tenemus. Creſcit oratio. *Itaque nouerunt me Principes illi, tanquam hominem veræ Philoſophiæ ſtudio dies noctesq; affixum, & docente eadem Philoſophiâ, pro publica, patriæ in primis, vtilitate, ſedulò laborantem.* Profectò non auarâ manu, ſed plenis modijs, tui laudes emetiris. Quid amplius? Tumidis buccis infrà eodem in libro percrepas: *b Et ego tibi, ne quid fortè beneficio meo parcius vtendum putes, mea fide, hoc eſt, priſca, bona, & (quod ambitione relegata dicere queo) compluribus Principibus ac proceribus ſpectata probataq; recipio, ac polliceor, vbi hac è baliſtario omnia emiſeris, alia me largiter ſuggeſturum eſſe* Eugepæ! Quàm blando Fauonio tuæ gloriationi velificas? At fruſtra ambitionem verbo tenus relegas, quam remis velisque prouehis. Quum autem fidem tuam abs te celebrari audio, vereor, ne, qui te nouit, plus quàm Punicam interpretetur, & mentiendi calumniandique libidini proſtitutam, vt deinceps clariùs patebit, exiſtimet.

a *In Hypobol pag.* 288. b *Ibid pag.* 360.

V. Eandem porrò de honoribus tibi habitis cantilenam alibi quoque, nec ſemel recinis. In *Pædiâ humanarum ac diuinarum literarum*, a vt reliqua loca diſſimulem, quàm magnificè te circumſpicis, quòd *vſu rerum & hominum, ſiue experientiâ* præſtes, *quam peperiſti in Aulis Pontificum, Cæſarum, & Principum, in quibus omnibus haud multo ſecius, quàm vel Principes, vel publici Oratores honoribus affectus fuiſti?* At non ſolùm inanes honores, meras offucias, & bella hominum ludibria, à Principibus tibi mandatos, ſed munificis quoque ſtipendijs cumulatos, non parcus verborum recenſes. Quum enim Ferdinandi Henricidis Alcalæi Ducis præconia in tuæ Grammaticæ præludio copiosè admodum explicuiſſes, continuò refers, te de quæſtione Grammaticâ arbitrum à tanto viro, vt tuâ, quicquid verum eſſe decerneres, ſtaretur ſententiâ, captum. Felix omen, Scioppi, ad Grammatices Dictaturam, quam dudum ambis, inuadendam. Nec mora. *Ego*, inquis, b *re ad me delatâ, quum vtra Ducis eſſet opinio, neſcirem, ſecundùm illum pronuntiaui, & quod ille ex Sanctio didicerat, rationi, atque idoneorum Scriptorum conſuetudini conſentaneum eſſe oſtendi. Hac res ſic eius mihi conciliauit animum, vt non ipſe modò magnâ me munificentiâ proſequeretur, ſed & à Catholico Rege Ciuitatis Hiſpaniæ ius ad capiendum ex Hiſpanicorum Sacerdotiorum fructibus mille aureorum vectigal annuum mihi impetratum auferret: quod ipſe Rex diplomate ſuo ſe mihi propter multa mea erga Eccleſiam, & Rempub. Chriſtianam merita, impetrato in eam rem publico regnorum ſuorum aſſenſu, impertiſſe prædicat. Itaque etſi nunc Sanctiana Grammatica magno ſtudio meo exculta. & perpolita, multoq; quum auctior, quàm à Sanctio fuit edita, tum methodi legibus congruentior luci ſe committit; non tamen eſt, vt à me potiùs, etſi & ipſo Principu*

a *Pag.* 30. b *In Præfat. Grammat.*

Principis (nullo genere Attalo Rege minoris) legatione Romæ olim functo, quàm à tanto, cuius auſpicio ac ductu, propeꝗ dixero, velut propitij & adſpirantis Numinis fauore opus apparet, auctoritas ei accedat

VI. Satis eſt, Scioppi. Iam plauſum vel à denatis exprimis. Nunc demum mirari deſino, cur tu de Conſule Rhetor, ſeu de Legato Grammaticus, hoc eſt, prioribus illis contra Hæreticos prælijs, grauioribusque ſtudiorum curis, vtpote marſupio tuo minimè conducibilibus, valere iuſſis; in proletariam de integro pædagogorum tribum improuisò adſcriptus, Grammaticas nugas denuò agere cœperis; quum opima adeò præmia, dapſilemque prouentum id genus leuidenſis non merueris, ſed abſtuleris. Et portentoſa profectò Ducis illius liberalitas, quæ tuas de ſyllabis atque apicibus apinas tot tantisque pretijs, atque ſtrenis munerauit? Quis iam neget tibi arriſiſſe fortunam, teque prorſus fortunatum, quum in Grammatico ludo, atque alueolo Venerem tot numis, auroque diuitem ieceris? Sed mirificiſſima ſunt tua in Eccleſiam, & Rempub. Chriſtianam merita, quæ à Regio diplomate commemorari memoras. Ecquænam illa? Nempe de Grammaticis tricis neſcio quid extricâſſe quæſtionis, aut omnes inter Grammaticos turbulentam conciuiſſe ſeditionem, vel mentiendi calumniandique artem dudum exercuiſſe. Sed vt vt eſt. An non magna tui gloria, Scioppi, Scioppium olim Legationem Principis, dignitate Regem Attalum facilè exæquantis, Romæ in Vrbe orbis capite obijſſe, à Maximo Hiſpaniarum Rege multa tua erga Eccleſiam, & Catholicam Rempub. merita Regio diplomate celebrari? magna vtique, ſed longè maior (vt hæc quoque ita ſint, velut amplificas) tua ſuperbia, iſthæc tuo vnius ore decantari.

VII. Cæterùm reapſe omnia eiuſmodi merita fuiſſe

fuiſſe tantùm commentitia, ipſumque diploma ludicrum, & munera iocularia dicis gratiâ dumtaxat propoſita, ſatis apertè, Scioppi, tu ipſemet indicas, dum ſtipendia eorum tibi non perſoluta, in tuâ illâ *Padia* ſtoicè, an ſtolidè ita conquereris; *a* Conſilio Regio *Carthuſianorum iura & bona contra Regis Hiſpaniæ miniſtros ita tutatus eſt, vt propterea plus* XII. *millibus aureorum fraudatus fuerit, tametſi Rex ſe illi menſtruam octoginta aureorum penſionem conſtituiſſe affirmet propter magna erga Religionem Catholicam promerita, vtq; porrò etiam vtilem Eccleſiæ operam nauare poſſit; hoc amplius verò tabulis ſuis fateatur, eum ſibi multis annis cum particulari ſatisfactione ſeruiſſe, ſuaq; intereſſe, vt exactè ei ſatisfiat.* At reuera illæ tabulæ Regiæ docent ſine fuco, quàm inſanè, fame ſolicitante, obſtrepueris, vt rectè Lauanda *b* interpretatur, protensâque palmâ, & collo obſtipo aliquid penſionis tibi conſtitui flagitaueris. Iactata autem à te promerita, ſuis librata calculis proditionis notam tulerunt. Et ſi verum quæris, Scioppi, cur tot illis aureorum millibus, quæ nullus tibi vnquam debuit, fraudatus fueris; linguæ & calami tui intemperantia, calumniarum, & ſcelerum nundinatio, fraudes, doli, Hæreſumque in te repullulantium contagio in culpâ, & cauſsâ ſunt.

VIII. Atqui malè inſuper metuo, ne, quemadmodum & merita tua, & munera, & ſtipendia in auras fugerunt, ita tua Equitis & Comitis dignatio à te prædicata caſsâ nuce inanior ſit. Quum enim tuæ proſapiæ incunabula breui eo diſticho, quod iam retuli, tu ipſe delineatis;

Aſpice

a *Padia human. & diuin. liter. pag. 25.*

b *In Gram. Padico pag. 55.*

Aſpice me, cui parua domi fortuna relicta eſt,
Nullus & antiquo Marte triumphus aui.

vbi te nihilominùs Equitibus annumeratum ex te audio, cogis penè me, facetum illud Bernardini Bauhuſij, in Lycam è remige factum Equitem, epigramma tibi plauſus loco hîc tempeſtiuè occinere, quod eſt huiuſmodi. a

Remigibus genitus, liniq́ hamiq́ magiſtris,
Squamigerum quibus eſt fallere cura gregem.
Nunc fertur neſcire Lycas nomenq́ genusq́,
Splendidus è nauta paupere factus eques.
Nunc illum madidi generis pudet, atque parentum.
Et Matri nuper: quanam, ait, hac anus eſt?
Ante Lycas fuerat, finxit ſibi nobile nomen,
Factus Mecœnas, qui fuit ante Lycas.
Sicq́ ſalutatur cunctis: ſalue, & mihi ſalue.
Mœcenas atauis edite remigibus.

O quàm concinnè, ac verè, Scioppi, mutato nomine, non fabula, ſed hiſtoria de te narratur, quem quum de obſcurâ *Pradicantium*, vt vocant, tribu natum, vt in Vindicijs meis *b* notaui, compertum ſit, tam ventoſas nihilominùs Equitis flare glorias, perridiculum eſt, ac proinde iure à cunctis ſalutari dignus es; *Mecœnas atauis edite remigibus, cui parua domi*, teipſo teſte, ac iudice, *fortuna relicta eſt.*

IX. Nihilo feliciora de tuo *Comitis* à Clarâ Valle titulo auſpicia ſunt. Nam is an verus, ac legitimus; an adumbratus, & pictus tantùm, fluctuare me animo atque ambigere ſubigit, omnino eruditum Lauandæ de eodem hypomnema, quod tibi hoc loco nolo inuidere. Sic ille lepidè diſſerit. *c* *Repentina tranſitio eſt, aiebat Ioannes Manlius,* Ex balneatore Epiſcopum fieri. *Sed nonne ab aratro ad Conſulatum aliquis*

a *Lib.* 1. *Epigr.* 2. b *Cap.* 8.
c *In Gram. Padico pag.* 3.

aliquis vocatus? interdum & viliora ſeruitia nomen in ſpecioſum genus infuderunt. Tu autem, Lector, quum legis nomen Comitis, *menſarum comitem intellige, quia ex Labeonis definitione, Comes eſt, qui frequentandi cuiuſque cauſsâ, vt ſequatur, deſtinatus eſt. Ita Scioppius ferculorum, & verborum Comes, non ſolùm comeſt, ſed etiam Comœdus eſt, & ſubinde ſcurra: præſertim quando in conuiuijs, ex Batrachomyomachia Homeri compluſculos verſus denumerat, vt ſe Græculum, & memoriâ valentem, aut quando perſonam Lutherani Prædicantis agit, qui Euangelium de illo,* qui deſcendens ab Ieruſalem in Iericho, incidit in Latrones, *cum inuſitata, ſed perquam lepida vocis inflexione, ſolitus fuerat populo prælegere.* A CLARA VALLE. *Non inuenio, quæ ſit iſta* Clara Vallis *niſi Vallis Achor in tribu Iuda, non procul à Galgal ſita, quæ olim ex Lapidatione Achan furis aurea regula inclaruit Ioſue 7. Eum S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ,* Vallem turbatum atque tumultus *vocat: alij* Vallem turbationis, & exturbationis *dictitant; quòd Achan, qui grauiſsimè ſuo ſacrilegio turbauerat Iſraël, illic lapidibus obrutus ſit, & exturbatus è numero viuorum; dicente Ioſue;* quia turbâſti nos, exturbet te Dominus in die hac. *Quæ appellatio valde appoſitè etiam congruit in Scioppium; is enim ſceleratis ſuis ſcriptis, dictis, & factis perturbat vniuerſam Eccleſiam, Religioſos Ordines anteà inter ſe concordes committit; mendacijs, & ſpurcis calumnijs criminatur Epiſcopos, & alios viros probos & honeſtos; denique infirmis periculoſa* offendicula *ponit; de cuius generis hominibus S. Paulus ad Galatas 5. num. 14 dixit:* Qui conturbat vos, portabit iudicium ſuum quicunque eſt ille. *Quâ autem ratione Scioppius pedem in poſſeſsionem huius Comitatus* Claræ Vallis *intulerit, non eſt pronum dicere. Fortè an à Mahumete Rege Turcarum olim data fuit in Feudum cuidam Scioppiano, viro antiquæ nobilitatis dynaſtæ Ægypti: inde propagata eſt Scioppiana familia, quæ hodie Turca beneficiaria, eius Vallis titulo gaudet:*

det: ſed pro Scioppio, ibidem Cadi Turcichus nunc ita dicit Verùm expectemus, donec ipſe Scioppius in ſcribendis Genealogijs dudum exercitatus, edat ſuæ ſtirpis originem, & ſe natum ſplendidè, ſupra omnes Scaligeros Orbi demonſtret. Ridendum, non admirandum Comitem videbimus Hæc Lauanda periucundâ hilaritudine. Ex quibus tamen extra iocum haud obſcurè dilucet, quàm malâ ſcæuâ tuus iſte *Comitis* titulus tibi, expetiuerit, hoc ſolo diues reditu, quod anili fabellæ argumentum ridicularium ſuppeditat.

X. Sed quæſo te per tuam Stoicam Philoſophiam, Scioppi, quum in tenebricoſis atque inuolutis rerum fatis euoluendis adeò excellas, vt *Fatum Imperij Turcici, Fatum Imperij Germanici, Fatum Auguſtæ Domûs Auſtriacæ,* quemadmodum in tuâ illâ literarum Pædiâ *pag.* 18. palàm tu ipſe teſtaris, augur, ac diuinus de cœlo lapſus prænuntiâris, nomenque Vatis inſuper ac Prophetæ eapropter tibi aſſerendum meritò, exiſtimaueris, quippe qui, vt in eâdem tuâ *Pædiâ,* eademque plagulâ edicis, *Conſilium Propheticum de falsâ, & verâ Sacri Romani Imperij medicinâ* tuo in capite hoſpitari præ te feras; quonam tandem fato, qui Eques eras, qui Senatorij Ordinis, qui *Comes* S. Petri, qui *Comes* à Clarâ Valle, qui Patritius Romanus, qui à Pontificibus, à Cæſaribus, à Principibus haud ſecus ferè, ac Princeps honoribus affectus; in vilem demum ac plebeium pharmacopolam degenerâſti? At tu indignaris, & de calumniâ expoſtulas. Sed fruſtra. Lauandam auſculta, qui rem totam paucis, ac feſtiuè deſcribit, ſimulque criſtas tibi nimium ſurrigenti, gallo ſcilicet faſtoſo, virgulâ çenſoriâ probè ita decutit. *Circulatoriam meditatur* Scioppius. *a* *Eſt in more medicamentarijs literas, peritiam, & periculum atteſtantes circumfigere.*

Quid

a In Gramm. Pædico pag. 8.

Quid dico? tranſijſſe iam in hoc genus Foraneorum Gaſparem Scipppium, perhibet recens pharmacotheon paratum contra omnia venena, & nuper Patauÿ typis vulgatum: cui inſcriptio: Effetti Marauiglioſi del pretioſo Elettuario del Conte di Chiara Valle & modo d' adoperarlo. *Huc tandem deuentum, vt ſpecioſi tituli* Nobilis, Equitis, Franconis, Comitis, Cæſarij Conſiliarÿ. Exlegati *in nomen Pharmacopolæ foranei tranſirent. Similitamen ſorte & Dionyſius Rex ad pædagogiam redactus eſt; Theogenes ad olitoriam, alÿ ad alia, & ſuperiori ſeculo aliqui quinti Euangeliÿ Architecti, & Miniſtri, meri Grammatici, inter quos Philippus Melanchthon, ad piſtrinum, & id genus alia opificia deuoluti ſunt. Nec dubito, quin id officÿ, ſi aliquo lucello reſpiret Scioppius, inter ingentia (quod in cæteris ſolet) de Republicâ Chriſtianâ merita repoſiturus ſit, præſertim ſi fœminis placiturus, ad fucum & pigmenta paranda manus admoueat.*

XI. Quæ quum ita ſe habeant, Scioppi; totque ac tam multa documenta neceſſaria quàm humillimè de te ſentiendi tibi ſuppetant; quòd nihilominùs de fucatis tuis honoribus ac titulis adſciſcendæ laudis cauſsâ intoleranter gloriatus ſis, vnde rogo, niſi ex perenni ebullientis tuæ ſuperbiæ venâ manare poteſt.

§. II.

Ingens Scioppij in ſui ingenij ac literarum prærogatiuis recenſendis arrogantia.

Hactenus Illuſtriſſime ſine comitatu *Comes* (niſi fortè Hæreſis, atque impietatis) de tuis honoribus ac titulis affatim & liberaliter. Quid porrò comminiſceris de tuo ingenio? quid de ſtudijs? quid de ſcientiâ? monſtra omnino noua, atque immania, qualia nulla vnquam Africa peperit, nulla vidit.

dit. Nec auſim ego manum, aut ſtylum ijs admouere, ſed ea, quemadmodum tuis verbis à te ſunt conformata, huc vltro ſe inferunt. Glorioſo militi Plautino nihil concedens, miros Æſopeos Logos de te memoriæ ita prodis. a *Anno* CIↃIↃLXXXV. *qui erat octauus ætatis meæ exactus, quum iam legere, ſcribere, & nomina flectere per genera, & caſus atque numeros didiciſſem, à patre in ludum literarium miſſus, intra vnum biennium non modò promptè & expeditè Latinè loqui didici (nam id mihi cum cæteris condiſcipulis commune fuit) ſed Græcam quoque Grammaticam, & Proſodiam Latinam; tum non minimam Logices partem, vt Prædicabilia, Prædicamenta, Enuntiationes quaſdam, definitiones, ac diuiſiones, Syllogiſmorum partes, figuras, ac modos, Sophiſticos denique elenchos priuati Præceptoris operâ celeriter arripui, vt ſæpe me condiſcipulis, ſiue potiùs Contubernalibus ac Conuictoribus in ſupremâ iam claſſe Dialecticæ operam dantibus, ac penè altero tanto natu me maioribus (ita vt nonnulli per ætatem mihi patres eſſe potuiſſent) non minimum negotij exhibere meminerim. Exacto illo biennio, Rhetoricæ (cuius non dicam non peſſima, pœne autem dicam optima nota magiſtrum ceperam Iohannem Ingelſtetterum Medicum & Philoſophum) componendis verſibus, Arithmeticæ, Græcæ, & Hebraicæ linguæ diligentem ſatis operam impendi, nec malè, vt ætas ferebat, Præceptorum de me ſpei reſpondi. In Logicis quidem tantum profeci, vt anno* CIↃIↃXCI. *quum cæteri mei Condiſcipuli nondum omnes Logices partes audiuiſſent, iam tum mihi Iacobi Zabarellæ ſummi Peripatetici opera Logica quàm familiariſſima eſſent reddita.*

II. Abunde, Scioppi, eſt, ne plura. Omnium literarum Mercurius es, Apollo es, Minerua es. Quid vis amplius? Ne quis verò de tantæ admirabilitatis veritate ambigat, ipſe tu laudum tuarum Hiſtoricum agis non ieiunum, aut luculentum potiùs Panegyricũ adornas. Quâ fide autem Poë-

a *In Hypobolim. pag.* 198.

tică,

ticâ, an Græcâ, haud ſatis diſcriminârim. Certè tu Achilli facinorum ſuorum egregium Præconem Homerum quondam nacto, felicitatis herbam, ipſe tibi Præco Homero maior, porrigere noluiſti. At reponam, dicamque ego pariter, quod res eſt. Quia Plautum tibi frequentem in manu, ac familiariſſimum Scriptorem eſſe perſpicuè ſcribis in tuo Hypobolimæo; a Thraſonis, ac Pyrgopilinicæ mores tibi vel imprudenti quotidiana eius lectio paulatim adeò affricuit, vt tantundem auctoritatis tuo teſtimonio, quantum fabulatores, Atelanas dumtaxat, & Feſcenninos profeſſi, merentur, conciliâris. Quid enim? Portenta ingentia de te loqueris. Salem omnem doctrinarum in ipſo matris tuæ vtero à te eſſe abliguritum. Sanè decennis adhuc, promptè expeditèque loquendi Latinè gnarus, Græcâ Grammaticâ, ac Proſodiâ imbutus, Dialecticæque peritus, contubernales tuos altero tanto te grandiores natu, hoc eſt, annorum viginti, nullo negotio, ſputo, vel talitro debellabas. Puſio ſcilicet lacertis Herculeis lacertoſior. Concinunt cætera. Græcæ, Hebraicæque linguæ cognitio, tum Rhetorices facultas comparata, Præceptorum de te ſpem non fefellit, & anno cIↃIↃXCI. hoc eſt, tuæ ætatis XIV. quum reliqui tui condiſcipuli nec dum Logices partes omnes audiſſent, iam tu Zabarellæ opera Logica cuncta voraueras, tenebaſque tam probè, ac proprium nomen. Prô quanta tuæ memoriæ vis? quàm fidelis, tenaxque depoſiti, quum tu iſta an. cIↃIↃCVII. vnà cum tuo *Scaligero Hypobolymæo*, annum ipſe agens XXX. in vulgus emiſeris; tamen quæ olim puerilia inter crepundia, quatuor antè luſtris luſeras, tibi in mente tam pertinaciter, ac ſi nudiuſtertius ea tranſegiſſes, inſediſſe? Verùm hæc omnia lubens ego tibi aſſenſerim, ſi vnum mihi viciſ-

a *Pag.* 297.

ſim, quod inficiari non potes, dederis; totidem nimirum hæc ipſa eſſe tuæ ambitionis atque arrogantiæ genuina chirographa.

III. At enim aliò, quàm ad tui commendationem hæc à te narratio relata eſt. Sic enim manifeſtò in eodem Elencho caues: a *Quæ nequaquam eo conſilio hic narranda duxi, vt me magnum Lectori faciam,* | *& admirandæ alicuius eruditionis ſuſpicionem commoueam (fateor enim pleraque eorum, quæ puer didiceram, poſterioribus annis, quum me amabilis veſtræ Critices inſania ludebat, & tempus, quod diſcendis magis ſerijs occupatum oportuit, libris edendis conterebam, mihi effluxiſſe) ſed potiùs, vt quæ de* ὀψιμαθείᾳ *tuâ iacis, exemplo meo ſuſpecta reddam. Quis enim ſum ego, ſi tecum in comparationem veniam? Vir priſcâ fide ac virtute, fateor* (at ego, ne fatear, ſed omnino diffitear, ſexcentis tuis piaculis, quæ partim enumeraui, agitauique, partim deinceps exponam, adigor) *ſed ea laus hic non agitur, de qua te mihi minùs grauatè conceſſurum arbitror. De ingenio, &* εὐφυΐᾳ indole *ad perſpiciendas literas quæſtio eſt, quam laudem etſi neque tu ipſe fortaſſis planè à me abiudicatam cupis, aut ſi cupis, nequicquam cupis.*

Οὐ γὰρ πείσονται Τρῶες καὶ Δαρδανίωνες.
Non etenim hoc Troes tibi credent, Dardanidæq́;.

Nemo, inquam, neque Hæreticorum neque Catholicorum, quin plus etiam ingenij iudicio, & exiſtimatione ſuâ mihi relinquat, quàm ego in me agnoſcam.

IV. Iam ſapis planè, Scioppi, dum pleraque eorum, quæ puer didiceras, tibi poſteà tum etiam, quum hæc ſcribebas, iam effluxiſſe, candidè fateris. Quod ego, vt facilè credo, ita etiam tibi, quid puer quondam egeris, quàm linguarum cognitionem,

a *Pag* 199.

nem, aut doctrinarum facultatem, quoúe ætatis anno hauſeris, penitùs excidiſſe; ac proinde quæ de tuis puerilibus illis prærogatiuis ingeris, ſomnijs paria ac gemina meritò exiſtimârim. Fruſtra verò tuam ambitionis noxiam quæſito colore diluere conaris, quum reapſe tuamet dicta mendacij tu ipſe coarguas. Nam recitatis hiſce Scaligeri verbis: *Annos natus vndecim cum Leonardo & Iano Conſtantino fratribus Burdegalam à patre miſſus, triennium primis elementis Latinitatis operam dedi:* vt iſta refutares, quorſum tam longam tuorum præconiorum caudam attexuiſti, aut temerè inſeruiſti? O ingenioſum tuæ arrogantiæ artificium! vt gloriolæ tuæ neſcio quæ ſcruta væno ſtatim exponeres, Scaligeri in primis Latinæ linguæ elementis addiſcendis, tarditatem minùs tibi veram videri, aſtutè ſimulâſti. Vt porrò ſuſpicionem, aut ſimulationem tuam argumento non leui fulcires, quid fuci aut ſtrophæ excogitâſti? dolium integrum totumque tuarum laudum, quas in puerili ætate meritum te ſtrenuè mentiris, euacuâſti, quo vt nihil intempeſtiuius, ita nihil ſuperbius. Si tuæ in diſcendo celeritatis admirationem non fuiſſes aucupatus; aliorum exemplis extra iactantiæ periculum, quam tui, vti maluiſſes. Auertat autem Deus omen inteſtabile, vt quiſquam ſuâ exiſtimatione atque iudicio plus ingenij tibi, quàm tute in teipſo, agnoſcas (vt perſuaſum habes, & cuique eſſe etiam arbitraris) relinquat. Plus arrogantiæ, plus ſuperbiæ, plus contumaciæ dixiſſes; mortalium nullus tergiuerſaretur, omnes pronis capitibus aſſentirent. Atqui ego, Scioppi, non altus diu in Hæreſi, vt tu; ſed Catholicus ab incunabulis, palmarium tuum hoc mendacium tubâ canens, à nemine neque Hæreticorum, neque Catholicorum non plus tibi ingenij, quàm ipſe tibi tribuas, indulgeri, impune tibi abire non ſino: id enim

rotundè

otundè pernego, aioque te multo minus & ingenij, & doctrinæ, quàm tibi ſumas, habere; neque antùm aio, ſed validis quoque experimentis per multis ad id locorum iam planum feci, faciamque porrò infrà magis ex deſtinato.

V. Verùm has adeò turgidas tuæ arrogantiæ ac ſuperbiæ veſicas, Scioppi, nondum tu ſatis inflatas autumans, quo magis ventoſâ popularis auræ opinione captatâ diſtenderes, *Amphotidas Scioppianas* anno cIↃIↃcXI. etiam publicâſti, in quas, quidquid ad tui prædicationem nominis, eruditionis, ſcientiæ, ac doctrinæ, corradere, eblandiri, aut emendicare potuiſti, diligentiſſimè, atque ambitioſiſſimè conieciſti. Neque his contentus, alium etiam libellum, cui à *Pædia* nomen indidiſti, *Grammaticus* planè *Pædicus*, vt aptè à Lauandâ appellâris, Patauij anno cIↃIↃcXXXVI. luci commiſiſti, in quo immanem librorum à te quum editorum, tum edendorum multitudinem recenſes, teque rerum humanarum ac diuinarum ſcientiâ perpolitum, tum artium omnium & doctrinarum promum condum, cœleſtem Myſtagogum, ac magnum veluti Numen è Iouis cerebro expreſſum circulatoriâ affectatione ac leuitate venditas.

VI. At quia paulò pòſt longâ diſſertatione, quàm nihil ferè literarum probè calleas, Scioppi, quàm rudis in cunctis diſciplinis, quàm indoctus tabula, infanſque idiota in libris, quos foras dediſti, doceas, quæ ignoras, oſtendam; multoque dilucidiùs, ac ſolidiùs in meo *Dentiſcalpio, Strigili*, & *Nouaculâ* reuincam; nolo hîc tibi de iſto doctrinarum peculio, vel magniloquentiâ negotium faceſſere. Sat mihi in præſentiâ eſt, hanc tuam veſanam arrogantiam atque ſuperbiam, in apertum e latebris prodeuntem, etiam lippis eſſe perſpectam. Quid mirum, Scioppi? Eſt ſcilicet Grammaticorum natio ſuperbiſſima. Idcirco Clemens

Alexandrinus *lib.* 1. *Stromatum*, Sophiſtas illos, qui ſe ob huiuſmodi artem impotentius efferunt, perſtringit, atque infelices vocat. Salaminius neſcio quis horum è grege literator, Solem ſe haberi, atque adorari volebat. Appion eiuſdem farinæ piſtor, gloriabatur eos, quibus aliquid nugarum Grammaticarum deſpondebat, immortalitate à ſe donari; quem propterea Tiberius Cæſar *Mundi Cymbalum*, quia publicæ famæ tympanum adeò inſanè ardebat, ridibundus meritò nuncupabat. At enim inter Grammaticos nemini te concedere, omniumque facilè principem te eſſe, cenſerique, te arbitro, te iudice, te præcone, iam dudum & vulgò notuit, & ego quoque, ſi de meris, non Grammaticis, ſed Grammatiſtis ſermo ſit, vltro annuerim. Sed neque tu potes abnuere, quin hoc pariter Grammatici ſpiritûs nomine animum tibi ad intolerabilem ſuperbiam inflatum eſſe, vultumque ſublatum, haud ex vano colligatur. Iam verò, quàm ſæpe ſuperbia, atque arrogantia Hæreſis pronuntiata ſit, quàm minimè fallax, quàm certa prudentes rerum non fugit. Certè ſapientum omnium iudicio liquet, innumeras penè Hæreſin Orbe Chriſtiano nonniſi ab aliquo Grammaticorum ſatas, ac propagatas. Veteres ac ferè antiquatas diſſimulo. Philippus Melanchthon Theodorus Beza, Martinus Lutherus, Petrus Martyr, aliíque ſexcenti Hypodidaſcali, vnde ſuas Hæreſes, niſi è Grammatico Ludo, Grammaticoque tumore, ac ſupercilio auſpicati ſunt? Atqui in Grammatico puluere nemo te, Scioppi pulverulentior, nemo turbulentior, nemo faſtoſior. Adeoque & tua iſta ſuperbia tanto certius, atque exploratius tuæ Hæreſis proludium. Verùm vt ſuperbia Hæreſeos præuia ſemper eſt, ita eiuſdem perpetuò ſolet eſſe pediſequa. *Omnibus* quippe *Hæreticis*, vt ſapienter Diuus Bernardus animaduertit,

uertit, *a vna intentio ſemper fuit, captare gloriam de ſingularitate ſcientia.* Quod nemo contentiùs, aut operoſiùs, quàm tu, Scioppi, vt conſtat, vbique præſtat.

a *Serm.65. in Cant.*

Cap. II.

Verruca ſecunda Scioppianæ Hæreſis, Phariſaica hypocriſis, abditum ſuperbiæ cubile, ac locuples auctarium.

I. Neſcio, Scioppi, an duorum nominum Græcenſium, *Hypocriſis*, atque *Hypocrita*, pro alienæ perſonæ ſimulatione, ac ſimulatore vſurpandi poteſtatem, à te Grammaticorum moroſiſſimo ac difficillimo nunc impetrare mihi fas erit. Sed vtcunque reclames, deliberatum iam mihi omnino eſt, ea, quum non ſolùm Eccleſiaſticis Scriptoribus admodum familiaria, ſed, quod caput eſt, atque hîc potiſſimùm quæro, tuæ Hæreſis puſtulis quoque, ac ſtrumis deſignandis, recidendisque quàm aptiſſima ſint, vel iratis tuis auribus oculisque ſæpius obtrudere. *Omnis enim Hæreticus*, vt præclarè D. Hieronymus tradit; *a hypocrita eſt, aliud agens, & aliud ſimulans.*

II. At quid hypocritæ, rogo, Scioppi, tam in vſu, ac ſolemne, quàm tenebricoſis ſuperbiæ automatis in honorum, laudum, plauſuumque verticem niti? Scirpus nimirum hypocrita eſt, cuius *radices*, vt Iobus teſtificatur, *b ſuper acervum petrarum denſabuntur, & inter lapides commorabitur.* Quod oraculum Magnus Gregorius enucleans, vulpinantis ambitionis, atque hypocriſis ſpeciem

 ac

a *In cap.9. Iſaia verſ.14.* b *Iob.8.*

ac mores tibi quàm graphicè ſcitèque hiſce non tam verbis, quàm coloribus effingit. *a Scirpus iſte, qui inter lapides commoratur, ſuper aceruum petrarum radices denſat, quia omnis hypocrita cogitationes ſuas in exquirenda hominum admiratione multiplicat. Per omne enim, quod hypocritæ faciunt, quia occultis cogitationibus laudes hominum requirunt, quaſi radices ſcirpi in aceruum petrarum mittunt. Operaturi quippe, laudes ſuas cogitant, laudari autem has, ſecum taciti in cogitationibus verſant. Gaudent ſe præcipuos in humana æſtimatione claruiſſe. Cumq; inflati fauoribus apud ſemetipſos intumeſcunt, ſæpe mirantur taciti etiam ipſi, quod ſunt. Videri quotidie ſemetipſis altiores cupiunt, ac miris inuentionibus in opere excreſcunt, quia ſicut virtus humilitatis omne vitium eneruat, ſic arrogantia roborat. Cogit namque mentem iuueneſcere, & contra vires valere, quia & quod negat vigor valetudinis, amor imperat laudis. Vnde & factis ſuis, vt diximus, arbitros inquirunt. Si verò eorum operi teſtes deeſſe contingat, narrant ipſi, quæ geſſerint; quumq; efferri fauoribus cœperint, ſæpe eiſdem ſuis operibus, quæ egiſſe ſe referunt, mentiendo aliquid adiungunt.* Hæc ſanctiſſimus Pontifex ad Hypocritarum imaginem exprimendam.

III. At enim Phariſaica hypocriſis, de quâ mihi iam penſiculatè anquirendum, eò maximè induſtriam ſuam artemque refert, vt de animi religione, de pietate, de iuſtitiâ, cæteroque virtutum paratu gloriam adipiſcatur; atque vt adipiſcatur, prærogatiuas ſuas, atque honeſtamenta id genus oſtentare ac iactare nunquam deſinit; ab eo, opinor, hypocritarum anteſignano ac magiſtro inſtituta, quem ſtrenuè ſternuiſſe, ac magnificè de ſe ita locutum conſtat; *b Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri;*

a *Lib 8 Moral cap.30.*
b *Lucæ 18.*

teri; velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ poſſideo.

IV. Quæ quum citra controuerſiam manifeſta ſint, noli, quæſo, Scioppi, iam mihi ſuccenſere, ſi te quoque in album hypocritarum referendum iure, quàm qui optimo, contendo. Quis enim hominum admirationem magis venatur, quàm tu? quis occultis cuniculis, ad numeroſas laudes hauriendas, magis populi opinamenta ſubruit? quis humanâ æſtimatione ſe præcipuè claruiſſe magis gaudet? quis ventoſis fauoribus magis intumeſcit? quis tacitè ſeipſum, quod eſt, magis admiratur? quis ſe cotidie altiorem videri magis cupit? quis ſuis non dico factis, ſed fucis arbitros ac ſpectatores magis quærit? quis demum ſuis operibus, quæ prædicat, mentiendo plura affingit? Quàm abunde enim arrogantiam iſtam tuam, atque ſuperbiam tuorum honorum, munerum, titulorum, ingenij, ſollertiæ, literarum, ac diſciplinarum phaleras enumerantem, inſolenterque in cœlum tollentem, in theatrum iam dedimus? ſed luculentior multò adhuc illa eſt, quæ virtutum obtentu, inanique gloriatione turgens, te nimiopere ſupinat, ac dementat, in quo Phariſaicæ hypocriſis caput præcipuè cernitur, atque eminet.

V. At tibi pectus valde, Scioppi, nunc peraceſcit, virent oculi, fremiſque calumniam iſtam tibi de nihilo planè ſtrui. Calumniam ais? de nihilo? tibi? Quid ſi incorruptas produco tabulas? quid ſi chirographum tuum? quid ſi teſtem locupletiſſimum? quid renides? Mihi vt habeas fidem, non poſtulo: tibi haud dubiè habes ſummam. Teipſum ergo teſtem excito, tuos Codices profero, tuum *Scaligerum Hypobolimæum* appello, in quo tua iſta Phariſaica hypocriſis paratragœdiat quàm maximè. Etiamdúmne obluctaris? Age ad furcillandam, vt vis, fidem, recitetur. Vbi primùm in

 ſingulas

ſingulas hebdomadas rationem tuorum delictorum cum Sacerdote *Pænitentiario* putare te ſolitum, tum abſtinentiæ, ac temperantiæ vltro te colligatum dixiſti, mox addis. a *Toto itaque biennio ſic in Germania vixi, vt integros dies aridus ſiccus, ac ieiunus in ſtudendo conſumerem, omninoq; prandia ignorarem. Veni poſteà in Italiam, vbi quum pleroſque omnes Scriptores veteres tam Græcos, quàm Latinos diligenti lectione contriuiſſem, excerpſiſſemq; ſedulò omnia, quæ ad corrigendos ordinandoſq; mores, & affectus, & ad vitam quàm tranquilliſsimè agendam vſui fore viſa eſſent (nam de ritibus veſtium, vaſorum & ſeruotorum cuiuſque modi appellationibus priſcis, quorum hodie Criticorum iſtorum natio pueriliter ſatagere conſueuit, nunquam mihi curæ fuiſſe fateor) non modò bis, quod in Siculis ſibi non probari Plato oſtendit, ſed etiam ſemel in die ſaturum fieri, & vino carere nolle, non ſatis eo dignum eſſe deprehendi, quo ſibi legendis ſapientiæ magiſtris illis operæ pretium feciſſe videretur.* Prô quàm grandiloquum tuæ Stoicæ vitæ exordium! Verùm quî reapſe mores atque affectus tuos deinde correxeris, atque ordinaueris, non eſt, Scioppi, cur ex te hîc curiosè inſuper quæram, quum ex confirmatis ante teſſeris Hæreticum ſycophantam te planè eſſe iam oſtenderim.

VI Tu verò perge. Extemplo allatis in medium Clementis Alexandrini, Senecæque de temperantiâ ſententijs, proximè ſubdis; *Quare ne in legendis iſtis oleum & operam perdidiſſem, tanquam germanus Stoicus, quiq; ad vitam potiùs, quæ didiciſſet, quàm ad diſputationes referenda cenſeret, vinum aquâ ex præfluenti Tyberi hauſtâ mutaui, quod ignem ſcilicet vt Plato ait, igni addendum non putarem: tum carnes in perpetuum à menſa meâ proſcripſi,* b *non ſolùm*

Διὰ

b *In Hypobolim. pag. 250.* b *Propter hebetudinem, quæ ex carnium eſu generatur, ſed etiam exercitationis gratiâ, & ne caro nimis perprurìſcat ad Venerem.*

Διὰ τὴν νωθρίαν τὴν ἀπὸ τῆς κρεωφαγίας ἐγγινομένην, *ſed etiam* ἀσκήσεως χάριν, καὶ τοῦ μὴ σφριγᾶν περὶ τὰ ἀφροδίσια τὴν σάρκα, *vt idem Clemens loquitur, quum veriſſimè à S. Hieronymo dictum ſit;* eſum carnis eſſe ſeminarium libidinis. *Sed etiam piſcibus & ouis culinâ ac mentâ meâ interdixi,* a *quòd hæc quidem* ςυπικὰ *plus ſatis experimentis didiciſſem, piſcium verò eſu maiorem etiam, quàm carnium voluptatem capere ſolerem. Quare dimidiato caule, & aliquanto oriza cum pyro, aut pomo, & caſei fruſtillo contentus, ipſas viginti quatuor horas durare ſoleo, eadem operâ ientans, prandens, cœnans, & comiſſans. Noctu, hoc eſt, vt nunc eſt, ad nonam decimamq; noctis horam, vt condignè cubem, curatum eſt. Cubitus ſcilicet eſt, qualem non habuit fortaſſe Seneca, quamuis eo duro ac corpori reſiſtente vſum ſeſe dicat: aſſeres ſcilicet ſine vlla culcita, ceruicali tantùm duabusq; lodicibus inſtructi. Hoc ego lecto iuxta hyeme atque æſtate vtor, neque quicquam purpuratis iſtis noſtris delicias ſuas inuideo. Atque adeò ſic mihi nunc vitæ iſtius modus ex plurium annorum conſuetudine in naturam conuertit, vt in eo vel pauxillum migrare (quod rariſſimè, nonnunquam tamen dans aliqnid amicis facio) non minimâ ferè moleſtiâ exinde me afficiat. Id denique in omnibus meis ſtudijs, atque actionibus dare operam ſoleo, vt ne cui vita mea à Stoico illo, quem in Elementis meis Stoicis informaui, multum diſcedere videar.*

VII. Quæ monſtra de te audio, Scioppi? expecto reliqua auidiſſimè. Rauduſculum accipe, quò ea alacriùs enitaris. Mora nulla eſt. Continuò ſubijcis: *Verumtamen multum me à vera animi tranquillitate,*

a *Pruriginem commouentia.*

quillitate, tanto opere mihi quaſitâ, etiamnum abeſſe oporteret, niſi genio meo propitio in Fr. Coſteri libellos incidiſſem. Quum enim in actionibus humanis duo ſpectari oporteat, quo modo affecto animo ſuſcipiantur, & ad quem finem dirigantur: ita bene de me in vtroque genere meretur Coſterus, vt eum omnis mea beatitudinis, quæ in hac vita obtineri poteſt, auctorem ſecundum Deum profiteri cogar; eius porrò, quam in ſe credentibus, & vſque ad finem perſeuerantibus (à quo te ſæpius deliràſſe, ac modò quoque aberrare perſpicuum eſt) *promiſit Chriſtus, in cælis futurum ſperare auſim* (ſed fruſtra, dum in hoc tuæ nequitiæ luto hæſitas) *Effecit enim aureolis libellis ſuis, vt eædem actiones illæ, quas priùs humanæ ſapientiæ præceptis auſcultans, tanquam rectæ rationi conſentaneas, ſuſcipere ſolebam, multo nunc, vt ſpero, puriores & integriores exeant, vitijs ſcilicet ac peccatis, in quæ propter humanæ naturæ fragilitatem incidere ſolemus, Pœnitentiæ ſacramento luſtratis & expiatis; paſſionibus autem & affectibus frequenti communicatione corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, magnam partem eliſis, & comminutis: Quum etiam priùs haud ferè aliud in agendo propoſitum haberem, quàm vt omni vitâ ad rectæ rationis normam directâ, quàm pacatiſſimè poſſem & tranquilliſſimè viuere, nunc ſanctis Coſteri monitis, exhortationibus, & meditationibus commotus, ad Deum tanquam ad vltimum finem in quo mens noſtra poſſit conquieſcere, omnes meas actiones referre diſco, & verè Sacerdotem* (*quod ſoli ſapienti ſuo tribuunt Stoici*) *agere iam incipio, meipſum & omnia mea bene quum cogitata, tum dicta, tum facta, tam cultûs, & honoris, quàm placandi, & expiandi cauſsâ peccati, ei offerendo*

VIII. O mellita acroamata! Eſtne aliquid amplius? ſanè. *Eſt enim* (vt infrà appingis *a*) *quod in*

a *In Hypobol. pag. 199.*

in Stoicis demonſtraui, vti aliarum rerum, ita viuendi quoque & officij ars & diſciplina. quam non iniuriâ nonnulli artem & ſcientiam ſcientiarum appellandam cenſuerunt In qua quoniam plus operæ ac ſtudij, quàm cæteros, conſumpſiſſe me profiteor, atque etiam nunc dies ac noctes quum maximè hoc ago Mirum dictu! quid poſtremò? *Quotuſquiſque* (inquis a) *vllam mendacijs maledicis fidem auctoritatemq; adiunget, non dico eorum, qui me familiariter nouerunt (apud hos enim præſens, experta atque perſpecta, vita morumq; integritas mea, obtrectatorum ſermonibus lædi non poteſt) ſed quorum ad aures fando nomen meum peruenit?* Intelligo, Scioppi, claude modò riuos, ſat prata biberunt.

IX. Huc porrò ſacrificuli omnes properè cum acerrâ & thure properate. Scioppio nunc terque quaterque pio & ſeſquiſancto (nominum enim portenta, ad portentoſam adeò, inſolentemque ſanctimoniæ formam deformandam, fabricanda ſunt) curuate genua, & adolete honores. Accurrite viri, fœminæque omnes, & hominis lacernam, gauſapinam, ac pallium, imò caligas & ſoleas ipſas, inſigni ſanctitudinis opobalſamo delibutas ore venerabundo ſuauiamini. Anachoretam inauditæ ſeueritudinis, admirabilique vitæ genere conſpicuum ſuâ iam è ſolitudine quàm deſertiſſimâ ereptantem, oculoſque ac ora hominum in ſe vnum conuertentem, ſuſpicite. Abſtinentiæ ac temperantiæ omnino horridæ exemplúmne dicam, an prodigium? Aridus, ſiccus & ieiunus ignorat prandia, vino abſtinet, carnes ſuâ à menſâ proſcribit, nihil ouorum, piſcium nihil libat, nedum comedit. Quo ergo vitam toleras? ſolo caule, neque integro, ſed dimidiato, oryzæque pauxillo, cum pyro, & caſei fruſtillo contentus, ipſas viginti quatuor horas, eâdem operâ

 ientans,

a *Ibid. pag. 363.*

ientans, prandens, ac cœnans durare ſolet. Lectus ille ſine culcitâ, nudi ferè aſſeres, etiam aduersùs hyemis iniurias nihilo inſtructiores. Sacris commentationibus vacat, diuina ſacramenta frequentat, omnes actiones ſuas ad Deum, tanquam ad vltimum finem collineat; quin, vt Sacerdos, cuncta benè & dicta, & facta, & cogitata eidem deuouet. In arte viuendi, hoc eſt, in ſcientiarum ſcientiâ plus operæ ac ſtudij quàm cæteros poſuiſſe ſe profitetur. Auſteriſmi Capuccini, diſcalceati Carmelitæ, aſperiores Auguſtiniani, cæteriq́ue Religioſi Viri dies noctesq́ue diuinæ interioriq́ue Philoſophiæ, vt toti Deo viuant, operantes, Scioppio herbam porrigant, neceſſe eſt, illi compoſiti, multis partibus, velint, nolint, ſunt inferiores, nihil agunt, neſciunt viuere, otiantur, nugantur. Denique expertam perſpectamq́ue vitæ ac morum illius integritatem deoſculamini, quam obtrectatorum ſermonibus lædi non poſſe ipſemet tradit, Auctor nimirum claſſicus, omniq́ue exceptione maior. Vno verbo, Scioppius Macarius ipſiſſimus eſt, aut alter Pachomius. Ne verò regina virtutum Caritas ei deeſſet, quid machinatus eſt? ipſe ſibi illam prolixè admodum impendit. Quum enim nemo huiuſmodi ornamenta virtutum ac prærogatiuas in eo vidiſſet, nemo ſuſpicatus eſſet, nemo cogitâſſet, multoq́ue minùs de ijs in lucem mittendis ſomniâſſet, ipſemet, ſui Præco loquax, ſagaxq́ue vertagus, abditas ſui laudes, cimmerias vmbras, nihil ſuprà, è tenebris eruit, atque oratione non illiberali vulgauit. Quid ergo ad ſanctitudinis apicem Scioppio iam deſit, quin de apotheoſi, ſeu conſecratione eidem decernendâ Purpurati Patres conſilium iam ineant, continuoq́ue ſuffragia ferant?

X. Verùm ſi tua, Scioppi, vita ad virtutum normam,

normam, amoto fuco, exigatur; quàm vereor, ne quod Claudio Cæſari in ludo apud Senecam nomen ſuum cœlo ocyus, quàm par erat, inſe-rere feſtinanti contigit, tibi quoque cadat. Nihil addo, nôſti reliqua. In primis verò Sacri Cenſores deprehendent extemplo tam Chriſtianam humilitatem nunquam tibi, ne de nomine quidem notam, quàm ſuperbiam, atque iactantiam ſemper in vſu, in ore, in oculis, in calamo, in dictis, factiſque tuis monſtroſè tumeſcentem. Nam etiamſi, quæ de te memoras, forent veriſſima (quod nemo ſanus tibi mentiendi arte glorianti, mendaciorumque inuſta fronti ſtigmata oſtendenti, vt tuis è Codicibus liquet, infraque palàm vincam, facilè credet) non à te illa, ſed ab alijs exponi, laudarique oportuiſſet. Iam verò quum tu id officij tam ambitioſè anteuerteris, quis tam hebes ſit, quin ventoſum tuum ingenium tui æſtimatione fœdè extuberans confeſtim animaduertat?

XI. Neque eſt, cur Sanctorum exempla virorum, qui ſubinde, quæ ad ſui etiam commendationem pertinebant, præconia, aut facinora non tacuerunt, ad tuæ culpam iactantiæ minuendam, diluendamque arceſſas. Nam quoties illi quidpiam de ſe eximium, atque ad decus augendum nobile ſibi ex ore, aut calamo excidere paſſi ſunt, toties aut neceſſitate compulſi, aut diuinæ gloriæ ſtudio, aut caritatis ſynceræ lege ad hanc præter morem indulgentiam adacti ſunt. Semper tamen ita ſuis laudibus conniuerunt, vt nulla ipſorum in narrando iactantia, oſtentatio nulla aut venditatio; ſed modeſtia ſumma, pertinaxque ſui demiſſio, atque contemptio ſimul coniuncta appareret. Tu verò nullo honeſto inuitatus nomine, nullâ coactus neceſſitudine, quanquã vtilitatem ex tuo

exemplo in adoleſcentes redundaturam, quam & ſuperbiſſimis quibuſque comminiſci pronum eſt, fruſtra prætexis; ſed occaſione non tam per vim importuniſſimè arreptâ, quam vltro ineptiſſimè ingeſtâ, longum tuis de virtutibus panegyricum concinnâſti, adeò iactanter, ac ſuperbè, vt ne Senecam quidem lecto tam duro cubuiſſe, apertè tuleris; Purpuratis Dynaſtis ſuas delicias exprobraueris; plus cæteris viuendi artiſte ſtuduiſſe ſcripſeris; tuorum innocentiam morum nullis obtrectatorum morſibus obnoxiam eſſe, inſolentiùs prædicaueris. Quamobrem quum tanta tuis ex verbis arrogantia & ſuperbia, minimè tecta aut laruata, ſed poſitâ verecundiâ, perſonæque mendacio, cunctis adſpectabilis, incurrat in oculos; quâ, obſecro, fronte in eodem tuo *Hypobolimæo* (in quo ſuperbiæ tuæ tam effusè fræna laxâſti) cauere auſus es, nolle te cuiquam arrogantiæ ſuſpicionem præbere? tam aptè nimirum, ac perſuaſibiliter, quàm qui ſcorto perditè mancipatus, libidinem ſuam cuiquam mortalium iure ſuſpectari poſſe inficiatur. Nempe bipedes omnes ita ſtupidos, elephantique corio circumtectos arbitratus es, vt nemo tuæ arrogantiæ ac ſuperbiæ lineamenta agnoſcere, nemo à fuco poſſet ſecernere. Sed ſtupidiſſimus tu, & elephanto cerritior, qui tam pingui Mineruâ allucinatus es. At ex tam affectatâ tuarum virtutum prædicatione, ex tantâ venditatione, faſtuque, quàm perſpicua, quàm flagitioſa, quàm deformis Phariſaicæ tuæ hypocriſis ſpecies emicat?

XII. Minimè gentium, inquis. Nam in eodem *Hypobolimæo* a diſertè teſtatus ſum, *Franciſco Coſtero Societatis Ieſu Sacerdoti ac Theologo tantum debere me, quantum hominem homini debere vix credibile eſt. Hic enim vnus eſt, cuius ſanctiſſimis, ſuauiſſimisq;*

a *Pag. 249.*

ſimiſq; verbis Chriſtiani hominis officium non perfectè modo cognoui, ſed ita etiam opere ipſo facere didici. Quin etiam *a ſtudioſis bonarum rerum adoleſcentibus, in quacunque tandem religione natis, altis, educatiſq; quos plurimum amaui, auctor* omnino *fui*, vt eiuſdem *Coſteri Meditationes* tum *de Paſſione Dominica*, tum *de Laudibus B. Virginis*, tum *in hymnum, Aue maris ſtella*, tum *de Cantico, Salue Regina*; nec non *Enchiridion controuerſiarum Religionis*, & *libellum Sodalitatis, ſiue Chriſtianarum Inſtitutionum*, ſibi compararent, ſeduloque legerent. Hanccíne vero, Scioppi, tu ægidem hoc clypeum ad tuæ arrogantiæ, atque hypocriſis tela repellenda obducis? ſed incaſſum prorſus, & tanquam caballus in cliuo, cum ventis litigans. Fruſtra Coſteri libellos alijs commendas, quos tu ipſe negligis. Quin imò his ipſis è libellis tua hypocriſis multo maior elucet. Nam ſi Coſterum ex animo amas; ſi eiuſdem libellos tuarum actionum, atque affectuum moderatores tibi delegiſti; cur ſumpto in manus ſcalpello, tuæ elationis tuber ex *lib. 2. Inſtit. cap. 5. de remedijs contra inanem gloriam*, tum ex *cap. 12. de medijs ad comparandam cordis humilitatem*, tum ex alijs ſimilibus locis, in quibus omnes propriarum laudum fibræ, cupiditates, gloriationes ab eo damnantur, comprimuntur, euelluntur, non ſecuiſti, ac perſanâſti? Nimirum quæ túte neque dum addidiciſti, alios intempeſtiuè, ac præpoſterè docere cupis, virtutemque, cuius expers es, oſtentare, ſumma tibi votorum eſt, in quo Phariſaica tua hypocriſis triumphat quàm maximè. Hypocrita depilate, ſuperbiam prius dediſce tuam, & tunc cæteros modeſtiam, *exemplo monſtrante viam*, rectè docueris.

XII. At aliud te in diuerticulum illatebras, iactabundamque tuam hypocriſim, quæſitiſſimis

a *Pag.* 251.

hiſce verborum pigmentis callidè oblinis. a *Non vereor, ne cui videar ad oſtendendam pietatem hæc de me ipſo prædicâſſe, quum vni nempe Deo, qui corda, ac renes ſcrutatur, ante cuius etiam tribunal me & conſilium hoc meum ſcio manifeſtari oportere, quicquid huius facio, probare cupiam, & mercedem etiam à iuſto Iudice in die illa mihi repoſitam iri ſperem, quod certè fruſtra facerem, ſi vel minimum gloriola ex hac re quærerem, quum de ijs, qui gloria cauſſâ, & vt videantur ab hominibus, ſiue orant, ſiue ieiunant, pronuntiare Chriſtum ſciam:* Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Verùm Scioppi, laterem omnino tu lauas, atque in pertuſum ingeris dicta dolium. Cui enim ſycophantiarum, vbi diu multumque in ſuarum virtutum prærogatiuis amplificandis delaſſatus eſt, iſthæc eadem ſutela, & cauſſatio in promptu non ſit? mendacij res ipſa te coarguit; mihique crede, niſi te alia merces, ac ſtrena, quàm tuo iſto de conſilio, manet, ſpem omnem præmij tibi penitùs decollâſſe. Potes Diuos, hominesque inclamare; ſed nemini, iſthanc tuorum commemorationem præconiorum à magnâ tui venditatione ac ſuperbiâ abeſſe, nec de hypocriſis ſacco ſeu farinam, ſeu furfurem eſſe depromptum, perſuaſeris. Quid enim à Chriſtiani officio viri alienius, quàm ſublatum altè ſupercilium, & propriorum operum iactantia? At Dei famuli, ſi quando aliquid, quod in ſui celebritatē nominis cederet, vt caritati, vel neceſſitati ſeruirent, tetigerunt; ſancti nimirum erant; eò videlicet virtutis progreſſi, vt ab inani gloriâ nihil eis periculi immineret; tantâque diuinitus luce perfuſi, vt ſui amore probè ſubacto, diuinam tantùm gloriam à ſe quæri certum haberent. Tu verò hypocrita totus in ære tuæ exiſtimationis, totus è ſuperbiâ conflatus, an viſcatas tui laudes, picem ſcilicet ambitionis pellaciſſimam,

a *In Hypobol pag.* 264.

mam, ac tenaciſſimam piceatis tuæ arrogantiæ manibns tractabis, quin eidem ambitioni multò magis adhæreſcas, hypocriſique intentiùs ancilleris? Apage. Vetulis ac deliris tantùm hæc deliria narrato.

XIV. Cæterùm nullo alio documento tam certo tuam hypocriſim in ſcenam produxiſti, quàm quum tanto minio & ceruſsâ tuam victus & corporis auſteritatem depinxiſti, illi interdicto Chriſti Domini: *a Quum ieiunatis, nolite fieri, ſicut hypocritæ triſtes.* Et alteri gemino: *b Quum facis eleemoſynam, noli tubâ canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt:* planè obnoxius. Quod ſi fortè tibi, quid hic cauendum Aſſertor Orbis præcipiat, neque dum ſatis dilucet, clarum lumen menti tuæ magnus Myſtes Auguſtinus ita præpandit; *c Aduertendum eſt, non in ſolo rerum corporearum nitore, atque pompâ, ſed etiam in ipſis ſordibus luctuoſis eſſe poſſe iactantiam, & eo periculoſiorem, quo ſub nomine ſeruitutis Dei decipit.* Audin', Scioppi, quàm apertè tam conſummatæ ſapientiæ Antiſtes tuas percellat aures? recenſio iſta tuæ vitæ tot virtutibus coruſcantis à te intruſa iactantiam eo periculoſiorem, quo ſub nomine ſeruitutis Dei decipis, oſtendit. At expreſsè denuntiaui, inquis, non gloriolæ quęrendæ gratiâ eam narrationem à me inſtitutam, multoque minùs pietatis venditandæ cauſsâ. Nihil refert. Imò tantò magis ſub nomine ſeruitutis Dei fallis, ſecuriusque ambitioni tuæ velificas, quo blandiùs omnes gloriolæ phaleras à te ablegare videris.

XV. At reclamas pertinaciſſimè, & quàm inconſultè temerèque tua conſilia, & ſcripta in ſequiorem partem à me trahantur, illo eiuſdē Auguſtini aureo monito palàm vincere contendis, à quo eodē, quò paulò antè memoratū eſt, loco hæc quoq; memoriæ

a *Matth.* 6. b *Ibid.* c *Tom.* 4. *li.* 2. *de ſer. Dom. cap.* 12.

memoriæ prodita, compertum eſt: *a Qui anter in profeſſione Chriſtianitatis inuſitato ſqualore ac ſordibus intentos in ſe oculos hominū facit, quum id voluntate faciat, non neceſſitate patiatur; ex cæteris eius operibus poteſt conijci, vtrum hoc contemptu ſuperflui cultus an ambitione aliquâ faciat: quia & ſub ouina pelle cauendos lupos Dominus præcepit: ſed ex fructibus, inquit, eorum cognoſcetis eos.* Iam quum mea iſta victus, cubituſque ſeueritas, inquis, tam multis præclariſque operum fructibus onuſta, quemcunque, cui non doleant oculi, in longè aliam interpretationem, egregiè nempe, ac optimè de mea virtute exiſtimantem, ire cogat; quantæ inuidentiæ, quantæ malignitatis eſt, hanc ad fucum & probrum detorquere?

XVI. Itáne, Scioppe, immiſſa arrogantiæ, atque hypocriſis tela exis? O te infortunatum, qui hanc fructuum tuorum lacunam tam inauſpicatè commouiſti! quid enim infelicius, quid tuæ cauſæ magis infeſtum excogitare potuiſti? Vis, tui ex operibus ac fructibus ego te metiar? pareo libentiſſimè. Quis mortalium, ſi tuos famoſos Codices, atque hunc meum *Lydium Lapidem* diligenter euoluat, illico non cernat, te ore improbo ac ſacrilego in omnem Chriſtianæ Reipub. Ordinem, in ſacros & profanos Principes, in Religioſos viros, in Sacerdotes, & Clericos, in Epiſcopos & *Cardinales*, in ipſum quoque Pontificem Maximum propudioſas contumelias, vt infrà tuis etiam verbis ipſiſſimis demonſtrabo, *a* euomuiſſe? quis non videat Diuos & Cœlites pollutâ linguâ & calamo à te funeſtatos? quis non animaduertat Apoſtolicæ Sedis auctoritatem labefactatam atque irriſam, doctrinas falſas, noxiaſque proſeminatas, nullum prope turpitudinis genus mentiendo calumniandoque inauſum eſſe relictum, vt ad id locorum iam luculenter docui, & deincep porrò

a *Cap. 7.*

porrò docebo? quis denique non comperitur, omnes tuas curas in popularis auræ rumuſculis excitandis, in tui laudibus emendicandis, vulgandis, exaggerandis, quò hominum oculos ad te rapias, quò tui admiratione cunctos impleas, quo teipſo quotidie maior altiorque omnibus videaris, eſſe defixas? Hi ſunt nimirum genuini fructus tui, hæc tuarum actionum perſpecta germina. Quid quod Stoicum dogma (an impietatem?) ſectatus, Ioſephum Scaligerum ad manus ſibimet nefariè inferendas in eodemmet tuo *Hypobolimæo*, in quo tam multa, & mira de tuâ virtute prædicas, longè ſceleſtiſſimè es adhortatus? Nihil augeo. Numero tibi ſyllabatim tua verba. Recognoſcíſne hæc olim à te exarata? a *Quare ſi mihi potes auſcultare, & ſi facinus vis facere lepidum & feſtiuum, domi tua te abdes, ac ſuſpendes clanculum, ſaltem tantiſper, dum abſcedat hæc à te ægrimonia. Nam quid tibi opus eſt vitâ, qua nihil niſi publici contemptus, & irriſionis popularis ob inauditam mendaciorum turpitudinem propagatio eſſe queat?* Et hæc merces ex fundo tuæ ſanctimoniæ ingens, atque opima exiſtit, hæ dotes ac fruges prædij luxuriantis tuæ iactantiæ. Vnde exoticam tuam in adiuuandâ Chriſtianâ Repub. atque in Hæreticis ad Chriſti gregem reducendis induſtriam obſeruare licet, qui vt Scaligerianæ ſuperbiæ multiplici carcinomati medereris, huic ceratum expanſum tuæ elationis omnino præpoſterum admonuiſti.

XVII. In eo quoque, Scioppi, apud vitæ tuæ inſpectores haud leuiter, opinor, offendes, quod in tuæ virtutis ſupellectili nulla flagra, cilicia nulla, quibus linguam tuam adeò procacem abs te flagellari vtique, ac fodicari par erat, vſpiam leguntur. Adde quod, quàm longo interuallo ab iſtâ temperantiæ, aut abſtinentiæ vel normâ vel ſimula-

a *In Hypobol pag.* 140.

ſimulatione poſteà deflexeris, teſtes locupletes facilè docere poſſunt. Sed quia nuper quoque in tuâ literarum *Padiâ* a abſtinentiam à ſuauibus & iucundis tibi adhuc cordi eſſe, mentiri non dubitâſti, mendacium tuum Eugenius Lauanda inultum tibi abire non ſinit, ſed totum lepidè non minùs, quàm liberè ſic exenterat. b *De abſtinentia à ſuauibus, & incundis ita cenſeo. Crediderim id verum, quod te inuidia, & ira ſic maceret, vt planè animo amareſcas, & amarulenta omnia ſentias, & facias Sed hoc fortaſſe interdum, quum Stoica ſecta alumnus Zenonem affectas, ex cuius ſchola exeunt, vt M Tullius dixit 2 de Nat Deor.* Interdum acerbi. *Conſtat tamen te Ariſtippum profiteri conſtantiùs; vnde enim alioqui* aſotus *prodyſti, niſi ex huius diſciplinâ, ſi Stoicus es? At enim* aſotia *ſine ſuauibus, & iucundis non conſiſtit Proinde ſuauibus te oblectari non minùs, quàm vrſum fano, ſimiam caſtaneis, plerique in italia norunt, quippe qui bellaria, & electuaria diligenter ruſpari ſolitus es Quod ſi interdum abſtines, menſarum culpa eſt, quæ tui ventris inanimentis non conſulunt Tum enim vel Xenocratis caſeolo & fruſto panis, itemq; vappâ, vel ceruiſiâ procul paraſitando contentus, eſurioni Plauti iſtas.*

XVIII. Ex his igitur, alijsque tui ingenij ac ſpiritûs fructibus, quos à te editos toto hoc *Lydio Lapide* confirmo, exploratiſſimum eſt, iſtam tuarum virtutum ac laudum nundinationem, nonniſi inſignitâ ambitione, ac ſuperbiâ à te monumentis mandatam; atque adeò parum abeſſe poteſt, quin tua ieiunia ficta, & commentitia ſint; certè quidem tua & iactantia vera, & arrogantia mera, & mera hypocriſis, merum Hæreſis tuæ inuolucrum, ac termes ſunt, de quo ambigere nullo modo potes, Scioppi, ſi quod de Manichæis Hæreticis S. Leo Pontifex notat, de te pronuntiatum exiſtimes. Vide, an tuæ hypocriſis ſimulacrum, Hæreſiſque

a *Pag.* 19. b *In Padico Gramm. pag.* 67.

fisque certum ſtolonem magis ad viuum queat ille reddere. *Neminem*, inquit, *a fallant diſcretionibus ciborum, ſordibus veſtium, vultuumq́ palloribus. Non ſunt caſta ieiunia, quæ non de ratione veniunt continentiæ, ſed de arte fallaciæ.* Tum alibi; *b Non vos ſeducant deceptorijs artibus ficta & ſimulata ieiunia. quæ non ad purificationem, ſed ad perditionem proficiunt animarum. Speciem quidem ſibi pietatis, & caſtitatis adſumunt, ſed hoc dolo actuum ſuorum obſcœna circumtegunt, & de profani cordis penetralibus iacula, quibus ſimplices vulnerentur, emittunt.* Hæc cuncta porrò quàm ad vnguem in te quadrent, Scioppi, quum pateat, quid attinet dicere? Scenam equidem tuæ pietatis, tuæ abſtinentiæ, tuæ rigidioris vitæ bellè lineâſti; at ea tota, non *de ratione continentiæ, ſed de arte* tuæ *fallaciæ venit*; non ad *purificationem* tuam, *ſed ad perditionem* ſpectat; non caſtis ieiunijs innititur, ſed *dolo actuum* tuorum *obſcœna circumtegit, deq; profani* tui *cordis penetralibus iacula, quibus ſimplices vulnerentur,* fraudulenter *emittuntur*. Quæ ſanè ipſa tua Phariſaica hypocriſis eſt, tuæ Hæreſis tam parens, quàm proles.

a *Serm.* 4. *in Epiphan.* b *Serm.* 3. *de Natali Dom.*

Cap. III.

Verruca tertia Scioppianæ Hæreſis, Talenta Ieſu Chriſti impudenter à Scioppio arrogata.

I. Erit fortaſſe, Scioppi, ex tuis patronis non nemo, qui tuam arrogantiam, atque hypocriſin, quam paulò antè in Sole meridiantem ſpectauimus, iuuenilem dumtaxat æſtum quendam animi, gloriæ libidine inſanientem, qui temporis deinde tractu & longinquitate defer-

deferbuerit, ac veluti conſenuerit, interpretabitur; ac proinde inconſultæ tuæ adoleſcentiæ imbecillitati, ac præcipitantiæ indulgendum cenſebit. Sed vtinam, Scioppi, vtinam in tuâ adoleſcentiâ tantummodò ita deliráſſes. Quanquam, quum ea faſtus tui inſignia ac vexilla tuo in *Hypobolymæo* erexiſti, iam grandis natu vir, dudum antè ex ephebis exceſſeras, annumq́ue triceſimum tum agebas. Atqui eandem illam arrogantiam, hypocriſinq́ue, indiuiduas omnino comites, deinde quoque in iſtam tuam ſenectam vſque ætatem tuo lateri ſemper circumdediſti: quin vtraque ea infelix propago haud parum aucta, tuâ etiam in fronte iam duodeſexagenariâ prodigialiter ante decennium reuiruit, luxurioséque refloruit.

II. Ibis tu quidem hic inficias ſtrenuè, non dubito, iurabisq́ue Iouem Lapidem, nihil tibi magnidicorum verborum poſt illam cum Scaligero velitationem excidiſſe. Sed atro atque inominali die; nam tuus ille de humanarum, & diuinarum literarum *Pædiâ* libellus, plagularum mole perexiguus quidem, at ambitionis immenſitate vaſtiſſimus, quem Patauij anno CIↃIↃCXXXVI. publicæ luci commiſiſti, planiſſimè te redarguit. Quid enim, quæſo, Scioppi, fuit, quod ad tui famam nominis tibi conficiendam, teque ipſum ſupra cunctos mortales efferendum valeret, quod in eundem libellum *Pædiæ*, quò nimirum ſolus in ſolio ſederes, operoſitate incredibili non coëgeris? At inter reliquæ tuæ elationis, ac ſimulationis monumenta illud ſine controuerſiâ primarium, quòd ipſa etiam Ieſu Chriſti talenta rapere, ac venditare, plagiarius furcifer minimè erubuiſti. Neque id diſſimulas, aut vllos clam eſſe vis, ſed vltro das, ac etiam iactas. Quid enim inibi *pag*. 25. ſcribis, an furis? diſertiſſimè;

TA-

TALENTA CHRISTI,

Gaſpari Scioppio ad negotiandum credita.

Matth. 25. Luc.9.

Chriſtus vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua, & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, & dixit illis· Negotiamini, dum venio, vt veniens pecuniam meam exigam cum vſuris.

Scioppio Chriſtus duo Talenta dedit, quæ ſunt bene de Eccleſia Chriſtiana merendi Voluntas, ac Facultas.

III. At ego, Scioppi, tua iſta nugamenta, non duo Chriſti talenta, vt tu comminiſceris; ſed nona tuæ ſuperbiæ ac ſimulationis documenta eſſe aio adeò illuſtria,& teſtata, vt, ne ſi mihi quidem liberam quidlibet de te fingendi poteſtatem ſponte feciſſes, caſſes vllos, aut tranſennas, ad geminam iſtam tuam ſycophantiam penitùs circumiiciendam conſtringendamque, fortiores ac firmiores à me excogitari potuiſſe, certum habeam. Quod ne fortè tu præfractè neges, aut dicis tantum gratiâ à me occentari putes, age, in ſingulis tuis hiſce talentis expendendis pauliſper hæreamus.

§. I.

Talentum Caſtitatis Scioppianæ.

IV. Vbi duo talenta à Chriſto tibi data, bene de Eccleſiâ ac Repub. Chriſtianâ merendi voluntatem,& facultatem, vt iam modò retuli,commemorâſti, prómis continuò *Argumenta voluntatis,* & quidem *interna* priùs, atque in his primo locó numeras, prædicasque: a *Votum Continentiæ, ſeu Caſtitatis, idq́; ſolius regni cœlorum cauſâ ſuſceptum, non vt opibus, aut honoribus Eccleſiaſticis frui poſſes. Talia enim qui ſpectant, eſſe Eunuchos factos ab hominibus*

a *In Pædia cit pag* 13.

V. Egò

V. Ego verò nollem, Scioppi (quò tibi, ac famæ tuæ modò bene conſulam) nollem, mentionem vllam tuâ de caſtitate loco tam importuno intuliſſes. Quod enim chirographum certius ad tuam animi contumaciam pari fœderatam hypocriſi retegendam, conuincendamque in manus mihi præbere poteras? Nam quod ad votum attinet, quum in animi interna conſilia nemo niſi è ſignis externis penetrare ſe poſſit, vt conſtat, quam tu vnquam tui iſtius voti continentiæ teſſeram, quod ſpecimen, quod indicium foris atque in aperto edidiſti? maximum, inquis, in oculos omnium quoque palàm incurrens. Quodnam iſtuc? vxorem nunquam, vitam cœlibem perpetuò duxi. Hócne tu veſtigium tui voti figis? Atqui plurimi in matrimonium nunquam eunt, egeſtate, aut vitio naturæ prohibiti, hominum mendicabula, inſani, furioſi, veneficio contacti, præcantatarum herbarum ſuccis potionati, inſignitè monſtroſi, longinquis morbis impliciti, vel diuturnis intabeſcentes, quocunque denique modo ad operam liberis dandam inhabiles. Deinde quænam rogo muliercula vel quadrantaria, vt pulchrè Lauanda *a* philoſophatur, nubat tibi, Scioppi, homuncioni ſcilicet peregrinabundo, nullius domicilij, ſed è tuâ Stoicâ ſectâ mundi ciui, nullâ certâ patriâ aut origine, nullâ ſtabili ſede, ſed erroni Ægyptio, hoc eſt, ſi vulgi vocem audire te non piget, mero *Cingaro*, qualem vultu quoque furuo atque obſcuro planè refers?

VI. Verùm quia votum, vt nomen ſonat, non tantùm vxoris non aſſumendæ, ſed abſolutæ etiam, & conſummatæ caſtitatis ſponſionem cum Deo factam redolere videtur; addo, huiuſmodi votum aut fuiſſe ioculare & fabuloſum, aut infandis piaculis à te fœdatum. Vtrum mauis, eligito.

Neuti-

a *In Gramm. Pædic. pag.* 48.

Neutiquam ex animo ac verè vouiſti? Ergo manifeſtus hypocrita, qui votum, quod nullum eſt, mentiris, ac venditas. Rite ac medullitus vouiſti? ergo nihilo ſecius flagitioſus hypocrita, qui votum, quod tot flagitijs contaminâſti, iactare audes. At hîc vociferaris vſque ad rauim? Egóne votum meum pollui? Egóne, qui caſtis moribus nihil antiquius habui? Sed nihil agis, Scioppi, atque vtcunque tuâ de caſtitate magnificè loquaris, tamen ego tibi nullam prorſus fidem tribuo, & quo minùs tribuam, D. Hieronymus in cauſsâ eſt, à quo dudum antè iam didici, a *Difficile eſſe inuenire Hæreticum, qui diligat caſtitatem, non quòd eam præferre deſiſtat in labijs ſuis, ſed quòd non ſeruet in conſcientia, aliud loquens, & aliud faciens: & quicunque amare pudicitiam ſe ſimulant, vt Manichæus, & Marcion, & Arius, & Tatianus, & Inſtauratores veteru Hæreſeos, venenato ore mella promittunt,* quemadmodum idem S. Doctor obſeruat? b *Cæterùm quæ ſecretè agunt, turpe eſt dicere.*

VII. At enim ego non inanibus verbis, ſed ſolidis argumentis, quàm frequenter, quàm turpiter, quàm ſceleſtè in leges continentiæ deliqueris, patefacio. Nam quo pacto, obſecro, caſtimoniam tibi cordi eſſe, mihi perſuadere potes, qui in *Actione* tuâ *Perduellionis*, c vt te Forerus noſter iure criminatur, de nouo *Ieſuitiſſarum*, vt vocabant, Ordine diſſerens, execrandas parentheſes, atque obſcœna interpretamenta Gomorrhæo exarata calamo, Pontificijs literis paſſim intexis? d qui de Ieſuitarum Aſſeſſoribus inibi tam putidum, maleque olens epiphonema mendaci licentiâ adnectis? qui tam inuerecundè non ſolùm de noſtris humaniorum literarum magiſtris, ſed de vniuerſis

a *In cap 9. Oſee,* verſ. Sicut vuam in deſerto.
b *Ibidem cap.* 8. verſ. Væ eis, quoniam.
c *In Antanatom ſect* 8. *num.* 38. d *Pag.* 53.

vniuerſis quoque noſtræ Religionis viris loqueris? qui quos in tuâ *Anatomia* pygotribas, eos in *Actione Perduellionis* Germanico vocabulo parilis notionis turpiſſimè appellas? qui tam impudicè eodem in libello P. Bernardinum Caſtorium, virum vitæ integerrimæ, ac ſpectatiſſimæ traducis, illumque *Caſtronium infibulatum* nuncupas? Ita nimirum monenti Apoſtolo, a vt inter Chriſtianæ fidei cœtus, atque clientes *fornicatio, turpitudo, ſcurrilitas*, aut quæcunque *immunditia ne nominetur* quidem, tu præclarè obtemperas, atque ad tuæ pudicitiæ nobile documentum, habenas nequiter laxas impudentiæ. Hoc enimuerò tuæ votum caſtitatis, Scioppi, inquinatiſſimum eſt.

VIII. An autem quicquam honeſtius tu pudori conſulis, quum in tuo libello *de Scholarum & ſtudiorum ratione*, vt noſtros Præceptores deſpicatui habeas, tales illos eſſe perfidiosè fabularis, a quos *obſcuro & plebeio natos loco, iſta ſcholaſtici imperij ſpecies, & iuris epheborum natibus reddendi prouincia inflare, & feroces, ſuiq́ ignorantes facere ſolet?* Nempe alios ex tuâ naturâ ac moribus fingis. An continentiæ ancillaris, quum in tuo Hypobolimæo licentiæ Venereæ ita indulges: b *In dimetiendis Priaporum, & Hermarum veretris, quod in quadrando circulo comperiunt. Quos enim viſuros ſe præceperant pulchrè penſilibus peculiatos, & ad exemplum laborioſi illius iuuenis apud Arbitrum, ijs magnam partem minimè lucukentam ſupellectilem eſſe vident?* An modeſtiæ velificas, quum in Ioſephum Scaligerum impurata ſcommata in tuis *Literarijs Paradoxis*, c quæ Mediolani edidiſti, verbis adeò prætextatis iacis, vt hîc recenſeri ſine rubore non poſſint? An caſtimoniæ florem legis, quum Iſaaci Caſauboni cognomentum in *Cazobons* propudioſum

a *Conſult.* 4 *pag.* 109. b *Pag.* 114.
c *Paradox.* 15. *pag.* 77.

pudioſum ex Italicâ linguâ ludibrium ſpurciſſimè vertis tum in tuâ Diſſertatione Rhetoricâ, tum in cæteris tuis libris? An pudicitiæ litas, quum in *Arcanis Societatis, Ardinghelliâ, Appendice* duodecimum Paradoxum tantâ verborum obſcœnitate farcis, atque obruis, vt te impuriſſimi Petronij Arbitri fœdiſſimum ſacricolam prodas, nec tam animam tibi, quàm te animo admodum maculoſo fœtere, vt probè annotauit Forerus[a] antè laudatus, palàm omnibus facias?

IX. Quid quòd hac ipsâ tuâ turpitudine tibi dudum ſolemni, velut compertâ ſyngraphâ, probas, Commentarium illum in Priapea, quem olim elucubrâſti, ac publicâſti, à Ioſepho Scaligero, vel Daniele Heinſio in vitâ de te conſcriptâ, adeò tætrum ſpurcumque meritò fuiſſe reputatum, vt omnium antiquorum hoc in genere improbitatem excedat, nihilque ab hominum memoriâ fœdius ab vllo cinædo in lucem aliquando emiſſum ſit? Ne porrò culpam omnem huiuſce flagitij in Hæreticæ illius procacitatis effrænationem, quâ quondam, in Hæreſi natus, miſerè abripiebaris, transferas; quàm multa poſteà quoque, ex quo Catholico gregi, in ſpeciem ſaltem, es aggregatus, tuæ impudentiæ, ac laſciuiæ monumenta obſcœna, atque infanda, etiam in ſenili iſtâ tuâ ætate, præſertim in tuâ *Relatione Vargianâ*, extare voluiſti? ſcatent ijs vbique tui famoſi Codices, quæ hîc reddere vetat pudor. At turpitudinem omnem ſupergrediuntur, teque totum ex Venere, & luxuriâ conflatum docent, quæ in eâdem Relatione, præcipuè *cap 3 6. 11. 12. 14. 15.* & *46.* è ganeis ac lupanaribus in medium ingenti cum fraude ac pernicie Lectorum profers, non calamo vllo vel ſcripto refellenda, ſed vltricibus tantùm flammis vlulanda, atque expianda.

T X. Ve-

a *In Proteo Gramm cap 3 pag.* 155.

X. Verùm non ſatis ſub Venere, Cupidine, atque Adonide te meruiſſe exiſtimâſti, niſi patrocinium libidinis palàm quoque ſuſciperes. Quid enim? Nónne teipſum, Scioppi, tam apertum impudicitiæ defenſorem, quàm iuratum caſtitatis hoſtem manifeſtò detexiſti, quum Ieſuitas ob propugnatam morum honeſtatem, dum veteres Auctores, qui multâ fœditate turpati ſunt, niſi priùs à cœno atque impuritate putos iuuentuti, quam erudiunt, nequaquam permittunt, & permittendos iure negant, in *Arcanis Societatis*, pag. 142. tam ſcurriliter vituperâſti, eaque propter publicæ rei damno quoque eſſe dementer aſſeuerâſti? quum in id egregium facinus, quo ijdem Ieſuitæ non mediocrem cuſtoditæ pudicitiæ laudem merentur, quam nec ſine probro poſſent negligere, tu impotenter inuectus es? quum refractis omnibus pudoris ac verecundiæ repagulis, eò tuam iſtam obiurgationem collineâſti, vt pudicis adoleſcentibus impudentia ex impuris Scriptoribus propinaretur? Diſcuperes ſcilicet, pro tuo admirabili voto caſtitatis, vt Petronius Arbiter, Catullus, Tibullus, Propertius, ſimileſque libri obſcœnitate famoſi, tenellis pueris, innocentique ætati traderentur in manus, atque è tuo in Priapea Commentario accuratè explicarentur, quò quàm primùm Virgines Muſæ in meretrices, Parnaſſus in lupanar, diſcipuli cuncti in ſcorta verterentur. Quid? ipſemet obſcœnus amorum doctor Ouidius inficiari non potuit, pudicitiam, impudici Poëtæ facibus admotis, abſumi, diſertè ita canens:

Carmina quis potuit tutò legiſſe Tibulli?
Quis potuit lecto durus diſcedere Gallo?

Tu verò Ouidio, Tibullo, & Gallo nequior, omnis impudicitiæ copiam adoleſcentibus, pro ſummo tuo Petronij ac Veneris ſtudio, fieri iubes, ac manifeſtò ſciſcis.

XI. Quam-

XI. Quamobrem quum impudenter impudens. Scioppi, iam veteri perdideris, libidinique tam nauiter, atque improbè operatus ſis, accipe tandem elogium plauſumque digniſſimum, quo tuum Continentiæ votum Eugenius Lauanda non minùs verè, quàm liberaliter ita donat: *a Si iuxta Sapientem, exteriora hominis de interioribus enuntiant; turpiloquia, obſcœna, ſcurriles, blaſphema facetia (& quid non in hoc genere?) quibus non pauca Scioppiana ſcatent, non arguunt Votum Caſtitatis & Continentia, niſi continuo ſacrilegio teneatur; ſed hominem oſtendunt, vt loquitur Clemens Alexandrinus* lib. 2. Pædag. cap. 6. communem, gentilem, indoctum, intemperentem, petulantem. *Adde ex Terentio in* Adelph. *Scioppio familiari*, lenonem, & perniciem communem adoleſcentum.

XII. Iam quum continentiam caſtitatemque tot ac tantis dehoneſtamentis, Scioppi, profligaueris, vt demonſtraui; & nihilominùs de caſtitatis, & continentiæ voto intolerantiſſimè glorieris, vt liquet: nullum ampliùs excordi tuæ ſuperbiæ, Phariſaicæque hypocriſi, quo minùs in confeſſo ſint, diuerticulū, aut profugium relictum eſt.

a *In Gramm. Pædico pag.* 49.

§. II.

Talentum humilitatis Scioppianæ.

I. De tuæ caſtitatis voto, Scioppi, quàm intempeſtiuè, atque improſperè mentio à te iacta ſit, iam periculum, nec ſine ſtomacho, fecimus. Nunc de tuâ humilitate quid comminiſcaris, non de nihilo à te expoſtulo. Quid ais? Inter argumenta, inquis, voluntatis interna in eâdem *Pædiâ, pag.* 24. id quoque retuli: *Votum humilitatis.*

II. Scoppi, quid ex te audio? humilitatem tu appellare audes? Exhorreſco. Crucis ſigno frontem ac pectus munire, metu trepidus, ne-

ceſſe habeo. Quid ita? quod exanimis penè, angar animo valde, ne quis cacodæmon fortè tua præcordia, linguamque ſubierit, ac ſuperbiæ parens, humilitatis præpoſteræ ac faſtoſæ elementa conſutis dolis te doceat, atque adeò non tam mihi cum homine, quàm cum Antitheo, atque Inferno tenebrione in præſens dimicandum ſit. Tune, Scioppi, portentum ſuperbiæ, humilitatis nomen, ne dum vultum, ſuſtinere queas? Quid huc vſque tam ſpiſſâ confertâque diſputatione conati ſumus? quid confecimus? quid à te extorſimus? nónne quàm plurima arrogantiæ atque elationis monſtra, quæ nullam humilitatis particulam, aut veſtigium tibi reliquum faciunt, à te parta, educata, & propagata? Et tu ſuperbiæ mancipium flagitioſiſſimum, de humilitatis virtute ac voto gloriaris? Quo conſilio? quo prouentu? nempe vt quo magis gloriaris, ipſâmet humilitatis gloriatione tanto tumidiorem faſtum oſtendas. Totus iſte de humanarum ac diuinarum literarum *Padiâ* tuus libellus, quid, obſecro, Scioppi, re ipſe eſt, niſi tuæ iactantiæ, ac ſuperbiæ, vt antè quoque monui, theatrum, ſeu affectata tuæ exiſtimationis nundinatio? In hoc miros tibi titulos vindicas, in hoc mira de te narras facinora, in hoc miras de te virtutes memoras, in hoc Principes, Reges, Cæſares, Pontifices in tui laudem mire conſpirantes teſtaris, ad tui prædicationem nominis excitas, ad te vnum, velut quoddam Numen, ferè adorandum euocas: & nihilominus in hoc ipſo eodem libello votum humilitatis profiteri non dubitas? Scioppi, ſi hæc portenta immania non ſunt, quænam, rogo, ſunt? ſi non ſomnia, ſi non intemperiæ, ſi non deliria, quænam tandem alia ſunt?

III. At enim fallor, & nimis te vrgeo, qui humilitatis votum non indefinitè à te conceptum, ſed arctè circumſcriptum, *quantum ad Eccleſiaſticas dignita-*

dignitates & honores attinet, explicatè eâ in *Padiâ* dixiſti. Bene habet, Scioppi. Votum tuum Eccleſiaſticarum dignitatum, ac honorum finibus includis, extra quos plus quàm arroganter ſuperbum, vt rectè Lauanda, *a* te non negas. Scilicet Catholicæ Reipub. plurimum refert, te nobilem Franconem, Patritium Romanum, Equitem S. Petri, Comitem à Clarâ Valle, Cæſareum, & Regium Conſiliarium, Legatum olim Principis Rege Attalo nihilo minoris, Ducem Thebarum à Sultani fratre deſignatum, ne quis fortè generis humilitatem, de quâ Forerus, & alij, tibi impingat, vbiuis gentium audire. Sed næ tu oppidò allucinaris, Scioppi. Quanquam non inuitus tibi, hoc eſt, Grammatico, qui ſuperbiâ turgidus, quæ ſit virtus humilitatis penitùs ignoras, ignoſcendum cenſeo. Cæterùm humilitas non vulpina, ſed genuina grandeſcentes ſpiritus comprimit; tu quotidie magis inflas: proteruitatem magna ſibi pollicentem, ac præcerpentem coërcet; tu immiſſis habenis, ſubditiſque calcaribus magis impellis: ſupercilium frontis demittit; tu attollis: iactantiam oris compeſcit; tu alis, ac foues: faſtidium & contemptum aliorum procul arcet; tu continenter præ te fers. Verè humilis, ſi neſcis, quieto & modeſto ſpiritu, vt ex D. Petro *b* vincit Theologus, præditus eſt. At quod mare te magis irrequietum? quæ frons magis perfricta? Hæc ipſa tua Talenta tam impudenter à te venditata appello. Quod ſi fortè, Grammatice, oculos Theologo non adiecisti, diſce ſaltem ex Tullio *c humilitatem modeſtiâ contineri*, vel certè ex Speuſippo tuo pedicoſo, vt ingerit tibi idem Lauanda, *d* humilitatem opponi ſuperbiæ, *& eſſe facilitatem animæ omnis iracundiæ expertis.*

a *In Gramm. Pædico pag 56.* b 1. *Petri* 3.
c *Lib. 1 de Inuent.* d *Ibid.*

expertis. At quid te inconſideratius? quid amentius? quid furioſius?

IV. Verùm quia S. Thomas quandam humilitatem extrinſecus accidentem, quam ait eſſe pœnalem, agnoſcit, vt quum quis, ne, quod ſpe deuorauerat, potiatur, ab alio deijcitur; vel certè vbi dura neceſſitas hominem abijcit, vt quum ambiti honores ambitioſum fruſtrantur; vnde animus, niſi magnanimitate firmetur, ſtatim fatiſcit, tandemque deſperatus, collum in laqueum penè inſerit; tibi huiuſmodi humilitatem non deeſſe, ſed abundè ſuppetere vltro fateor. Hinc tam effrænis tua obtrectandi libido Regibus, Principibus, Pontificibus, Præſulibus, Dynaſtis, ac Proceribus, vt è tuis Satyris pàret, quos emungere auro, vt optabas, ſcilicet non potuiſti. Hinc tam Vatiniana tua in Ieſuitas odia, quos tuis inſanijs obnoxios nanciſci tibi nempe non licuit. Hinc ſpes tibi omnis efflauit animam, tantumque ad reſtim res non redijt, quòd Catholicam Rempub. totam perturbare nitenti propitius Dei Nuntius interceſſit.

V. Quid hîc mugináris? quid obſtrepis? quid vociferaris? per calumniam te peti, qui explanatè in eâdem tuâ *Padiâ* denuntiâris: *Nec voniſſe te modò nullam vnquam dignitatem neque ambiturum, neque ſuſcepturum, ſed etiam ſedulò feciſſe omnia, ne cuiquam Pontificum, aut Epiſcoporum in mentem venire poſſet, vt te ad dignitates eueherent?* Hoc reor, aſylum eſt, quod tuo voto tuendo inuiolabile arbitrâris. Sed falleris. Id enim tibi aſylum aſylo non eſt, ſed exitio. Qui tandem? Aduerte, Scioppi, animum. In primis non puto cunctos, quibus pectus ſapit, ita fungos à te exiſtimari, vt neſciant, pellaciſſimum eſſe ambiendi genus, vbi minimè te ambire compoſitâ ad gratiam oratione maximè prædicas. Cui enim incompertum eſt, id à faſto-

à faſtoſis ſimulatè negari, quod ſummoperè ab ijſdem expetitur? Quis ignorat, quàm plurimos, qui ſuâ ſorte nequaquam contenti, ſuæ gradus conditionis grandiùs grandire, & ambitioſos grallatores vincere geſtiunt, adumbratæ vrinatores demiſſionis priùs euadere? At tu, quorſum mouebas omnem lapidem, vt videreris, quibuſcunque honoribus Eccleſiaſticis nuntium magnâ animi deſtinatione penitùs remiſiſſe? Nempe tentabundus, num tantò blandiùs eos eblandireris, vel feliciùs expiſcâreris: quod eſt impotentis ambitionis ſignum luculentum. Præterquam quod quid, verſipellis Protee, adamaueris, cui rei inhiaueris, ſat Romæ notuit. Sed incaſſum prenſans, fruſtra ſycophantans, nihilque proficiens, ſpe deceptus, expectatoque bolo circumductus, faceſſere ex Vrbe neceſſe habuiſti, acciditque miſero tibi, vt catè Lauanda notat, a *Quod cani vmbrâ carnis, quam ore gerebat, dum vadaret*, deluſo, *aut vulpi, quum pyrum comeſſe vellet, & non poſſet.* Hinc, quum infeſtus caſus ita tuliſſet, vt quod diſcupiebas anxiè, æruſcare non poſſes, votum eo abſtinendi à te cani cœptum eſt; quod tu quidem humilitatis nuncupas, at ſi abſque fuco & fallaciâ loquereris, meram neceſſitudinem neceſſariò appellares.

VI. Nihilominùs, Scioppi, *feciſti omnia, ne cuiquam Pontificum, aut Epiſcoporum in mentem veniret poſſet, vti te ad dignitates eueherent.* Portentum humilitatis. Quid, rogo, hîc blateras? ſcilicet Pontifices, atque Epiſcopi conſilium de tuo capite infulis thiariſque ornando ſeriò inierant, vimque propemodum tibi obluctanti inferebant, ni maturatâ fugâ auolâſſes. Fabulæ Miſeſiæ. Nihil vnquam hac de re illi cogitârunt, nihil ſomniârunt. Tu verò gloriabundus, vulgò perſuaſum

a *Loc. cit.*

vis, per te ſtetiſſe, quo minùs eueheremis. Quod etiam ſuperbiæ magnæ documentum inſigne eſt. Sed quis, obſecro, eras, Scioppi, aut, vt quicquam periculi ab Eccleſiaſticis muneribus tibi immineret, aut tui honore honeſtandi cura vlla in Pontificum, vel Epiſcoporum animos deſcenderet? homo trioboli, & nullius pretij. Eâdem quoque ratiocinandi lege & concinnitudine, baiuli de triuio, mediaſtini, fœniſeces, lanarij, meſſores, molochinarij, caupones, aquileges, pediſequi, ac reliqua plebes, maximam ſolicitudinem ſibi ſtruent, atque oſtendent, ne fortè Principes, Reges ac Cæſares faciant, vt ipſi in Senatorum, Prætorum, Legatorum, Tribunorum, Prouincialium Præfectorum, aliarumque honeſtatum faſtigia admoueantur. Quo nihil fingi poteſt ineptius, aut amentius.

VII. Sed vide liberalitatem, vel indulgentiam meam, Scioppi. *Sedulò feciſſe te omnia, ne cuiquam Pontificum, aut Epiſcoporum in mentem venire poſſet, vti te ad dignitates eueherent*, apertè teſtificaris. Lubens do, annuo, concedo. At quænam ſint illa omnia, quæ feciſti, operæ pretium eſt quærere. Cedò mihi, quænam ſunt? longum nimis eſſet recenſere ſingula: nonnulla tantùm ad ſpecimen libata ſat erunt. Quid egeris, Scioppi, quid molitus ſis, quid pepereris, reuincunt planiſſimè libri tui famoſi, hic Lydius Lapis, hæ tuæ Hęreſis multiplices Teſſeræ, hæ Verrucæ. Quid opus eſt eaſdem hîc denuò inculcare? Sedem Apoſtolicam Romanam euerberâſti, Summi Pontificis auctoritatem ludibrio habuiſti, totam Chriſti Eccleſiam vulnerâſti, Religioſos Ordines proſcidiſti, Diuos ac Cœlites inceſtâſti, Hæreticorum generalem defenſionem palàm arripuiſti, Hæreticum manifeſtò te profeſſus es, denique cætera, quæ partim enumeraui, partim deinde percurram, flagitia

gitia admiſiſti. Hæc cuncta ſine controuerſiâ, vt perſpectum eſt, feciſti cumulatiſſimè. Et quiſquam Pontificum, aut Epiſcoporum tam palmatem inſaniret inſaniam, vt in cogitationem vllam de honoribus Eccleſiaſticis tibi mandandis incideret? Nemo vnùs poſt homines natos. Quis enim tam vecors, aut tam improbus, qui adeò improbè tum munijs ipſis Eccleſiaſticis, tum populorum ſaluti, tum propriæ conſcientiæ, illorum procuratione tibi commiſsâ, conſultum vellet? Hoc igitur ſenſu, ac notione, tuorum ſcilicet nundinatione ſcelerum *feciſti* tu ſanè omnia *ſedulò, ne cuiquam Pontificum, aut Epiſcoporum in mentem venire poſſet, vti te ad dignitates eueheret.* Effatum profectò quàuis Pythiâ voce certius.

VIII. Subdis porrò, Scioppi, continuò ipſummet *a Pontificem, & præcipuos Cardinalium teſtatures, nullum vnquam ſe verbum nec publicè, nec priuatim vel à te audiuiſſe, vel in libris tuis legiſſe, quod auribus aut gratiæ ipſorum datum videri poſſet.* Iam collaudo ex animo candorem tuum, Scioppi. Nunc tandem ſemel, mendaciorum inſtitor, veritatem tuo ex calamo fluere permiſiſti. Nam qui Epiſcoporum, *Cardinalium,* atque Pontificum decus ac famam probroſis conuicijs dedecorare, vt è tuis virulentis codicillis dilucet, & infrà *b* docebo, per execrandas calumnias annixus es; nihil vtique eorum gratiæ, aut auribus dediſti, ſed totas habenas tuæ obtrectandi libidini effrænatè laxâſti. Quod verò ſtatim pòſt, inibi eundem Pontificem, & primores *Cardinales* teſtes facis, *te non rarò ſic adhibuiſſe, vt culpâ tuâ vſu venire tibi ſentires illud Comici,* Veritas odium parit; *ipſeq́; tua facere poſſis hæc Apoſtoli verba:* Inimicus factus ſum vobis verum dicens.*Gal.*1. Mendacium è tuâ officinâ decumanum eſt. Neque enim veritas, Scioppi, te inuiſum Pontifici,

T 5

a *Loc. cit.* b *Cap.*7.

tifici, ac purpuratis Patribus, reddidit, ſed tua nequitia, tua mentiendi, calumniandique impudentia, tuum ſeditioſum ingenium, tua Hæretici halitus graueolentia, tuorum demum flagitiorum fœculenta ſentina. Hæc nimirum ſunt, quæ tibi inuidiam iure conflant, quæ odium conciliant, quæ exilium indicunt, quæ te nuſpiam diutius conſiſtere patiuntur, quæ non rarò quoque lumbifragio, niſi clam præproperè te ſubduxiſſes, addixerunt. Cæterùm veritas ipſa nullum tibi odium peperit, aut parit, niſi quòd eam tu ipſe priùs, mentiendi artem, vt meis in *Vindicijs* patefeci, a nempe profeſſus, odio habuiſti, atque eliminâſti. Hoc quidem cunctis, qui veritatem amant, te perodioſum meritò efficit, non veritas.

IX. At cui tandem rei, Scioppi, hoc tuæ humilitatis votum à te intempeſtiuè hîc celebratum, vſui eſt, niſi tuæ iactantiæ, ſuperbiæ, atque hypocriſi multò magis amplificandæ, ac demonſtrandæ? Id vnum ego venabar hoc loco potiſſimùm, adeoque voti, teipſo obſecundante, iam compos, ſuper hoc vltra te non obtundam.

a *Cap. 14. §. 6. num.*

§. III.

Talentum Scioppianæ paupertatis.

I. Quum ad Religionis ſtatum, Scioppi, tria Caſtitatis, Obedientiæ, & Paupertatis vota, vt nôſti, omnino requirantur, tu, vt nouam militiæ Chriſtianæ Legionem conſcriberes, Religioſoſque Ordines homo profanus æmulareris, tria quoque vota, ſed planè exotica, Caſtitatis, Humilitatis, ac Paupertatis tibi nuncupanda, aut potiùs comminiſcenda exiſtimâſti. De votis Caſtitatis, atque Humilitatis quàm maximas nugas garriueris, iam exploratum cuique eſt. Quas verò

de

de Paupertatis voto gerras, aut curculiunculos modò tu fabuleris, iuuat, te hîc auſcultare.

II. In eâdem humanarum, & diuinarum literarum *Pædiâ* in tuorum quoque Talentorum ærarium tertio loco, ſi meminiſti. a refers *votum paupertatis quantum ad Regum Principumq́ liberalitatem attinet*: aisque *te vouiſſe, nihil vnquam ab eis nec congiarij, ſiue muneris, aut doni, nec ſtipendij, aut penſionis accepturum, ſed contentum fore fructibus, quos iam habes, quosq́ te ex librorum tuorum editione redacturum confidis*; *complura etiam aureorum millia vltro tibi delata te repudiâſſe.* O apinas! ô liras! ô ineptias!

III. Atqui ego, Scioppi, contendo, totum hoc tuæ paupertatis votum ſolidam, & pergraphicam eſſe ſycophantiam, tuæ arrogantiæ atque hypocriſis manifeſtum auctarium. Quando enim, quæſo, huiuſmodi paupertatis votum, nugonum princeps, tu vouiſti? vbi gentium? ſtatímne, atque Hæreſim olim à te eiuratam ſimulâſti? an multò pòſt? an demum ſenecto iam tuo corpore? quid ais? Principiò ſub ipſam tuam ad Catholicos migrationem, vel exin non diu? At tum ſacrilegij prorſus teneris. Nam quoties tu eiuſmodi voto fœdè illuſiſti? vouiſſe te iactas, *nihil vnquam à Principibus Regibusq́ nec congiarij ſiue muneris aut doni, nec ſtipendij aut penſionis te accepturum.* Quid ſi vinco id à te non ſemel temeratum? Quos teſtes poſcis? dabo vnum inſtar omnium quem? teipſum. Quas tabulas exigis? præſto ſunt locupletiſſimæ. Quænam? tuæ. An non enim in eâdem illâ *Pædiâ* chirographum tuum agnoſcis, vbi te à Regis Hiſpaniæ Miniſtris *pag.* 25. diſertè conquereris, *plus* XIII. *millibus aureorũ fuiſſe fraudatum, tametſi Rex ſe tibi menſtruam octoginta aureorum penſionem conſtituiſſe affirmet?* Hæ menſtruæ penſiones à Rege conſtitutæ,

a *Pag.* 24.

& tibi aliquandiu ſolutæ, quanquam poſteà ſufflaminatæ, quid, rogo, Scioppi ſunt, niſi aduerſa tuo voto nihil penſionis à Regibus accipiendi totidem ſacrilegia? Rurſum in Præfatione tuæ Grammaticæ Philoſophicæ a nónne maximè gloriaris, tibi à Catholico Rege, Ciuitatis Hiſpanæ ius ad capiendum ex Hiſpanicorum Sacerdotiorum fructibus mille aureorum vectigal, Ferdinandi Henricidis, Alcalæi Ducis ope, fuiſſe impetratum? Hoc verò vectigal quàm perſpicuè te, tuumque votum ſacrilegij coarguit? Præterea *Eminentiſſimus Cardinalis Auguſtinus Oregius*, vt ſcribit, teſtaturque Lauanda, b *antehac Summi Pontificis Vrbani* VIII. *Eleemoſynarius* quàm enucleatè *haud ſemel faſſus eſt, ſe in ſuis reſponſis habere, ſat magnam vim pecuniæ, quæ tibi per menſes numeratur? Certum præterea ſibi eſſe, non minorem ab reliquis Italiæ Principibus, nundinatione tuorum meritorum percipere: cui quum quidam indigna remuneratione, erga Summum Pontificem, iniquè à vili homuncione traductum, merita recenſeret, idq; alij conſtantiùs affirmáſſent, hanc quidem ob cauſſam, aiebat, haud contracturum manum Summum Pontificem* c Hæc quoque ſtipendia toties à te accepta, an non multiplicis ſacrilegij te damnant? Quorſum verò, quum congiaria Hiſpanica, aliquando muneris loco data, tibi non perennarent, in Hiſpaniam, vt idem Lauanda a animaduertit, peregrinabundus magnis itineribus, fortaſſe etiam non ſemel, conceſſiſti, niſi vt ijs quoquo modo potireris? quorſum prouocata maledicæ tuæ linguæ vitio eâdem in regione ſuſtuaria, pro tuendâ religione à te exantlata literis prodidiſti, niſi vt exoſſati dorſi bellè compoſitâ fabulâ, & plauſibili Reipub. cauſâ tui oris licentia obtentâ, quæſita dona & ſtrenas à liberali Rege procli-

a *Pag* 151. b *In Gramm. Pædico pag* 51.
c *Ibid. pag.* 51.

procliuiùs eliceres? At iſthæc machinamenta à te adhibita quàm turpe ſacrilegij ſtigma tuo inurunt voto, ac tibi? quàm impudenter complura aureorum millia annua vltro tibi delata, atque à te reiecta mentiris, qui tam queribundum te de menſtruis penſionibus tibi non ſolutis oſtendis, adeoque importunè, atque odioſè Principes, Dynaſtas, alioſque viros graues pecuniæ exprimendæ & corradendæ gratiâ, vt in meis *Vindicijs cap.8.* ex Forero docui, inquietâſti?

IV. Ego verò, inquis, ſacrilegia iſta, quæ oggeris, facilè expungo omnia, ſyncerè dumtaxat cauſſatus, votum huiuſmodi multo ſeriùs, quàm ponis, à me fuiſſe conceptum; ideoque quæcunque munera, congiaria, penſiones, dona, vel ſtipendia anteà à me accepta, religioni iniuria eſſe non potuiſſe. Audio: ſapis, Scioppi, ſapis. Quando ergo tandem in eam voti compedem ſponte te coniecisti? Nempe poſtquam cunctis penſionibus ob tuam nequitiam, quam hactenus hiſce Teſſeris ac Verrucis lineatam intueri licet, præſertim verò ob effrænatam, atque inſaturabilem tuam maledicendi procacitatem, quam paulò pòſt a ſuis coloribus aliquanto accuratiùs adhuc expingam, orbatum te, iamque ære planè dirutum, atque ad incitas redactum vidiſti; vel certè quum *ceſſante offâ, in quibuſdam Germaniæ Monaſterijs dari ſolitâ,* vt ſollerter Lauanda, b *tandem, ne Diætarius pœna obnoxius,* vt l. ſæcularij, ff de iniur. & famoſ. libell. decernitur, *fores, Patauium te contuliſti & medi amentariam exercere cœpiſti* Tum enim, quum Principum, Regumque benignitatem tibi funditus perijſſe, contraque in eorundem Regum, ac Principum odium offenſionemque te irruiſſe ſenſiſti, de vouendâ Paupertate conſilia agitare cœpiſti, atque in eâdem vrbe Pataui anno c.ꞁɔcxxxvi.

a *Cap.5.* b *Loc.cit.*

natum tibi votum in tuæ illius *Pædiæ* cunas quàm molliſſimè condidiſti, Catholicæ Reipublicæ primùm nuntians, quum anteà ne verbo quidem vllum huiuſee rei indicium feciſſes, tuum iſtud *votum paupertatis, quantum ad Regum Principumq; liberalitatem attinet.* Tum primùm quoque eodem anno cIↄIↄCXXVI. editâ tuâ illâ *Pædiâ, voniſſe te nihil vnquam ab eis nec congiarij, ſiue muneris aut doni, nec ſtipendij aut penſionis accepturum* ſomniâſti. Bonum factum, Scioppi. Præclarum artificium. At nimis ſerum, nec ſerium, ſed commentitium. Cæterùm in cenſum huiuſmodi voti paupertatis à neceſſitate imperatæ facilè quoque tecum venient ad mendicitatem detruſi, in ſublicium pontem translati, manum ad ſtipem porrigentes, pannoſi quiq;, non pauci aleatores, manticularij complures, decoctores omnes; vt intelligas, quantum hinc laudis & gloriæ ad te redeat, nemini latêre.

V. Quod portò ſpondes, Scioppi, contentum fore te fructibus, quos iam habes, vix perſuades. Quos enim habes? à quo habes? vnde habes? Num ex tuo, vt vocant, *Comitatu*, qui tibi præter inane nomen ne obolum quidem ſuppeditat? num ex prædijs ac fundis, quibus, ſemper extorris, erraticus, profugus, caruiſti, ac etiamnum cares? num ex aliquâ penſione, quam nonnullus Principum tui commiſeratione tactus, tibi reliquam adhuc facit? At voti, nullius penſionis à Principibus accipiendæ denuò polluti notam ſubibis. Num ex tuorum librorum, vt palàm indicas, editione? ſed niſi aliunde victum nactus eſſes, næ tu fame iam dudum è vitâ exceſſiſſes. Quid enim lucri vnquam quotquot ad id locorum Codices in lucem dediſti, tibi addiderunt? Excute quodcunque tuum rationarium, ne raudusculum quidem. Decem anni ex quo Patauij anno cIↄIↄCXXI. eam fructuum è tuorum publicatione

catione voluminum fiduciam proſcripſiſti, iam abierunt. Num toto hoc decennio nummum vnum, aut aſſem ex illis coëgiſti? Imò tam longinquâ temporis intercapedine quid tandem librorum recèns peruulgâſti? poſt illum annum ↀↀCXXXVI. quòd ſciam, nihil prorſus, & ſi quid emiſiſſes, Mediolanenſibus Bibliopolis curriculò mittendum curâſſes, quemadmodum duo poſtremi tui libelli de *Padiâ* literarum vnus, alterque de ratione ſcholarum eodem anno ↀↀCXXXVI. foràs dati, extemplo ad librarias tabernas Mediolani proſtiterunt. At oppidò ego fallor, qui quæſtum omnem tuis è lucubrationibus tibi inuideo, quum tam multis libellis famoſis aduersùs Ieſuitas conſcriptis, atque in Hæreticorum territorio prelo commiſſis, tam magnam ab ijſdem Hæreticis gratiam inieris, nec leuem pecuniæ vim ſtrenæ nomine forſan etiam abſtuleris. Alioqui ſi tuis à Codicibus porrò emittendis tantùm ſenectutis tuæ ſubſidia adhuc expectas, tuâ de vitâ iam actū eſt. Perijſti funditus. Quum enim ætatem ferè ſeptuageſimam iam ingrediaris, quæ tibi de quæſticulo, aut lucello tuis è libris non edendis, ſed propediem tecum humandis ſpecula ſuperare poteſt?

VI. Quamobrem quum valde metuam, ne tua huiuſmodi fiducia malè tibi vertat, & vota fruſtretur tua, tuque eſuritionis cruciatu omnium maximè cruciabili animam amittere neceſſe habeas (cuius alioqui caput tam feſtiuum, orbique adeò neceſſarium, vnde ſcilicet totius Reipub. Chriſtianæ ſalus pendet, & abſque hoc foret, vtique de totâ Eccleſiâ Catholicâ. Erraui. De totâ Iudæorum *Synagogâ* volui dicere, tum de perditorum quoque hominum colluuione confecta res eſſet) duas ego alias rationes præterea, vtramque commodiſſimam, quibus vitam tueri queas, & ſine vllâ tui voti migrandi religione, vel ſcrupulo vti liceat,

liceat, tibi iam tempori & gratis ſuggero. Prima eſt, vt quoniam in tuis *Arcanis pag.* 48 fateris te *Romæ adoleſcentes ad Ieſuitarum ſcholas deduxiſſe*, eâque re non obſcurè fers, te Pædagogi officio olim functum, ad hanc ipſam Pædagogi artem, quò non tam famæ tuæ, quàm fami, opportunè conſulas, quàm primum redeas. In hac tamen ratione haud modicum periculum eſt (ne quid diſſimulem) ne Cenſores fidei Chriſtianæ ac morum, quibus adoleſcentum honeſtas atque integritas curæ eſt, interceſſuri, tibique eiuſmodi munere interdicturi ſint, valde ſcilicet veriti, & meritò, ne tuis corruptelis, quas habent perſpectas, animos iuuenum tranſuerſos agas, atque in vitia trudas.

VII. Altera ratio eſt, vt quia cunctos Magiſtros, & Pædagogos immortali obſtrinxiſti beneficio, quum in tui *Mercurij bilinguis* præfatione mirificum illud, arcanumque artificium, quo ſinguli eorum duobus aureorum millibus, diſcipulis docendis non ampliùs triginta, in ſingulos annos locupletari poſſint, ijs patefeciſti, vt in meâ *Strigili cap.* 4. explanaui; tu Magiſtris hiſce & Pædagogis mercenarijs vectigal aliquod, tuorum promeritorum nomine, imponas; ex quo complura aureorum millia quotannis nullo negotio colligere, etiamſi exiguam ſinguli penſionem ſoluant, redditus tam magnâ illorum multitudine augente, tibi fas erit. Sed huic quoque rationi, ne fucum facere videar, ſua non deeſt remora. Quippe magiſtri ipſi, ac Pædagogi tuum hoc ingens beneficium nondum experti ſunt, nondum agnoſcunt; quin potiùs maleficium ac ludibrium pernicioſum exiſtimant. Quocirca tuo iſti Mercurio, Grammaticæque Philoſophicæ nullum habent alium honorem, niſi quod vtrumque inuolucris piſcium, ſalis, ac piperis (adeò alioqui chartæ ipſæ per ſe inſulſæ ſunt) deſtinant; ideoque ſi quid

forte

fortè de penſione aut vectigali moueris, equidem non mediocri timore percellor, ne vberem potiùs virgindemiam ab eis collecturus ſis, vt ex meo *Dentiſcalpio, Strigili,* & *Nouaculâ* non ex vano quius coniectet.

VIII. Vtut tamen eſt, Scioppi, illud ego ex tuo iſto paupertatis voto legitimè conficio, magnum te iactantiæ, ſuperbiæ, atque hypocriſis eſſe mancipium, quandoquidem votum, quod vel nunquam concepiſti, flagitiosè venditas; vel ſi concepiſti, tam ſacrilegâ impudentiâ toties contaminâſti, & nihilominùs prædicare fronte nauiter perfrictâ non dubitas; vel ab ineluctabili neceſſitudine in tuâ iſtâ laſſæ ac prope fractæ ſenectutis declinatâ ætate extortum, facinus mendicabulis & verberonibus quibuſcunque commune, velut nouum Orbis miraculum in cœlum vſque ſtolidiſſimè effers,

§. IV.

Talenta infamia ac mortis à Scioppio contempta.

Vbi tria vota Caſtitatis, Humilitatis, & Paupertatis ad nouum tuę Religionis Ordinem, à quo Obedientia omnis, Hæretico Capitoni valde inimica, proſcripta eſt, inſtituendum, commemorâſti, in tuis admirandis Talentis numeras quoque, *Contemptum infamia,* quam apud homines maledicentiſſimos, Ioſephum Scaligerum in primis, pro fidei Catholicæ patrocinio fortiter ſubieris, vt in eâdem literarum *Tadiâ, pag.* 25. apertè iactas.

II. At huiuſmodi quoque gloriatio, mi glorioſe Miles, magnam ſanè partem tralatitia, & falſa eſt. Et quidem quantum ad Scaligerum, vt cæteros prætercam, quum ipſius illa de ſuâ nobilitate Epiſtola ad Douſam, quam tuo in *Hypoboli-*

maa

mea atrociſſimè tu, ac ſi in eâ totam Religionem Chriſtianam funditus ſubruiſſet, concîdis, atque excrucias, nihil contra Catholicæ fidei dogmata, aut Eccleſiæ Chriſti ſcita doceat, ac propterea neque à Sede Apoſtolicâ damnata ſit; falsò omnino, & ſycophantiosè laudem, laureamque propugnatæ Catholicæ Religionis, contemptæque eâ de cauſsâ infamiæ à maledicentiſſimis obtrectatoribus tibi conflatæ aucuparis, vt liquet.

III. Verùm longè aliam infamiam inuſtam tibi, Scioppi, ob fidem Chriſtianam à te non defenſam, ſed tot inſanis doctrinis, alijsque probroſis ſceleribus dedecoratam, vt ijs ex Teſſeris, ac Verrucis teſtatum eſt, à te contemni & vltro concedo, & tu ipſe inficiari non potes. Eſt quidem omnis infamia, quæ à Catholicæ Religionis perduellibus Hæreticis præ veritate fidei ab eorundem calumnijs vindicatâ proficiſcitur, admodum honorifica; neque tam infamia, quàm gloria ſingularis cenſenda eſt. At quam tu infamiam apud probos omnes Catholicos, æquosque rerum æſtimatores, ob tuam nequitiam, ob tuos conſutos dolos, ob tua mendacia, & calumnias, ob tuam inexhauſtam detrahendi libidinem, multoque magis ob tam multa Hæretica tua monſtra, vt infrà *a* ſuo loco planum deſtinato faciam, acceſſiſti; turpiſſima, atque indigniſſima eſt, quam vt impudentiſſimè deſpicis, ita nonniſi ab infami deſpici, ac ſperni poteſt, vt perſpicuum eſt.

IV. Ab infamiæ contemptu, de quâ, quia deinde mihi redibit ſermo, hic ſatis, pergis in eodem *Pædia* libello *pag.* 26. ad *contemptum mortis*, quem auri inſtar Talenti pariter expendis, ac mirè extollis. At quod vnquam, Scioppi, ſpecimen huiuſmodi contemptus à te editum eſt? maximum, inquis, & glorioſiſſimum. Quodnam iſtuc? *b Eccleſia,*

a *Cap.* 19. b *Ibid.*

cleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ defenſio. Túne Eccleſiæ, Sedíque Apoſtolicæ cum tui capitis periculo patrocinatus es? vtique. contra quos autem Aduerſarios adeò manu promptos, vindictæque auidos dimicâſti? a I. *Contra Gallos* I I. *Contra Regem Angliæ.* I I I. *Contra Proteſtantes.* At quid ab his periculi tibi aliquando creatum eſt? quam in difficultatem iſtorum gratiâ vnquam incurriſti? Summam omnino, lethiferam, atque humanitus inexplicabilem. Nugæ,& fabula non credo. Quam fidem, vt tibi habeam, tu ipſe adhibes? Locupletiſſimam. Narras paulò pòſt portentoſam hiſtoriam b *Sicariorum vndecim de familia Oratoris Angli*ci; *qui quum anno* CIↃIↃCXIV. *Madriti te*, Scioppi, *multis vulneribus, vt rebantur, confoſſum pro mortuo relinquerent, ita ſibi per vias rem præclarè geſtam gratulantes audiebantur* Euge! Iam tandem magnum illum Papiſtam iugulauimus? *quâ de re typis deſcriptam extare Narrationem etiam, quæ* Legatus Latro *inſcribitur*, articulatè mones.

V. Nunc enimuerò, Scioppi, vel tu ita cæſus, & confoſſus tuos omnes hoſtes admirabiliter profligâſti. Iam ouationem, ac triumphum in Capitolium adornare meritò potes. Ne cui porrò de incorruptâ rei geſtæ veritate ambigere integrum ſit, tua vnius ingens auctoritas prohibet, abundeque eſt, eam à te compertiſſimæ fidei Hiſtorico, homine valde pudibundo, veritatiſque adeò in cunctis diligente, vt ne ioco quidem mentiri audeas, literis ac memoriæ prodi. Scilicet. Et cui putas tu hæc ſomnia eſſe vendibilia? Scioppi, quis, & qualis ſis, vbicunque diuerſaris, peruulgatum eſt; quod tuum ingenium, qui ſpiritus, qui mores, hic *Lydius Lapis* neminem, qui legat, & rationis potens, ac patiens ſit, ignorare patitur. Menda-

a *Ibid.* b *Pag.*27.

ſiorum faber faberrimus es, clancularius veritatis hoſtis ſæpiſſimè, manifeſtarius frequenter, iuratus nonnunquam, Religioſorum Ordinum infeſtator, Catholicæ fidei corruptor, Eccleſiæ Chriſti contemptor, Diuorum irriſor, hominum integerrimorum obtrectator, innocentiæ denique à tuo ore calamoque nuſpiam tutæ calumniator, vt tum ex tuis famoſis libellis, tum ex hiſce teſſeris ac verrucis palàm eſt. Et quiſquam, cui ſanum ſinciput ſit, tibi adeò inteſtabili mera monſtra de teipſo loquenti, ſine vllo teſte etiam, aſſentiatur? Delira fortè aliqua anus, vel ſtupidus de varonum grege puſio, aut incallidus lixa tuis præſtigijs opportunus, nullus prætereà. Quocirca tota illa tua Narratio, cui à Latrone nomen indidiſti, quia omni fabuloſitate fabuloſior ſit, ne quis iure dubitet, quia tu ipſe ſolus narras, planè facis [illegible] ita hebes, ac ſtipes ſit, vt non cernat, quàm ab omni probabilitate alienum ſit, eiuſmodi facinus, quod comminiſceris, à Sicarijs Hæreticis Madriti tam Catholicâ vrbe, in Regis Hiſpaniarum oculis, in Sacrorum Quæſitorum ſeueriſſimorum conſpectu patratum? id eos in extraneâ regione auſos fuiſſe? eoſdem inclamato *Papiſtæ* iugulati nomine, iactatâque nece, ſeſe auctores ſceleris detegere voluiſſe? impune tam atrox piaculum eſſe dilapſum? nihil pœnarum illos pependiſſe? nihil in eos animaduerſum? neminem ipſorum in quæſtionem datum? nullum de illis iudicium conſtitutum? nullum raptum in ius ad Prætorem? At delictum in latebris commiſſum procul ab arbitris, nullo teſte reuinci, nullo indicari, aut confirmari potuit. Sed mentiris prodigialiter, mendaciumque tuum tuipſe Scioppi, apertè refellis, dum ſcribis ac refers, illos ſicarios vndecim *per vias rem præclarè geſtam ſibi gratulantes auditos:* Euge! Iam tandem magnum illum Papiſtam iugulauimus. Audin'? editæ voce

exulta-

exultabundæ, non ab vno, ſed ab vndecim ſicarijs, vel ſaltem ab eorum compluribus, haud exiguum clamorem dabant, reſonabant, audiebantur. Vbi? non in aliquo angulo. Sed in viâ; neque in vnâ viâ, ſed in pluribus. *Per vias,* fateris tu ipſemet, *rem præclarè geſtam gratulantes ſibi, audiebantur.* A quibus audiebantur? num à veſpertilionibus tantùm? à felibus dumtaxat? à canibus ſolùm? Æſopei Logi. Mitte iſtos. Audiebantur profectò à viris, à fœminis, ab adoleſcentibus, à puellis, in compitis, in vicis, in plateis; & capitales Triumviri nullum illius ſceleris veſtigium odorari, nullam anſam, fibram nullam ad citandos reos ſonteſque plectendos reperire potuerunt? Apage cum his tam inficetis apologis.

VI. Verùm quia hoc fabulare tuum commentum de vulneribus Madriti tibi inflictis paulò obſcurius eſt, quàm vt commodè ab ignaris tuarum ſcelerum intelligi queat, appoſito Eugenij Lavandæ *a* Commentario hic tempeſtiuè illuſtrandum reor. à quo monumentis mandatum video: non deeſſe, *qui excogitatum à te flagrione dicam, an flagratore? hunc dolum affirment, vt mercede conductores, à quibus, ex compoſito obuiam factus,* horâ & *loco condictu, ſponte vapulares, ictibus quidem ſtreperis, ſed dolore caſſu; quum tu intereà, tanquam inter cruciatus, eiulatus ederes, totius viciniæ concurſu, & commiſeratione vix ſedatos,* dilapſis interim qui cecidiſſent; *ſed & humi prouolutus, & coſtæ tibi fractæ cauſſatus, erigi te. & in geſtatoriam ſellam reclinari es paſſus, donec circumſtantiũ quidam ſpem feciſſent, vbi Regi Catholico innotuiſſet tanta patientiæ fortitudo, nihil non gratiæ & muneru inter honoratiſſimos additurum. Per*[illegible] *cognitâ impoſturâ, interceſſere Miniſtri Regij, ex eſu prudentes improbitatis Scioppianæ; itaque factum, ut non aureo vnguento vibices & liuores obducerentur,*

ſed

a In Gramm. Pædic. pag. 55.

ſed pellibus dumtaxat ouium recentibus pſora & ſcabie antiqua obtegeretur. Atque hoc mortis à te contemptæ argumentum palmare eſt. Fallor. Ridicularium & ridendum. Cætera, quæ de eodem mortis contemptu *pag. 26.* tuæ Pædiæ canis, quia ſpongiâ & peniculo ab eodem Lauanda probè deleta, nec otium mihi, ea denuò expungere lubens prætereo.

VII. Iam quum geminum iſtud, Scioppi, Talentum infamiæ, ac mortis contemptæ, non pro fide Catholicâ, vel Sede Apoſtolicâ à te cuſum, ſignatumque, ſed coloratum dumtaxat, fictum, atque oſtentationi paratum ſit; quid tandem id, rogo, quid reapſe eſt, niſi tuæ arrogantiæ, tuæ ſuperbiæ, tuæ hypocriſis fœnus, vſura, kalendarium?

§ V.

Alia Scioppij Talenta expenſa.

I. Explicatis tuæ voluntatis, Scioppi, prioris nempe tui Talenti, argumentis internis, votis ſcilicet caſtitatis, humilitatis, ac paupertatis, contemptu infamiæ & mortis, quæ ego figurâ vſus, Talenta quoque meritò appellaui, nomenque totius Talenti cum partibus iure communicaui; in eâdem literarum *Pædiâ, pag* 28. ad poſterioris tui Talenti, Facultatis nimirum argumenta interna tranſis, quæ ego eodem conſilio ac ratione Talenta itidem nuncupabo.

II. Quid porrò omnium primùm tu memoras? Generatim *ſcientiam rerum diuinarum*, cuius mox cauſſam affers; I. *Voluntatem, ſeu obleƈtationem in lege Domini.* II. *Vacuitatem à negotijs, ſiue vitam quietam, nec multis actibus, aut negotijs impeditam.* III. *Abſtinentiam à ſuauibus, & iucundis.*

III. Hîc quò me vertam, Scioppi, vt verum fatear, penè neſcio, animi anceps valde, rideam magis, an indigner, quòd Lectoribus rurſum tot nugamenta, tot ſomnia, tot deliria obtrudas. De

abſti-

abſtinentiâ à ſuauibus, & iucundis, quæ, & qualis, quàm falſa, quàm fucata, vel coacta tibi in vſu ſit, iam anteà *a cap.2. verſ.*18. ſatis docui, neque alio addidamento hîc opus eſt. De tuâ rerum diuinarum ſcientiâ infrà ſuo locn *b* periculum accuratè faciam. Nunc tuam *oblectationem in lege Domini* ad calculos voco. Ad calculos aio, an ad crucem? Quæ enim tibi lex Domini, quæ Numinis reuerentia, qui Dei Sanctiones nihili pendis? qui Chriſti ſponſam Eccleſiam nauci habes? qui tabulas, iuſſa, & ſcita Pontificum deſpicis? qui à Catholicâ Religione tam multis Hæreticæ amentiæ vulgatis Teſſeris, degenerâſti? qui, eiuſdem inſaniæ tot Verrucis extuberantibus, ab omni honeſtate deſciuiſti? qui tam ſcurriles facetias coagmentas, tam turpes fabulas glutinas, tam obſcœnâ loquacitate, vt iam ſuprà *c* vidimus, vt ex Foreti libris patet, hircum oles? Quo pacto igitur lex Domini voluptati tibi eſſe queat, Scioppi, qui eam tot nominibus ac modis ſine modo ludificas, ſpernis, turpas, elidis, obteris? Aliam omnino legem non Domini, ſed tui oris, & calami volebas, opinor, innuere, aut certè res ipſa hanc tibi in mentem reuocabat. Nam quũ obtrectationibus, mendacijs, atque calumnijs iam dudum, vt tam ex tuis propudioſis Codicibus, quàm meo iſto ex *Lydio Lapide*, tum ex meis *Vindicijs*, perſpicuũ eſt, & paulo infrà *d* etiam curatiùs euincam, coalueris, profectò obtrectandi, mentiendi, calumniandíque legem tibi indixiſti, quâ ſcilicet dies noctesq; plurimum oblectaris, quod nemo, tuorũ morum probè gnarus, iure neganerit. Hæc enim lex tibi in ore, in linguâ, in calamo, in libris, in familiari ſermone planè ſolemnis, lex maledicendi, lex mentiendi, lex calumniandi: lex autem Domini omnino extranea, reiecta, expulſa. Neq; hæc ſanè te oblectat, ſed cruciat.

IV. At

a *Part.3.* b *Cap.7.* c *Part.3. cap.3. §.1.* d *Cap.6.*

IV. At negas tu præfractè; & vacuitate à negotijs, & vitâ quietâ bene beatèque te agere gloriaris. Sed cui, Scioppi, hos fucos vendis? Tune quiete, tu pace, tu tranquillitate fruaris? Qui tandem, quum in Aulis Principum tamdiu paraſitatus ſis? an moniti tuorum Stoicorum, qui pacatam vitam in Dynaſtarum Aulis inueniri negant, oblitus es? an tibi, quod Ieſuitis conſcientiæ Principum moderatoribus vitio vertis, tam cito excidit? an non ijs Aulas, quanquam has nonniſi ſui muneris fungendi gratiâ adeant, velut Religioſæ diſciplinæ ac ſpiritûs immanes ſcopulos exprobras? Quid te tuos in laqueos adeò turpiter induis? num tu ſolus ita ex omni parte beatus es, vt in irrequietis Procerum non tam Aulis, quàm Euripis in vtrumque conquieſcas oculum, & quod ne Religioſis quidem viris conceſſum eſt, Alcedonia offendas? num ita ab omni mortalitate abiunctus es, vt Palatinæ ædes, quæ pacem viris quoque Deo penitùs deuotis inuident, auferuntque, tibi Macarij, aut Pachomij ſolitudinem, immotæ ac perennis tranquillitatis domicilium præſtent? Fallor, iocor, rideo. Túne enim, vt te Lauandæ verbis a aggrediar, túne *in tot Aulis* ſycophantando *tot annis ſpiritum hauſeris? tu vitam quietam egeris, aut etiamnum agas*, qui inquies maximè, tot alios inquietas? tu vitam quietam? *qui exterris, vagabundus, fugitiuus, velut alter Cain, vbique Nemeſin improbitatis opperiris, & ne ſomnum quidem extra formidinem capeſſis? Qui Ieſuitas obiecto exemplo Petri Apoſtoli calumniatus es, hunc ſemel in Aula fuiſſe, & ter Chriſtum abnegâſſe? Quum ergo tu in tot Principum Aulis verſatus, quadras præterea linxeris, quoties fidem humanam diuinamq; cum Macchiauello maculâſti? quoties ex Infamis Illius Politicæ diſciplinâ Atheiſmum affricuiſti?* Et vitam quietam tu viuas, Scioppi?

a *In Gramm. Padic. pag. 66.*

cioppi? ſcilicet vt omnes alios inquietos facias, uod iam ipſos triginta annos,& ampliùs opero- & continenter agis, exemploque Reipub. Ve- etæ euertendæ, quod infra exponam, *a* præuali- è confirmas.

V. Cauſſas ſcientiæ rerum diuinarum, quas ad *æ Facultatis* argumenta probanda deprompſiſti, alatitias, caſſas, & nullas oſtendi. Age nunc, ef- ſta eiuſmodi cauſſarum, quæ profers, ſedulò ex- endamus. Quas tu fabas, aut fabellas cudis? uam primò pangis? *b Sermones extemporales de re- u diuinis, quos ex te audiunt, quibuſcunque tecum dere ſermones libet.* Salue Anachoretarum cory- hæe, qui pectus, cor, linguam, os, aures, oculos- ue diuinis rebus adeò inundatos geris, vt abdita uæque cœleſtium incolarum ſenſa in numerato abeas. Verùm ego iſthæc explorare peniſſimè m occiperem, niſi me idem Lauanda bellè præ- erteret. Is verò parum tibi propitius, ægrè ad- odum palpum ſibi obtrudi patitur, ſermonesque e rebus diuinis extemporales à te haberi perne- at. *Quis* enim, inquit, *c credat? ſcurriles facetiæ, belli famóſi, turpiloquia tua longè alia ſuadent. Quomodo enim tam fœdum os, mendacijs contumelio- , & blaſphemiis aſſiduè ſpumans, verbum pium & dificationis doctrinam eructet? nam quod ſacræ Scri- uræ ſententias perperam volutes, in hoc quidem nihil ffers ab Hæreticis, Politicis impijs & Atheis; ſed ne Cacodæmone quidem vafro & doloſo; hoc tamen etiam o es deterior, quod ſæpe pluſquam ſceleratè ludis in cris verbis, vt te vehementer pudere oporteat, reue- ntiâ ſacrorum Diabolo inferiorem eſſe. Quanta de- um pietate & ſermonis caſtitate ſerere colloquia ſoli- s ſis, teſtes ſunt, vt de cæteris taceam, Libraria in be Taberna, illa præſertim, cui antehac* Signum Solis *proſtabat.*

a *Part.3.cap 7* b *In Pædiâ literar.pag.29.*
c *Loc.cit. pag.68.*

proſtabat. In his ſanè tanquam in Scioppianâ Stoâ plu-rimi amici ex laſciuo,& fæculento ore tuo exceperun-qua ſi cupu, tua fama dabuntur. Hactenus eruditiſ-ſimus Lauanda omnino ex tripode, cui verbu-addere religio planè eſt.

VI. Quid exinde effectus, Scioppi, tuâ ex ſcien-tiâ rerum diuinarum expreſſum narras? *a Libro magno numero plenos nouorum & veterum.* At eg-magnam tuorum librorũ partem non eſſe libros ſed libellos, & quidem exiles, pauciſſimarumqu-plagularum, vt non tam libelli, quàm folia merit-appellandi ſint, tum ex operoſis nugis, apinis, ſom-nijsque omnes conflatos in meâ *Nouaculâ, cap. 26* ex profeſſo demonſtraui. Præterquam quod no-quàm multa, ſed quam bene elucubratus ſis, penſi-culatè trutinandum. At ſi ex cunctis tuis Codici-bus, ineptiarum bullas, nugamentorum furfure-mendaciorum ſcaturigines, calumniarum peren-nitates, fraudium decipula, imperitiæ ſtrumas, ar-rogantiæ folliculos, ſimulationis laruas, iactantiæ flabella, maledicentiæ dentes, inſanæ doctrin-monſtra, & cætera alia id genus exemeris, qui-tandem, rogo, ſuperabit, quid? vix ad tenuis libell-breuiarium conficiendum, quod facilè, cui pericu-lum facere adlubeſcet, de paucis ſaltem, depre-hendet. Quare quod ad rerum humanarum tuan-ſcientiam celebrandam in eâdem literarum *Padia pag 29.* libros multò plurimos Politicos, Ethicos Logicos, Rhetoricos, Genealogicos, Criticos, & Grammaticos à te editos teſtaris, aquam tu cribr-perridiculè hauris, nec tam tuæ ſcientiæ, quàn-ignorantiæ documenta ſollerti Lectori præbes, v-infrà *b* palàm oſtendam.

VII. Quid præterea, Scioppi, eſt, quod tui no-minis laudi amplificandæ poſſit conducere? *Fe-dus Catholicum,* inquis, *c in Germania, cuius primum*

a *In Padia liter pag 29.* *Aucto-*
b *Part. 3. cap. 7.* c *In Padia liter. pag. 26.*

Auctorem, & Actorem fuiſſe Scioppium, literis ipſius [C]*æſaris manu conſcriptis, & Treuirenſis Electoris teſti*[m]*onio doceri poteſt.* Iam tandem aliquid, quod ſine [o]ſſentatione gloriæ commendari poteſt, attuliſti. [E]go quoque, ſi tibi læua mens non fuit, laudo. [V]erùm huic laudationi ſtatim intercedit Lauan[d]a, *a* inopinâ te quæſtione grauiter fatigans, cur [p]oſteà præclaro eiuſmodi conſilio te abruperis? [c]ur contraria partium ſtudia foueris? cur nulli fi[d]elem, omnium deſertorem, animo verſipellem, [r]eligionis perduellem te detexeris? Num enim [q]uemquam clam eſſe putas, quàm vafer ſis, quàm [v]ariæ fidei, quàm tumultuoſi ingenij; nunquam [t]ibi conſtans, modò aiens, modò negans, in omnes [h]oras alius atque alius tot nomina, & cognomina [m]entiẽs, quot chamæleon colores? Vincunt id pla[n]iſſimè tua famoſa volumina, quà iam proſcripta, [q]uà deinceps proſcribenda. *Quod autem gloriaris,* [ſ]ubdit idem Lauanda, *b te à Comite Tillio poculo au*[r]*eo donatum, cui inſcriptum fuerit, te fœderis illius* [p]*rimum fuiſſe auctorem* (vt in eâdem tuâ *Padia* [p]*ag* 27. Thraſoni geminus prædicas) *non intelligis* [ſ]*ignificare Tillium, te in Principum conuiuijs pocilla*[t]*orem, ſingulis adulationum & mendaciorum pocula* [m]*iſcuiſſe, ac demum Vulcani inſtar, qui & ipſe menſis* [D]*eorum inſeruiuiſſe, & claudo pede riſum mouiſſe fin*[g]*itur, te quoque, ſed claudâ, & diſtortâ mente, poſt po*[c]*ula, armorum fabrum, diſcordiarum architectum ex*[t]*itiſſe; ſed riſum paucorum, in multorum planctus ver*[ſ]*ſe.* Quo autem nomine, Scioppi, quo iure Ca[t]holici laudem fœderis tibi primùm aſſerendam [o]mnias? quis Germanicorum tumultuum (vt re[c]tè dicam tibi Foterus noſter ſcribit) auctor potiſ[ſi]mus fuit, niſi tu, & Hæreſis tua, quæ te genuit? [T]u, qui claſſicum belli ſacri dudum ceciniſti?

a *In Gramm. Pædic pag* 58. b *Ibid.*

b *In Appendice Protel, pag.* 471.

Tu, qui Heldum rediuiuum ſæpius in theatrum produxiſti? Tu, qui in tuo Eccleſiaſtico, Carolo Quinto Imperatori octodecim grauiſſima errata ex modicâ fide de Dei auxilio profecta exprobrâſti? Tu, qui Cæſaris, & aliorum Principum Conſiliarios mollibus ſuis Conſilijs Hæreſim fouentes in malam maximam crucem faceſſere iuſſiſti? Aliam igitur laureolam quærito: nam in hoc muſtaceo quam aucuparis, iam tibi penitùs exaruit.

VIII. Quid poſtremò, Scioppi, reſtat, quo tibi ſingulariter placeas? *Sacra*, ais, a *in Mahometanos expeditio, in quam Scioppio agente complures Principes ac Reſpublicæ tantum opis collaturos ſe ſpoponderunt, quantum ſi ipſi ſatis putarent, ad rem ex ingenti totius Chriſtianitatis vſu gerendam nihil præterea requirendum foret.* Hic etiam panegyricum, quo egregiam iſtam operam à te nauatam in cœlum ferrem, iam ego adornabam, quum hanc partem officij Eugenius Lauanda pulchrè ita præcepit. b *Scilicet tum Aſia*, quum de tuâ hac expeditione inaudijt, *trepidauit, Europa conuulſa, & Africa penè ad Antipodas conuerſa eſt, quando etiam Scioppio agente piſces ex Ponto Euxino, & coturnices ex Epidauro in Siciliam migrarunt: Tum Græciam ſibi deſignauit nouus hic verè Balduinus, & Ducatum ſuo nomini deſpondit, iam titulum Ducis Athenarum, vel, vt aliqui dicunt, Thebarum vſurpare gaudens. Hoc nempe fine tantum lapidem mouere niſus eſt Scioppius. & cui Europa non ſe credidit, is oculos Aſiæ adiecit. neque hoc erat contra votum Humilitatis, & Paupertatis; quia tantùm in Europa, atque adeò inter Chriſtianos ſe illo obſtrinxit, non etiam inter Turcas & Aſianos; ideò libenter Cardinalatum in Eccleſia Romana cum purpura inter Baſſas permutabit Princeps ſeu Thebarum, ſeu Athenarum, Præfectus totius Græciæ mox futurus, & nouus Baſſa Scioppius, non tantum vulta*

a *In Pædia liter. pag. 27.* b *In Gramm. Pædic pag. 5*

ultu, ſed etiam ingenio commendatus. Qui enim Macchiauellum adeò ſtrenuè propugnârat, dubio procul in Alchorano illuſtrando, atque adeò in Turcico imperio cum ſecta promouendo, non eſt ſegnior futurus. Adhac Claraualli ſua Achor, cuius Comitem ſe ſcribit, vicinior eſſet, ſi in Turciam ſe conferret, atque exinde non paruam vim auri quotannis conficere poſſet ad medendum mendicitati tua. Hucuſque Lauanda ... atè, ac lepidè.

IX. Recenſui ad id locorum, Scioppi, Talenta, & Argumenta, quæ in tuâ literarum *Padia* ad tuam voluntatem, & Facultatem bene de Eccleſia ac Republicâ Chriſtianâ merendi in maius celebrandas enumerâſti; etſi ego Talenti nomen, vt iam monui, non tantùm voluntati, & Facultati, ut tu, ſed votis quoque, & cæteris prærogatiuis, ut phaleris à te venditatis, ſeu per metonymiam, ſeu per catachreſim attribui. Verùm quàm ludicra, quàm commentitia, quàm falſa hæc tua Talenta ſint, quàm inania tuæ gloriationis crepitacula, quàm ridicula tuæ iactantiæ muſcaria, ſatis hîc dictum habeo, ſapienterque Lauanda a toties laudatus ſurrectas nimis tuas iſtas bene merendi de Eccleſiâ, & Republicâ Chriſtianâ ambitioſas criſtas decutit, præciditque diſertè animaduertens, huiuſmodi tuâ voluntate & Facultate nequaquam te è grege ſutorum, ſartorum, reſtionum, aliorumque id genus opificum eximi, qui etiam, pro ſuis quiſque viribus, bene de Eccleſiâ, è Republicâ Chriſtianâ mereri & voluntate, & operis ipſis ſtudent, vel ſi laniones ſint, lictores, aut carnifices, vel ſi quid etiam vilius iſtis.

X. Quid ſi ego, Scioppi, complura alterius generis Talenta verè tua, germana prorſus ac genuina, quæ tu ipſe oſcitanter tranſiuiſti, quanquam ... otiari minimè ſiuiſti, tibi in præſentiâ, vt te

a *In Gramm Padie. pag.* 68.

inexpectato beneficio mihi deuinciam, patefacio. Nihil te moror. Age. Quam virtutem, quod officium exiſtimas, Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, impactis perfidiæ cornibus labefactare? Tuum, Scioppi, Talentum eſt. Quam prærogatiuam, maledicam linguam, & calamum in probos cuiuſque Ordinis viros, ſacros, & profanos infigere? Tuum omnino Talentum. Quod facinus, ſerere concordes inter Religioſos cœtus, diſcordias? Tuum vtique Talentum. Quam præſtantiam: Religioſam familiam à Pontificibus Maximis, Generaliqu Concilio probatam, atque laudatam probris onerare? Tuum ſine dubio Talentum. Quæ animi ornamenta, impiam Macchiauelli doctrinam tueri, incautisque hauriendam propinare; libros à Sede Apoſtolicâ damnatos recudere; ſacras literas corrumpere; Catholicos Doctores mutilare, fraudulenterque ad teſtimonium citare; mentiendi & calumniandi artem perpetuò exercere; vniuerſæ Eccleſiæ ſuffragia nihili ducere; Sanctos cœli accolas deniq; ludibrio habere? Talenta profectò Scioppiana, hoc eſt, tua; tibi non ſanè à Christo Domino, ſed à Cacodæmone ipſo ad negotiandum credita: Talenta dęmonica planè, Talenta Tartarea, Talenta omni dirarum imprecatione meritò defigenda.

XI. Nihilominùs ex illis ipſis Talentis, quæ per ſomnium vidiſti, Scioppi, ac tibi fruſtra vindicaſti, enormis tua ſuperbia, atque hypocriſis adeò perſpicuè lucet, vt oculis planè ac manibus teneatur. Quæ enim maior ſuperbia, quàm tua vota continentię, humilitatis, & paupertatis inſolenter prædicare? quàm infamiæ, mortisque contemptum, Religionis Catholicæ ſtudio, oſtentare? quàm ſcientiam rerum humanarũ, ac diuinarum venditare? quàm librorum multitudinem, oblectationem in lege Domini, diurnam nocturnamque ſacrę Scripturę Lectionem, vacuitatem à negotijs abſtinen-

bſtinentiam à ſuauibus, ſermones extemporales
le rebus diuinis, vſum rerum & hominum, fœdus
Catholicum in Germaniâ, ſacram demum in Ma-
hometanos expeditionem ſublatè iactare? Hæc
cuncta flagitia à te ſuſcepta, & tua literarum *Pædia*
fidem facit, & ſuprà iam docui. Rurſum quæ im-
pudentior hypocriſis, quàm hæc eadem tot ac tan-
ta virtutum ac diſciplinarum decora tibi, qui ijs
omnibus cares, impotenter aſſerere? quàm cun-
ctis tuis famoſis Codicibus aduersùs Societatem
noſtram emiſſis, tamq; infandis calumnijs eidem
inſtructis præcipuū communis boni, maximè au-
tem eiuſdem Societatis iuuandæ, inſtaurandæque
ſtudium prętexere? quo etiam refers *Examen diſci-
plinæ Scholaſticæ Societatis Ieſu tam morum, quàm di-
uinarum, & humanarum literarum ratione,* quem li-
brum à te conſcriptū, in eâdem tuâ *Pædia, pag.* 18.
apertè fers. Et tamen ex Foreri Apologeticis, atque
ex meis *Vindicijs*, tum ex hoc *Lydio Lapide*, planiſſi-
mè conſtat, efferatū Societatis noſtræ hoſtem, at-
que inſectatorē te eſſe, nec non immania in Rem-
pub. Chriſtianam detrimenta iam intuliſſe, & por-
rò inferre. Quàm inexplicabilia tua in Eccleſiam
Catholicā promerita inflatis buccis crepare; nunc
te in Præfatione fragmenti Pædagogiæ Regiæ ef-
ferendo, quòd *plus quàm dimidiam vitæ partem in
errantiū ad viam veritatis reductione contriueris.* Iam
in tuo *Hypobolimæo, pag.* 363. hæc literis de te conſi-
gnando: *Quem tot omnium Ordinum & nationū viri
boni quum amant ipſi, tum, vt ab alijs amer, elaborant.
Ac ne de Italis, & Germanis meis quemquam appellem,
non mihi trium Gallicæ nationis heroū & Cardinalium
Illuſtriſſimorum Giuiy, Perionij, & Seraphini tam præ-
clara de me iudicia, & perhibita virtuti meritisq; meis
apud Summos Principes teſtimonia, meritò ſpem opti-
mam de cæterorum in primis Gallorum hominū iudicio
afferant?* modò in tuâ literarum *Pædia, pag.* 25. è Re-

gijs tabulis narrando *menſtruam octoginta aureorum penſionem tibi ob magna erga Religionem Catholicam promerita, vtq; porrò etiam vtilem Eccleſiæ operam nauare poſſis*, ab Hiſpaniarum Rege; vt antè quoque memoraui, *eſſe conſtitutam?* At quæ tua magna erga Religionem Catholicam merita reuera ſint, abundè, Scioppi, hæ tuæ Hæreſis tam multæ Teſſeræ, ac Verrucæ explicant.

XII. Sed audio prætereà, neque dubijs nuntijs intellexi, te etiamnum ſacroſancta Myſteria ſæpenumero obire, cœleſtique Menſæ identidem accumbere. Hæc nimirum vna tuæ hypocriſi coronis, quò eſſet ſumma, Scioppi, deerat, vt puriſſimum Ieſu Chriſti Corpus, quoque ore animoque tot ſceleribus, quot hoc in Lapide perſtricta cernis, contaminato, minimeque expiato acciperes, ſacrilegâque labe pollueres. Quaſi verò Sagæ etiam, Lamiæ, Venefici, ac Magi bipedum tæterrimi, diuinam hoſtiam in ſingulas ferè hebdomadas, aut crebriùs etiam, ad ſua nefaria facinora tegenda, artemque Cacodæmonis diſſimulandam, non libent, vnaque inceſtent. Quaſi verò Melanchthonis olim aſſecla, noſtros inter tirones, quo totam noſtram Societatem, Chriſtique Eccleſiam Hæreſi imbueret, ac perderet, cooptari ſe, vt ſuprà *part. 2. cap. 1.* iam expoſui, non curauerit, nihiloque rariùs, quàm tu diuinum vitæ Epulum ad certum animæ immortalis interitum liguriuerit. Quaſi verò plerique etiam Catholicorum improbiſſimi in cœleſtis Agni dapes, ad ſuam infucandam nequitiam, inquinatâ conſcientiâ non inuolent, ac ruant. Nihil igitur, Scioppi, tua iſta diuinæ Communionis frequentia tibi prodeſt, ſed multò magis tuam Hypocriſim prodit.

XIII. Verùm ſicut ex hac tuorum Talentorum ventoſâ prædicatione tua hypocriſis magis perlucet, vt oſtendi; ita planè tua hæc ipſa hypo-

criſis ingens certa, ac monſtroſa tuæ Hæreſis Verruca eſt, quam vnam hic quæro. Legiſti, opinor, apud Salomonem, quantum vaſtitatis, paruulæ vulpes vineis importent. *Capite*, inquit, *a nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Diſce nunc huiuſmodi vulpes eſſe Hypocritas Hæreticos, & ſi mihi credis, accede D. Bernardo, qui arcanum hunc nucleum præclarè ſic enucleat. *c Ecce ego ad vulpes iſtas. Ipſa ſunt, quæ prætergrediuntur viam, & vindemiant vineam. Non ſunt contenta deſerere viam, niſi & deſertare vineam poſſint, addentes prævaricationem. Non ſufficit Hæreticos eſſe, niſi & hypocritæ ſint, vt ſit ſupra modum peccans peccatum. An non tibi vtraque res impleta videtur, vbi & fide plebs, & plebibus Sacerdotes deprædati inueniuntur. Quinam iſti prædones? Hi oues ſunt habitu* (audi Scioppi, & aufer, quod tuum eſt) *aſtu vulpes, actu, & crudelitate lupi Hi ſunt, qui boni videri, non eſſe; mali non videri, ſed eſſe volunt. Mali ſunt, & boni videri volunt, vt ſoli ſint mali: mali videri timent, ne parum ſint mali. Etenim minùs ſemper malitia palàm nocuit, nec vnquam bonus, niſi boni ſimulatione deceptus eſt. Ita ergò in malum bonorum, boni apparere ſtudent: mali nolunt, vt plus liceat malignari Neque enim apud eos eſt virtutes colere, ſed vitia colorare, quodam quaſi virtutum minio. Denique ſuperſtitionis impietatem nomine religionis intitulant; innocentiam definiunt tantùm in aperto non lædere, innocentiæ proinde ſolum ſibi vendicantes colorem.* At diuinus hic Myſtagogus non poterat, Scioppi, melioribus coloribus Hæreticam tuam hypocriſim in anteceſſum exprimere, quam & ego quum expingendam ſumpſerim, voti iam compos, manum tollo de tabulâ.

a *Cant. 2.* b *Serm. 66. in Cant.*

Cap. IV.

Verruca quarta Sciopplanæ Hæreſis, Principum literæ commendatitiæ, inſigniumque virorum teſtimonia inſolenter iactata.

I. QVum tuam humanarum ac diuinarum literarum *Padiam* vſque adhuc non indiligenter excuſſerim; patere, quæſo, Scioppi, aliam modò, quæ ſupereſt, tuam ſycophantiam longè maximam me patefacere. Nam quum in eiuſdem *Padiæ* mediam veluti aciem quicquid ad tui ingenij, eruditionis, prudentiæ, doctrinæ, pietatis, ac virtutis fauorabilem exiſtimationem colligendam, amplificandamque excogitare potuiſti, conieciſſes, vt ex eâ liquet, & iam commemoraui; illam nihilominus haud ſatis firmam, ſi ijs dumtaxat elogijs, quæ tu ipſe ſolus de te ſcripſiſſes, tuoq; vnius teſtimonio muniuiſſes, eandem armâſſes, meritò ratus, frontem quoque ac tergum eiuſdem libelli, externis copijs vallanda tibi cenſuiſti.

II. At quibus tandem copijs, atque præſidijs? Commendatitijs variorum Principum literis, quibus tu ornatus, nonnihil nominis per Europam, nondum de callidâ circumuentione ſuſpectus, corraſiſti. Ac à fronte quidem locas I. *Breue Apoſtolicum Vrbani* VIII *ad Ludouicum Francorum Regem*. II. *Franciſci Barberini* tabulas ad omnes, quibus Româ amotus, & profugus accidiſſes. III. *Ferdinandi Magni Etruriæ Ducis* ad ſuæ ditionis homines. IV. *Chriſtiana Lotharingiæ Magna item Ducis ad Claudiam Filiam Archiducem*. V. *Caroli primi Ducis Mantuæ* ad omnes, qui te peregrinabundum ſeu vagabundum offendiſſent, pittacia. Atque hiſce propugnaculis *Padiæ* illius capiti proſpicis. Quæ autem

autem vt tergo caueas ac pedibus, ſubijcis? I. *Priuilegium Vrbani* V I I I. quo Typographis, & tuorum librorum diſtractioni conſulitur. I I. Tria *Ferdinandi Imperatoris* diplomata. I I I. Epiſtolam eiuſdem Imperatoris ad te datam. IV. Aliam eiuſdem Ferdinandi Epiſtolam *ad Ferdinandum Cardinalem Infantem Hiſpaniarum.* V. *Priuilegium Philippi* IV *Regis Catholici.* Ita tuam illam *Padiam*, tot arcibus anticis & poſticis hinc atque illinc excitatis, inexpugnabilem, Lectoribusque formidabilem occupas reddere.

I I I. At ego, Scioppi, formidinem omnem in riſum maximum transfero, gratesque ingentes tibi, qui me tam ridiculo ſpectaculo, cui ſine Chriſtiani officij, & Religioſę ſeueritatis fraude intereſſe mihi fas fuit, iucundè oblectâſti, etſi non exſoluo, vt cupio, habeo tamẽ prolixè, vt poſſum. Quid enim? Vidiſtin' vnquam agyrtas in foro circulantes, vt neſcio quæ terræ eiectamenta, ſuffitus, antidota, amuleta, fucatique medicamenta candoris imperitæ plebeculæ luculentè vendant, ad fidem prçſtigijs auctoritatemque adijciendam, vncta quędam ac ſemilacera Principum nonnullorum diplomata, de perâ promere, hęc circumfuſæ coronæ oſtentare, hæc ad ſuæ virtutis, atque excellentiæ commendationem explicare, hæc ceu verſum intercalarium oggerere; his audientiam ſibi facere, his clamores tollere, his ſe alteros veluti Æſculapios, & Chirones prædicare? Parem omnino ludum tu quoque hîc ludis, Scioppi, qui, vt tuæ illius *Padia*, hoc eſt, tuæ ſcientiæ facultatis, literaturæ, pietatis, ac virtutis vnguentatum paſtillum venò exponeres, proniusque abalienares, tot Principum literas, priuilegia, diplomata, quaſi hederas præ tabernæ foribus, vtrinque ſuſpendiſti. Quo ſanè in ludo importunas tuas vertigines, ardelio inſtanſtantiſſime, intueri primùm licet,

qui quum in tuâ *Actione Perduellionis, pag.* 27. tum in *Anatomia, pag.* 11. cauillatus ſis, Ieſuitas *conciliare ſibi auctoritatem familiaritate, & teſtimonijs Principum, & Magnatum, exemplo Phariſæorum tubis ante ſe canentium*: tu ipſe deinde duodecim ſeu diplomata, ſeu priuilegia, ſeu literas Pontificum, Cæſarum, Regum, Principum, temerè aſſuta, nihilque propoſito congruentia in exiguum, & pauciſſimarum plagularum libellum vernaliter infarſiſti. Cedo nunc, Scioppi; quis vnquam Ieſuitarum tam monſtroſè ineptiuit? quis adeò enormiter inſanijt? Nullum prorſus reperies. Quis verò Phariſæorum ſibi tubis præcinit magis, magisque Principum familiaritati ſeſe infert, quàm tu? quis ſuis in libris hoc nomine ſibi magis palpatur? quis ſuo faſtui ventulum huiuſmodi flabellis putidiùs, atque odioſiùs facit? Præclarus omnino Cenſor nunc audies, qui, vt ſemel iam innui, non furandum prædicas, & omnium maximè latrocinaris; qui ſcortandum negas, & effrænatè mœcharis; qui idola execraris, & ſacrilegium admittis.

IV. Quid ſi iam doceo, Scioppi, te omnibus hiſce diplomatis, ac priuilegijs indigniſſimum? obluctaris? fremis? Ad vos me verto, Sereniſſimi Principes, quotquot veſtris literis ambitioſo Grammatico virtutis opinionem comparâſtis, atque ad vos contentis clamo lateribus; quod, quæſo, monſtrum hominis, tam eximijs veſtris elogijs decorâſtis? Quid contrà iſte tam honorificæ veſtræ de ſe teſtificationi repoſuit? quid tam ſingulari beneficentiæ rependit? quàm bene quondam de vobis ſenſit, ac meritus eſt? Aio diſertiſſimè, vos omnes à vaferrimo præſtigiatore flagitioſè circumuentos; aio ipſum probra & contumelias infandas, veſtro nomini ante annos facilè triginta impoſuiſſe, literisque mandâſſe; aio his de piaculis, ne quis mihi fidem deroget, eiuſdem Conſul-

tationem Auguſtæ Vindelicorum anno cIↄIↄcxvI. iam pridem ſignatam ſtylo, atque explicatam in promptu eſſe. Recitetur.

Principes hodie nullum literarum guſtum habent, nec quicquam cuipiam temerè largiuntur. niſi quo vel voluptatis ſuæ, vel vtilitatis Miniſtro vti queant. Itaque Aſſentatores & Ridiculi, ſiue Paraſiti, hilaritatis per meliora dicta artifices, tum vel maximè lenones ac perductores, & ſtuprorum atque adulteriorum interpretes, & Sequeſtri in bene auctâ parte paſſim apud Reges, & cuiuſque generis Principes (nempe tam ſacros, quàm profanos) *inueniuntur, quoniam eis iucundi ſunt & voluptatem creant, in qua illi ferè placitis Epicuri conuenienter, felicitatis humanæ ſummam collocare ſolent.*

V. Hæc, Principes Excelſiſſimi, quàm turpi cum veſtræ dignitatis ignominiâ ab ingratiſſimo, atque impudentiſſimo literatore de vobis omnibus generatim pronuntientur, neminem veſtrum fugit. Num verò à tam fœdâ ſententiâ, quam olim Scioppius de veſtris moribus tulit, poſteà diſceſſit? minimè gentium, ſed eandem conſtanter retinuit, medullitus ſibi inſculpſit in animo, demumque in libellum *de ratione ſcholarum & ſtudiorum*, quem Patauij anno cIↄ IↄcxxxvI. fo:ras dedit, totidem planè verbis, quot ego paulò anteà eandem ipſam ſententiam vobis recitaui, etiam retulit, candideque ac rotundè in eodem libello teſtatus inſuper eſt, eiuſmodi Conſultationem iam pridem à ſe Auguſtæ Vindelicorum an. cIↄIↄcxvI. vt memoraui, fuiſſe elucubratam, etſi eam nonniſi tot annorum interuallo pòſt, nempe anno cIↄIↄcxxxvI. typis vulgauit. Præter autem iſta conuicia, quàm multa alia dehoneſtamenta deformiſſima compluribus famoſis alijs Satyris in vos, vt ex iſtis ſatis compertum, & infrà diſtinctè

a *Cap 6.*

ac fusè commonſtrabo, euomuit? íſne igitur oris, & calami tam improbi æruſcator, Proceres maximi, is in vos tam inſignitè iniurioſus, is tam perditus læſæ veſtræ Maieſtatis reus, à vobis hæc virtutis præconia, atque ornamenta iure expreſſerit? Fabulæ. Deceptos vos, in fraudem inductos, fucum vobis à circulatore factum meritò cauſſabimini.

VI. Nunc ad te redeo, Scioppi. Dic ſodes, quâ tu iniuriâ, & contumeliâ innocentes Principes afficis, nónne eâdem, ipſorum quoque diplomata, & literas tibi adimis? nónne omnem ijs auctoritatem detrahis? nónne teipſum cauſſamque tuam omnino iugulas? An illorum quiſquam, ſi tuam iſtam nequitiam tamdiu clam perennantem reſciuiſſet, adeò delirâſſet, vt tibi iſta, quæ iactas, priuilegia, vel diplomata indulgeret? nemo vnus, nemo penitùs. Quid ſi ijs ſummatibus tot Verrucæ, ac Teſſeræ multijugis tuæ Hæreſis, quas hic meus *Lydius Lapis* in lucem profert, aliquando ſuboluiſſent? Quanto minùs magna illa Capita, viri Catholicæ Religionis obſeruantiſſimi, ac retinentiſſimi vllam à te Epiſtolam, ne dum priuilegium, aut diploma in commendationem tui, nempe tenebrionis tam nequam, ſibi extorqueri paſſi fuiſſent? Nullus, citra perſpectæ eorum integræ religiònis non feregdam iniuriam poteſt ambigere. Quum ergo nihilominùs ea tu diplomata, & priuilegia ab illis abſtuleris, quanto magis ijdem ſe tuis dolis captos, tuâ perfidiâ circumſcriptos, tuis ſtrophis illuſos, aſſeuerabunt, conquerentur, indignabuntur?

VII. Sed quæro ex te prætereà, Scioppi, quum Principes, te iudice, ſtuprorum, atque adulteriorum interpretes, & ſequeſtros ditare ſoleant; quum aſſentatores, paraſiti, lenones in bene auctâ parte apud illos paſſim ſint; quum de ſcholâ Epicuri penè

næ egreſſi, humanæ felicitatis ſummam in voluptate, præſertim Venereâ collocent; apud quos tandem, ipſorum tuâ de præſtantiâ, & virtute teſtimonium quicquam ponderis, vel auctoritatis habiturum cenſes? apud quos? enuntia. Profectò nonniſi apud Epicureos, & Sardanapalos, qui in eodem luto hæſitant: apud verò cordatos viros, prudenteſque rerum æſtimatores nihil omnino, ne pili quidem aut flocci: quin imò certum, manifeſtumque tuæ vitioſitatis præiudiciũ à cunctis honeſtatis amantibus iure reputabitur. Quare diplomatis, & priuilegijs id genus gratiam, & famam ab improbis dumtaxat aucupari potes, vt liquet, quam nemo probus tibi inuidet, & ſi inuidet, probus non eſt.

VIII. At quid horum omnium, Scioppi, conſequens eſt? quid iſtis Principum literis, ac diplomatis lucraris? nempe vt paraſitus, vt leno, vt Epicureus, vt adulteriorum, atque ſtuprorum ſequeſter habearis. Quid enim? ſi cuiuſque generis Principes nonniſi vtilitatis, aut voluptatis adminiſtris, vt tu decernis, quicquam largiuntur; quum tu ijs nihil comodi, ſed potiùs damni plurimum, in eorum Aulis liguriendo, emungendo, paraſitandoque attuleris; & tamen ijdem Principes tam aurea Diplomata tibi donârint, Rex Catholicus menſtruam octoginta aureorum penſionem, nec non Ciuitatis Hiſpanæ ius ad capiendum ex Hiſpanicorum Sacerdotiorum *fructibus* mille aureorum vectigal, vt in tuâ literarum *Pædiâ, pag.* 25 & in Præfatione tuæ Grammaticæ Philoſophicæ expreſsè tu ipſe affirmas, conſtituerit, alijque paſſim viri primarij opiparè te munerati ſint; quid hinc, tuis quoque calculis, neceſſariò efficitur, niſi voluptatem abs te illis fuiſſe creatam; ac propterea in lenonum, ac perductorum palæſtrâ palmam à te pariter facilè occupatam?

IX. Ve-

IX. Verùm ſicut famoſam tuam impudentiam pleriſque Principibus ac Regibus integerrimis infamandis, Scioppi, plurimum nobilitâſti, ita tu maximè eandem mendacij & calumniæ palàm coarguis, quum tu ipſe quà in tuâ *Padiâ*, quà in tuæ Grammaticæ Præfatione locis paulò antè laudatis dilucidè fatearis, elateque prædices, tot præmia, & ſtrenas tibi ab illis impertita, non quòd eis voluptatem creâris, aut Paraſiti vel Lenonis vices gratificatus ſis: ſed *propter magna tua* (ita illis impoſuiſti) *erga Religionem Catholicam promerita, vtq; porrò etiam vtilem Eccleſiæ operam nauare poſſis.* Vnde inconſultum tuum mendacium, & calumnia apertè ſe pandit. Quare nemo iam non cernit, tam Principes, Reges, Cæſares, ac Pontifices, qui tot diplomatis te honeſtârunt, à tuis conuicijs & contumelijs immunes, quàm à te per technas deceptos; ac proinde eorundem teſtimonia, & priuilegia, tanquam ſurreptitia, & per fraudem emendicata, falſa eſſe, omniq́ue auctoritate, vt patet, caſſa & deſtituta.

X. Adhæc. Cui, Scioppi, catum humaniſſimorum Principum conſilium ignotum eſt, qui, quum tuæ nequitiæ veſtigia nondum adeò palàm impreſſiſſes, neque illi tuos mores probè adhuc introſpexiſſent; vt te Catholicæ Eccleſiæ Romanæ, cuius te quondam hoſtem ex Hæreticorum illam oppugnantium caſtris exceſſiſſe meminerant, omni beneficiorum genere demererentur, lenibusq́ue blanditijs velut immitem feram cicurarent; tum ne in priſtinam Hæreſim relabereris, aut etiam in peiores rueres; tum, vt qualem te eſſe cuperent, non qualis eſſes, vſitato artificio indicarent; his te literis & diplomatis commendandum ſapienter iudicârunt. At nihil ea tibi in præſens, quum iam tuæ fraudes & ſcelera retecta ſint, opitulantur, neque te de Thraſonum, ac Sycophantarum grege vllo modo eximunt, vt perſpicuum eſt.

XI. Sed

XI. Sed alias quoque huiuſmodi literarum & diplomatum cauſſas ſollerter rimatur, ediſſeritque Lauanda, quem te audire, Scioppi, credo, non pœnitebit, certè quidem operæ pretium eſt. *Nôris Lector,* inquit ille, *a eam eſſe Principum humanitatem, vt fauorabiles ſint prenſantibus, ſi hi famâ non laborent. Quid mirum ſi irrepſit Scioppius, Grammaticâ præſertim farinâ inſperſus, ne omnino malus appareret? Diſcreuere nonnihil eum nota Cæſarea, ceu ſtragula picta agaſonem. His obtentum* Breue *illud Vrbani ad Ludouicum Regem. Cæſareis oculis gratioſum antè fecêre Ieſuitæ Religioſo candore, quum multa de ſe promittentem promotum vellent; præſertim vt videri cupiebat, ex Hæretico nuper inter Catholicos accenſitum. Acceſſêre & commendatitiæ Pauli* V. *Pont Max. ad Ferdinandum haud dum Imperatorem. Nam quum Romæ Purpuratorum Aulas terere, & nonnullorum etiam quadras tergere didiciſſet, facile fuit aditum ad ipſum Pontificem inuenire, horum laciniis inhærentem; idque gratiæ emendicare, quâ apud Archiducem admitteretur. In huius præcipuè Aulam ſeſe cupiebat iniectum ſagax Oribaſius; quia Cæſarem aliquando futurum olfecerat, eiusque filium diſciplinæ ſuæ creditum iri, certiſſimò ſibi perſuaſerat: quod fuiſſet lupo ouem cuſtodiendam dare. Et libenter Roma illo caruit, ne cognoſcere cogeretur. Quid non faceret Ferdinandus, prætento nomine Summi Pontificis? Quid non Pontifex, & Patres Purpurati, exhibitis ſignis Archiducalibus, mox etiam Cæſareis? In Germania iactabat ſe à Pontifice miſſum: Romæ & in Italia, ſe à Cæſare eſſe Legatum, pro ſumma rerum; ita non paucis imponebat. Verùm prudentibus non latuit baiulus Iſidis, quem Apuleius à roſis abſtentum voluiſſet. Romani certè priuatim in fabulam traduxerunt, nulli vt conuentus amicorum agerentur, in quibus Scioppii leuitas ludus non eſſet.* Hæc Lauanda germanâ fide, ac libertate verè iuxta ac ſalsè;

a *In Gramm. Padic. pag 9.*

falsè; cuius dictum vnum paulò, quàm par eſt, breuius, paucis modò nonnihil magis explanandum. Libenter Roma te caruit, Scioppi, ne ſcilicet tuas Seditiones experiri cogeretur. Sed an Roma ſola? Imò quis non? Profectò ſapientes Principes, tuo ingenio præcipiti, factioſo, ſuperbo, turbulento, maledicendi arte & profeſſione inſignitè procaci, probè animaduerſo atque explorato, quum vnuſquiſque te ſuis ab Aulis longè relegatum, quo tranquillitati conſuleret, meritò exoptaret, quæcunque tu ab illis diplomata, vel literas quibuſcunque etiam laudum ſuffimentis oblitas expetijſti, perleui momento, prolixèque tibi, vt latrantem Cerberum quaquà tandem obſipatà offà amandarent, conceſſerunt. Vbi cauſſa genuina, & propria, cur nuſpiam apud vllos Proceres, aut Dynaſtas diutius paulò commorari, ne dum permanere potueris, diligenter obſeruanda eſt. Quænam autem hæc, niſi inquietus tuus ſpiritus, qui, vbicunque diuerſatur, quietem omnem confeſtim exturbat? Hactenus de tuis Principum literis, & diplomatis.

XII. Verùm his tu minimè contentus, neque tuam literarum *Pædiam* ſatis adhuc communitam arbitratus, alia inſuper teſtimonia eidem adijcis, ibique *pag.* 28. appellas in primis fidem *Amicorum, ſeu Beneuolentium*; *vt quatuor*, inquis, *Pontificum, duorum Cæſarum, Regum Hiſpaniæ, Cardinalium, præſertim Baronij, Bellarmini, Perronij, Bandini, & Seraphini, Ducum, Principum, & Clariſſimorum totius Orbis Virorum. Cuiuſmodi teſtimonia magno numero extant in* Amphotidum Scioppianarum *libro, & in* Epiſtolis Clarorum Virorum *Coloniæ editis.* Atque his tam magnis nominibus tempeſtate etiam bene ſerenà tonans, Olympum totum, Iouis æmulus, quatefacis.

XIII. Quid porrò animi, Scioppi, quid conſilij, quid ſententiæ mihi iam eſſe putas? Tam ſub-

limium ego virorum ſceptra, diademata, paludamenta, thiaras, faſces, apparitores tremo, mente conſternor, totus torpeo, totus horrore perfundor. Nihil contra regerere, nihil obducere, non mutire, non hiſcere audeo. At ita exanimato commodùm Lauanda affundit aquam, fugientemque ſpiritum reuocans, ac recreans, cuncta iſta tua, quæ cenſebantur, tonitrua, nonniſi veſiculæ diſploſæ inanes ſonitus eſſe bellè oſtendit. *Dico*, inquit, a *iuxta diſpoſitionem iuris* l. plenum, §. Equitij, ff. de Vſu & Hab. *verba intelligenda eſſe ſecundùm diſpoſitionem perſonæ, ad quam diriguntur. Vnde qui Scioppio bonum teſtimonium dat, accipitur iuxta ea, quæ foris ficte exhibentur ab eodem Scioppio; tametſi malitia & peruerſitas occultetur: in huiuſmodi autem, acceſſorium non vitiat principale; proinde licet falſum dicant ex apparentibus, non ideò Scioppius in foro iudicij præſumitur bonus, aliunde quàm per teſtes cognitus. Sed demus Scioppio, ex merito & legitimè fuiſſe laudatum: tunc bonus fuit, vel nondum malus apparuit; cui verò dubium, diuerſitatem temporum diuerſificare etiam ſubſtantiam in iudicijs? Hodie quia ſecus apparet, nemo, niſi iners, bonum teſtimonium perhibeat. Ecquid, quæſo, iuuat, cauſſam Iudæ Iſcariotis, fuiſſe aliquando connumeratum Apoſtolis, & laudatum, ſi poſteà proditor audijt? quid Iuliani Imperatoris, celebrem inter Philoſophos habitum, ſi deinde nomen Apoſtatæ tulit? ex horum præiudicio de ſeipſo Scioppius ſententiam ferat. Nouerit enim, quàm plures teſtimonijs etiam Summorum Pontificum, & Imperatorum Clariſſimos, deinde ſecuri Carnificis ſubiacuiſſe. Ecquid his profuit, ſubreptitias, an precarias, an etiam ſpontaneas habuiſſe commendationes, & ijs ad tempus iactabundos ſuperbijſſe?* b *Quæ tibi, quum bonus eſſe videreris, ſuffragia fuêre laudationum, hodie argumenta ſunt vituperij, & ignominia.* *Idem*

a *In Gramm Padie pag.62.* b *Ibidem pag.71.*

Idem aureus torques apud Philonem ornat militem bene de Rege meritum, & ſuſtinet pendentem è furca, ſi praeuaricetur. – Taceo interdum amicos & beneuolos placentia loqui, aut etiam diſſimulare, propter ſpem melioris frugis. Hoc pacto Lauanda tua iſta maximorum Heroum, quos tibi ſuppetias venire contendiſti, occurſacula, & terriculamenta egregiè difflat omnia.

XIV. Nec dum tamen, Scioppi, tui celebrandi finem facis, ſed alia ſuper hæc ad laudem admirationemque obtinendam teſtimonia à *Cardinali* Bellarmino, à Iacobo Kellero, ab Ingolſtadienſibus Ieſuitis, à Paulo Bombino, ab Emmanuele Theſauro, à Laurentio Forero corrogas, eidemque tuæ literarum *Padia* ſyllabatim deſcripta à *pag.* 30. vſque ad 38. inſeris, quò ſcilicet vincas, Lectorique perſuadeas, te, arbitris, & Cenſoribus etiam Ieſuitis virum & bonum, & magnum, & octauum Sapientum eſſe. At ſummoperè allucinaris, nec quid Ieſuitæ, quum tam plauſibilia tuæ virtutis teſtimonia tibi tribuerunt, ſpectârunt, tecum reputâſti, vel cogitatione tibi depinxiſti. Religioſi quippe viri pro ſuo non vulgari Hæreticorum ad Chriſti Domini ſigna traducendorum, traductoſque omni humanitatis genere Catholicæ Eccleſiæ agglutinandi ſtudio, atque Inſtituto; ſi neſcis, quum te eiuratâ iam Hæreſi in Chriſtianum ouile ingreſſum bonâ fide exiſtimâſſent; in id ſedulò incubuerunt ſemper, vt quamuis in te pleraque cernerent, quæ probare non poſſent, & neceſſariò improbanda nôſſent optimè, & maximè etiam improbarent: nihilominùs quicquid in te, vel tuis libris vllam boni ſpeciem præ ſe ferebat, quò te quibuſcunque caritatis officijs delinirent, paulatimque ad omnes dediſcendos errores, nec non ad prauos mores penitùs exuendos allicerent; liberaliter commendarent, ac prædicarent, diſſimulantes

lantes interim prudenter, ſilentioque inuoluentes cætera omnia, quæ grauem alioqui ſeueramque animaduerſionem omnino merebantur; ne fortè, ſi ſcalprum, aut nouaculam tuas in vomicas intempeſtiuè adegiſſent, ipſe tu impotens animi, indignabundus, ac frendens ferendo non eſſes, ſtomachansque præcipuè ſub initium Ieſuitas minùs tibi propitios, aut palàm etiam aduerſarios à te deprehenſos, à Romanâ Eccleſiâ reſilires, atque ad priſtina tua Hæreticorum luſtra propediem repedares.

XV. Hinc Bellarminus in ſuâ illâ ad te Epiſtolâ, quam recitas, quamuis tuum *Eccleſiaſticum* laudat, ita tamen laudat, vt ſimul quoque apertè, ſed quàm modeſtiſſimè indicet, ſe in quibuſdam doctrinæ capitibus à te diſſentire. At quotuſquiſque, Scioppi, ita malus eſt, vt nulla in eo boni particula ſuperet? quis liber, etiam Hæreticorum, ita corruptus, vt in pleriſque cum Eccleſiâ Catholicâ non concinat? Certè noſtræ tempeſtatis Hæretici Deum Trinum, & Vnum, Chriſti Natalem diem, vitam, mortem, deſcenſionem ad Inferos, reditum ad vitam, aſcenſum in cœlum, ad dexteram Patris ſeſſionem, multaque alia Chriſtianæ Religionis dogmata vnà cum Catholicis ſine diſcrepantiâ agnoſcunt, & credunt. Num proptereà, cui boni quidpiam hæret, etiamſi nequitiâ aliàs obruatur, ſimpliciter bonus? nugæ. An vitiatus Codex, quia non vbique inſanit, ſimpliciter defecatus, & probus? ſcilicet. Idem de te dictum autuma, Scioppi. Ieſuitæ nonnulla in te, quæ verè & ſine aſſentatione laudare poſſent, notârunt: laudauerunt. An idcirco tu, qui tot vitijs laboras, ſimpliciter bonus? an tui libri, qui tot ſcatent erroribus, ſimpliciter integri, & honeſti? Somnia. Ecce. Peritiam ſacrarum literarum, *zelum*que conuerſionis Hæreticorum Bellarminus, & Keller nominatim de te

prædi-

prædicant. At innumera alia à te in ſacras literas admiſſa, & frequentata piacula, quorum aliquod ſpecimen Lectori guſtandum iam *par* 2. *cap.* 17. porrexi, tam multiplicia Hæreſis inſignia à te edita, demonſtrant nunc cordatis omnibus, illa Ieſuitarum de tuâ virtute præconia, non tuis meritis fuiſſe impenſa, ſed de magnâ eorundem Ieſuitarum tui Chriſto adiungendi cupiditate deprompta. Eo vel maximè, quod tuæ improbitatis, atque inſcitiæ vlcera adeo iam extabuerunt, vt reliqua tua omnia, ſi qua erant, promerita, & prærogatiuas aut penitùs aboleuerint, aut turpiſſimè contaminâtint. Atque adeò luculenta iſta Ieſuitarum, quæ affers, de te ſeu teſtimonia, ſeu elogia nihil aliud emolumenti tibi largiuntur, niſi quod in maius tui dedecus, tuâ nequitiâ, atque imperitia exaduerſum pugnante, palàm redundant.

XVI. Verùm quia ſcientiæ, & probitatis laudem à Ieſuitis tibi impertitam, à me tam animosè abripi ægrè admodum, Scioppi, pateris (quis enim id non odoretur?) age, Lauandam, quid de vtrâque ſentiat, conſulito. Ipſius iudicio ſtare vis? Occidiſti. Sic ille te iugulat. a *Id teſtimonium vel eſt de literis, vel de moribus. Quod ad primum, nemo te Ieſuitarum facile ſupra Grammaticum habuit. Forerus inter alios in ſuo Grammatico Proteo, te merum Grammaticum appellat. Quod Emmanuel Theſaurus* Regem eruditorum *vocet, catachreſis eſt, vel certè intra Grammatici fines hyperbole. Sic & opifices in vrbibus habent ſuos Conſules, baiuli etiam Reges, ficut & manticularij Neapoli* Regem maiorem; *quin, ſi verum eſt, quod ex amanuenſi meo accipio, Viennæ Auſtriæ, qui Cloacas purgant,* nocturni Reges *dici conſueuerunt. Porrò, te iudice (bene memini) ex Grammaticis* eruditi *dicuntur, quaſi rude ſeu virgâ donati, quales*

a *In Gramm. Pædic pag* 71.

quales hodieq; vocantur in Sicilia lictores, *&* apparitores, *quorum ſi te Regem Theſaurus Ieſuita appellârit, per me licet: niſi tu malis eruditus dici, hoc eſt rude ſeu virgâ pulſatus; nam quod ad literarum eruditionem ſpectat, is certè, qui tuas* Suppetias Logicas *notis inuſſit, te rudentem potiùs, quàm eruditorum Regem ſatis oſtendit. Vt ego aliquid de te moderatiùs enuntiem, eruditum dixero, ſed non extra numerum Pædagogorum; quo munere & Romæ, & Mediolani, & alibi vtcunque functus es. Ac tantundem tribuit Pædagogis Quintilianus lib. 1. monet enim à Pædagogis exigendum,* vt eruditi ſint, *qui adoleſcentes erudire queant. Eoſdem tamen longè infra Præceptores ponit, eoq; in eos animaduertendum cenſet, quod (vt ſemper ſunt ſuperbiſſimi, meri Grammatici) cedere Præceptoribus indignantur, quos idem Quintilianus non eruditos ſolùm, ſed etiam doctos ac peritos eſſe iubet, ac tales exiſtimo eſſe Ieſuitas, quibus Grammaticus Pædagogus Scioppius cedere nollet, cogitur tamen.* Hîc ego paucis, Scioppi, interfatus, aurem tibi peruello, ſanctéque polliceor, incredibilem tuam Grammaticæ eruditionis ignorationem in propatulo quàm primùm à meo *Dentiſcalpio, Strigili, ac Nouacula* collocandam; de reliquâ verò cæterarum diſciplinarum pingui tuâ inſcitiâ, paulò infrà ſpecimen non pœnitendum cernes.

XVII. *Quod ad alterum* (pergit Lananda) *hoc eſt, ad Teſtimonium de moribus attinet, illud tibi melioris notæ commodarunt Ieſuitæ; quia bonum eſſe, & non videri tantùm, candidè crediderunt. Non quæro modò, an tu precario commentitia verba, aut literas ab ijs emendicâris; conſtat te ab illis eiuſmodi literas ſæpius importunè poſtulâſſe; conſtat item illos pro te intercesſiſſe, & te, ne inurbanus videreris, de Ieſuitis ſublatè ſcripſiſſe; eorum inſtitutum ore, & calamo celebrando. Cæterùm etſi aliqui ex ijs, te perſonam callidè mentiri*

mentiri animaduertiſſent ex ſtylo mentis, & actionum tuarum, non idcirco defuerunt, primis partibus, & tibi, officij ſui, non tui meriti, cauſſâ, gratiam addiderunt: quàm plurimi tamen hypocriſi tuâ circumuenti ſunt: quid-ni? ſi & Principibus illuſiſti, quos tamen non exiſtimo poſthac praſtigijs tuis irretiendos, vel ſi inſtar Apuleiani Circulatoris ſpatham praacutam mucrone infeſto deuorauerit. Hæc Lauanda.

XVIII. Sed aliud præclarum tuum artificium, Scioppi, è Rhetorices medullis expreſſum hîc prӕterire tacitus non poſſum. Nam vt Ieſuitarum tuis de prærogatiuis ingenij, multâque virtute teſtimonijs fidei atque auctoritatis vim ineluctabilem addas, ante quàm hæc in tuâ illâ literarum *Tædiâ, pag* 55. & deinceps recites, complura maledicta in Ieſuitas olim à te in tuâ *Stoica Philoſophia*, in tuo *Scaligero Hypobolimæo*, in tuo *Scioppianarum Amphotidum* libro, & longè pòſt in tuis *Paradoxis*, & *Rudimentis* iacta, inibi *pag.* 50. & 51. refers, atque ad verbum exſcribis, aiſque hæc omnia ab ijſdem Ieſuitis, qui te commendant, priuſquam te commendarent, viſa fuiſſe. Sed mentiris, Scioppi, prodigialiter, mentiris. Quomodo enim Bellarminus, qui anno cIↃIↃcxxI. viuere deſijt, tua Paradoxa, & Rudimenta, quæ anno primùm cIↃIↃcxxvIII. & proximo cIↃIↃcxx.x. in lucem Mediolani emiſiſti, neque antè cum eo vnquam communicâſti, videre potuit? Num illum tui commenti infucandi gratiâ diuinum, num vatem, num hariolum, num Chaldæum, num ſortilegum fingis? Recede de medio cum his fabellis. At ſi non Bellarminus, inquis, iam denatus, certè reliqui Ieſuitæ in meis libris mea illa conuicia, quibus ego illos apertè verberaui, legerunt. Legerunt certè, Scioppi? Imò certè tu iterum ſtrenuè mentiris. Et næ tu maiorem in modum falleris, ſi à Ieſuitis tam vili tempus, quo nihil pretioſius,

tioſus,æſtimari putat,vt illud tuorum voluminum ludibrijs, atque ineptijs peruolutandis otioſè ac fruſtra velint conterere, nec religioni ſibi ducant. Eris mihi magnus Apollo, ſi modò recenſita tua Opera à Bellarmino, à Kellero, à Bombino, à Theſauro, à Forero, antequam tam honorificè de te, atque ad te ſcriberent, vnà cum tuis illis contumelijs viſa fuiſſe, & lecta exploratis tabulis, vel teſtibus docueris: quod ad Kalendas, opinor, Græcas haud dubiè præſtabis, interim mendacij omnino manifeſtus. Forerus ſanè, non nego, poſt quàm tu in Societatem noſtram debacchari cœpiſti, vt te compeſceret, neceſſe deinde habuit tuas illas librorum quiſquilias non ſine ingenti moleſtiâ luſtrare, quas anteà ne aſpectu quidem dignatus fuerat: reliqui verò Ieſuitæ cuncta tua monumenta ſcombris, mullis, anguillis, piſciculis minutis aptiſſima inuolucra, tineiſque gratiſſimas dapes relinquunt.

XIX. At quid poſtremò, Scioppi, vbi cuncta Ieſuitarum de te elogia, vel teſtimonia recenſuiſti, concluſionis loco ſubijcis? aculeatum ſcomma, quod in eâdem literarum *Padiâ*, *pag.* 36. ita vibras:

De Foreri eiuſque ſimilium confeſsione Scioppij iudicium.

Non accipio à Diabolo teſtimonium, ſed confeſſionem. Inuitus dixit Diabolus, ſed coactus & tortus, ait S. Ambroſius, ſerm. 91.

Verùm quàm nullo prorſus iudicio id iudicium feceris, non operosè iam vincendum. An non enim poſt argumenta tuæ Voluntatis & Facultatis tam externa, quàm interna, Ieſuitas ibidem *pag* 30. tanto in honore habes, vt *Reuerendos Patres de Societate Ieſu* appelles? Extra controuerſiam eſt. Quo pacto igitur paulò pòſt in eodem libello *pag.* 36. perſonam Diaboli ijſdem affingis? Nodum

X præclarè

IX. Verùm ſicut famoſam tuam impudentiam pleriſque Principibus ac Regibus integerrimis infamandis, Scioppi, plurimum nobilitâſti, ita tu maximè eandem mendacij & calumniæ palàm coarguis, quum tu ipſe quà in tuâ *Padiâ*, quà in tuæ Grammaticæ Præfatione locis paulò antè laudatis dilucidè fatearis, elateque prædices, tot præmia, & ſtrenas tibi ab illis impertita, non quòd eis voluptatem creâris, aut Paraſiti vel Lenonis vices gratificatus ſis: ſed *propter magna tua* (ita illis impoſuiſti) *erga Religionem Catholicam promerita, vtq́ porrò etiam vtilem Eccleſiæ operam nauare poſſis*. Vnde inconſultum tuum mendacium, & calumnia apertè ſe pandit. Quare nemo iam non cernit, tam Principes, Reges, Cæſares, ac Pontifices, qui tot diplomatis te honeſtârunt, à tuis conuicijs & contumelijs immunes, quàm à te per technas deceptos; ac proinde eorundem teſtimonia, & priuilegia, tanquam ſurreptitia, & per fraudem emendicata, falſa eſſe, omniq́ue auctoritate, vt patet, caſſa & deſtituta.

X. Adhæc. Cui, Scioppi, catum humaniſſimorum Principum conſilium ignotum eſt, qui, quum tuæ nequitiæ veſtigia nondum adeò palàm impreſſiſſes, neque illi tuos mores probè adhuc introſpexiſſent; vt te Catholicæ Eccleſiæ Romanæ, cuius te quondam hoſtem ex Hæreticorum illam oppugnantium caſtris exceſſiſſe meminerant, omni beneficiorum genere demererentur, lenibuſque blanditijs velut immitem feram cicurarent; tum ne in priſtinam Hæreſim relabereris, aut etiam in peiores rueres; tum, vt qualem te eſſe cuperent, non qualis eſſes, vſitato artificio indicarent; his te literis & diplomatis commendandum ſapienter iudicârunt. At nihil ea tibi in præſens, quum iam tuæ fraudes & ſcelera retecta ſint, opitulantur, neque te de Thraſonum, ac Sycophantarum grege vllo modo eximunt, vt perſpicuum eſt.

XI. Sed alias quoque huiuſmodi literarum & diplomatum cauſſas ſollerter rimatur, ediſſeritque Lauanda, quem te audire, Scioppi, credo, non pœnitebit, certè quidem operæ pretium eſt. *Nôris Lector,* inquit ille, *a eam eſſe Principum humanitatem, vt fauorabiles ſint prenſantibus, ſi hi famâ non laborent. Quid mirum ſi irrepſit Scioppius, Grammaticâ præſertim farinâ inſperſus, ne omnino malus appareret? Diſcreuere nonnihil eum nota Cæſarea, ceu ſtragula picta agaſonem. Hu obtentum* Breue *illud Vrbani ad Ludouicum Regem. Cæſareis oculis gratioſum antè fecêre Ieſuitæ Religioſo candore, quum multa de ſe promittentem promotum vellent; præſertim vt videri cupiebat, ex Hæretico nuper inter Catholicos accenſitum. Acceſſêre & commendatitiæ Pauli* V. *Pont Max. ad Ferdinandum haud dum Imperatorem. Nam quum Romæ Purpuratorum Aulas terere, & nonnullorum etiam quadras tergere didiciſſet, facile fuit aditum ad ipſum Pontificem inuenire, horum laciniis inhærentem; idque gratiæ emendicare, quâ apud Archiducem admitteretur. In huius præcipuè Aulam ſeſe cupiebat iniectum ſagax Oribaſius; quia Cæſarem aliquando futurum olfecerat, eiusque filium diſciplinæ ſuæ creditum iri, certiſſimò ſibi perſuaſerat: quod fuiſſet lupo ouem cuſtodiendam dare. Et libenter Roma illo caruit, ne cognoſcere cogeretur. Quid non faceret Ferdinandus, prætento nomine Summi Pontificis? Quid non Pontifex, & Patres Purpurati, exhibitis ſignis Archiducalibus, mox etiam Cæſareis? In Germania iactabat ſe à Pontifice miſſum; Romæ & in Italia, ſe à Cæſare eſſe Legatum, pro ſumma rerum; ita non paucis imponebat. Verùm prudentibus non latuit baiulus Iſidis, quem Apuleius à roſis abſtentum voluiſſet. Romani certè priuatim in fabulam traduxerunt, nulli vt conuentus amicorum agerentur, in quibus Scioppii leuitas ludus non eſſet.* Hæc Lauanda germanâ fide, ac libertate verè iuxta ac

a *In Gramm. Padie. pag* 9.

falſè; cuius dictum vnum paulò, quàm par eſt, breuius. paucis modò nonnihil magis explanandum. Libenter Roma te caruit, Scioppi, ne ſcilicet tuas Seditiones experiri cogeretur. Sed an Roma ſola? Imò quis non? Profectò ſapientes Principes, tuo ingenio præcipiti, factioſo, ſuperbo, turbulento, maledicendi arte & profeſſione inſignitè procaci, probè animaduerſo atque explorato, quum vnuſquiſque te ſuis ab Aulis longè relegatum, quo tranquillitati conſuleret, meritò exoptaret, quæcunque tu ab illis diplomata, vel literas quibuſcunque etiam laudum ſuffimentis oblitas expetijſti, perleui momento, prolixèque tibi, vt latrantem Cerberum quaquâ tandem obſipatâ offâ amandarent, conceſſerunt. Vbi cauſſa genuina, & propria, cur nuſpiam apud vllos Proceres, aut Dynaſtas diutius paulò commorari, ne dum permanere potueris, diligenter obſeruanda eſt. Quænam autem hæc, niſi inquietus tuus ſpiritus, qui, vbicunque diuerſatur, quietem omnem confeſtim exturbat? Hactenus de tuis Principum literis, & diplomatis.

XII. Verùm his tu minimè contentus, neque tuam literarum *Pædiam* ſatis adhuc communitam arbitratus, alia inſuper teſtimonia eidem adijcis, ibique *pag.*28. appellas in primis fidem *Amicorum, ſeu Beneuolentium*; *vt quatuor*, inquis, *Pontificum, duorum Cæſarum, Regum Hiſpaniæ, Cardinalium, præſertim Baronij, Bellarmini, Perronij, Bandini, & Seraphini, Ducum, Principum, & Clariſſimorum totius Orbis Virorum. Cuiuſmodi teſtimonia magno numero extant in* Amphotidum Scioppianarum *libro, & in* Epiſtolis Clarorum Virorum *Coloniæ editis*. Atque his tam magnis nominibus tempeſtate etiam bene ſerenâ tonans, Olympum totum, Iouis æmulus, quatefacis.

XIII. Quid porrò animi, Scioppi, quid conſilij, quid ſententiæ mihi iam eſſe putas? Tam ſub-

limitem

limium ego virorum ſceptra, diademata, paludamenta, thiaras, faſces, apparitores tremo, mente conſternor, totus torpeo, totus horrore perfundor. Nihil contra regerere, nihil obducere, non mutire, non hiſcere audeo. At ita exanimato commodùm Lauanda affundit aquam, fugientemque ſpiritum reuocans, ac recreans, cuncta iſta tua, quæ cenſebantur, tonitrua, nonniſi veſiculæ diſploſæ inanes ſonitus eſſe bellè oſtendit. *Dico*, inquit, *a iuxta diſpoſitionem iuris* l. plenum, §. Equitij, ff. de Vſu & Hab. *verba intelligenda eſſe ſecundùm diſpoſitionem perſonæ, ad quam diriguntur. Vnde qui Scioppio bonum teſtimonium dat, accipitur iuxta ea, quæ foris ficte exhibentur ab eodem Scioppio; tametſi malitia & peruerſitas occultetur: in huiuſmodi autem, acceſſorium non vitiat principale; proinde licet falſum dicant ex apparentibus, non ideò Scioppius in foro iudicij præſumitur bonus, aliunde quàm per teſtes cognitus. Sed demus Scioppio, ex merito & legitimè fuiſſe laudatum: tunc bonus fuit, vel nondum malus apparuit; cui verò dubium, diuerſitatem temporum diuerſificare etiam ſubſtantiam in iudicijs? Hodie quia ſecus apparet, nemo, niſi iners, bonum teſtimonium perhibeat. Ecquid, quæſo, iuuat, cauſſam Iudæ Iſcariotis, fuiſſe aliquando connumeratum Apoſtolis, & laudatum, ſi poſteà proditor audijt? quid Iuliani Imperatoris, celebrem inter Philoſophos habitum, ſi deinde nomen Apoſtatæ tulit? ex horum prædicto de ſeipſo Scioppius ſententiam ferat. Nouerit enim, quàm plures teſtimonijs etiam Summorum Pontificum, & Imperatorum Clariſſimos, deinde ſecuri Carnificis ſubiacuiſſe. Ecquid his profuit, ſubreptitias, an precarias, an etiam ſpontaneas habuiſſe commendationes, & ijs ad tempus iactabundos ſuperbijſſe?* b *Quæ tibi, quum bonus eſſe videreris, ſuffragia fuêre laudationum, hodie argumenta ſunt vituperij, & ignominiæ.*

Idem

a *In Gramm Padie pag.62.* b *Ibidem pag.71.*

Idem aureus torques apud Philonem ornat militem bene de Rege meritum, & ſuſtinet pendentem è furca, ſi praeuaricetur. - Taceo interdum amicos & beneuolos placentia loqui, aut etiam diſſimulare, propter ſpem melioris frugis. Hoc pacto Lauanda tua iſta maximorum Heroum, quos tibi ſuppetias venire contendiſti, occurſacula, & terriculamenta egregiè diſflat omnia.

XIV. Nec dum tamen, Scioppi, tui celebrandi finem facis, ſed alia ſuper hæc ad laudem admirationemque obtinendam teſtimonia à *Cardinali* Bellarmino, à Iacobo Kellero, ab Ingolſtadienſibus Ieſuitis, à Paulo Bombino, ab Emmanuele Theſauro, à Laurentio Forero corrogas, eidemque tuæ literarum *Padia* ſyllabatim deſcripta à *pag.* 30. vſque ad 38. inſeris, quò ſcilicet vincas, Lectorique perſuadeas, te, arbitris, & Cenſoribus etiam Ieſuitis virum & bonum, & magnum, & octauum Sapientum eſſe. At ſummoperè allucinaris, nec quid Ieſuitæ, quum tam plauſibilia tuæ virtutis teſtimonia tibi tribuerunt, ſpectârunt, tecum reputâſti, vel cogitatione tibi depinxiſti. Religioſi quippe viri pro ſuo non vulgari Hæreticorum ad Chriſti Domini ſigna traducendorum, traductosque omni humanitatis genere Catholicæ Eccleſiæ agglutinandi ſtudio, atque Inſtituto; ſi neſcis, quum te eiuratâ iam Hæreſi in Chriſtianum ouile ingreſſum bonâ fide exiſtimâſſent; in id ſedulò incubuerunt ſemper, vt quamuis in te pleraque cernerent, quæ probare non poſſent, & neceſſariò improbanda nôſſent optimè, & maximè etiam improbarent: nihilominùs quicquid in te, vel tuis libris vllam boni ſpeciem præ ſe ferebat, quò te quibuſcunque caritatis officijs delinirent, paulatimque ad omnes dediſcendos errores, nec non ad prauos mores penitùs exuendos allicerent; liberaliter commendarent, ac prædicarent, diſſimu-

lantes

lantes interim prudenter, ſilentioque inuoluentes cætera omnia, quæ grauem alioqui ſeueramque animaduerſionem omnino merebantur; ne fortè, ſi ſcalprum, aut nouaculam tuas in vomicas intempeſtiuè adegiſſent, ipſe tu impotens animi, indignabundus, ac frendens ferendo non eſſes, ſtomachansque præcipuè ſub initium Ieſuitas minùs tibi propitios, aut palàm etiam aduerſarios à te deprehenſos, à Romanâ Eccleſiâ reſilires, atque ad priſtina tua Hæreticorum luſtra propediem repedares.

XV. Hinc Bellarminus in ſuâ illâ ad te Epiſtolâ, quam recitas, quamuis tuum *Eccleſiaſticum* laudat, ita tamen laudat, vt ſimul quoque apertè, ſed quàm modeſtiſſimè indicet, ſe in quibuſdam doctrinæ capitibus à te diſſentire. At quotuſquiſque, Scioppi, ita malus eſt, vt nulla in eo boni particula ſuperet? quis liber, etiam Hæreticorum, ita corruptus, vt in pleriſque cum Eccleſiâ Catholicâ non concinat? Certè noſtræ tempeſtatis Hæretici Deum Trinum, & Vnum, Chriſti Natalem diem, vitam, mortem, deſcenſionem ad Inferos, reditum ad vitam, aſcenſum in cœlum, ad dexteram Patris ſeſſionem, multaque alia Chriſtianæ Religionis dogmata vnà cum Catholicis ſine diſcrepantiâ agnoſcunt, & credunt. Num propterea, cui boni quidpiam hæret, etiamſi nequitiâ aliàs obruatur, ſimpliciter bonus? nugæ. An vitiatus Codex, quia non vbique inſanit, ſimpliciter defecatus, & probus? ſcilicet. Idem de te dictum autuma, Scioppi. Ieſuitæ nonnulla in te, quæ verè & ſine aſſentatione laudare poſſent, notàrunt: laudauerunt. An idcirco tu, qui tot vitijs laboras, ſimpliciter bonus? an tui libri, qui tot ſcatent erroribus, ſimpliciter integri, & honeſti? Somnia. Ecce. Peritiam ſacrarum literarum, *zelum*que conuerſionis Hæreticorum Bellarminus, & Keller nominatim de te

prædi-

prædicant. At innumera alia à te in ſacras literas admiſſa, & frequentata piacula, quorum aliquod ſpecimen Lectori guſtandum iam *par* 2. *cap.* 17. porrexi, tam multiplicia Hæreſis inſignia à te edita, demonſtrant nunc cordatis omnibus, illa Ieſuitarum de tuâ virtute prçconia, non tuis meritis fuiſſe impenſa, ſed de magnâ eorundem Ieſuitarum tui Chriſto adiungendi cupiditate deprompta. Eo vel maximè, quod tuæ improbitatis, atque inſcitiæ vlcera adeo iam extabuerunt, vt reliqua tua omnia, ſi qua erant, promerita, & prærogatiuas aut penitùs aboleuerint, aut turpiſſimè contaminâtint. Atque adeò luculenta iſta Ieſuitarum, quæ affers, de te ſeu teſtimonia, ſeu elogia nihil aliud emolumenti tibi largiuntur, niſi quod in maius tui dedecus, tuâ nequitiâ, atque imperitia exaduerſum pugnante, palàm redundant.

XVI. Verùm quia ſcientiæ, & probitatis laudem à Ieſuitis tibi impertitam, à me tam animoſè abripi ægrè admodum, Scioppi, pateris (quis enim id non odoretur?) age, Lauandam, quid de vtrâque ſentiat, conſulito. Ipſius iudicio ſtare vis? Occidiſti. Sic ille te iugulat. a *Id teſtimonium vel eſt de literis, vel de moribus. Quod ad primum, nemo te Ieſuitarum facile ſupra Grammaticum habuit. Forerus inter alios in ſuo Grammatico Proteo, te merum Grammaticum appellat. Quod Emmanuel Theſaurus* Regem eruditorum *vocet, catachreſis eſt, vel certè intra Grammatici fines hyperbole. Sic & opifices in vrbibus habent ſuos Conſules, baiuli etiam Reges, ſicut & manticularij Neapoli* Regem maiorem; *quin, ſi verum eſt, quod ex amanuenſi meo accipio, Viennæ Auſtriæ, qui Cloacas purgant,* nocturni Reges *dici conſueuerunt. Porrò, te iudice (bene memini) ex Grammaticis* eruditi *dicuntur, quaſi rude ſeu virgâ donati, quales*

a *In Gramm. Padic pag* 71.

quales hodieq; vocantur in Sicilia lictores, *&* apparitores, *quorum ſi te Regem Theſaurus Ieſuita appellârit, per me licet: niſi tu malis eruditus dici, hoc eſt rude ſeu virgâ pulſatus; nam quod ad literarum eruditionem ſpectat, is certè, qui tuas* Suppetias Logicas *notis inuſſit, te rudentem potiùs, quàm eruditorum Regem ſatis oſtendit. Vt ego aliquid de te moderatiùs enuntiem, eruditum dixero, ſed non extra numerum Pædagogorum; quo munere & Romæ, & Mediolani, & alibi vtcunque functus es. Ac tantundem tribuit Pædagogis Quintilianus lib.* 1. *monet enim à Pædagogis exigendum,* vt eruditi ſint, *qui adoleſcentes* erudire *queant. Eoſdem tamen longè infra Præceptores ponit, eoq; in eos animaduertendum cenſet, quod (vt ſemper ſunt ſuperbiſſimi, meri Grammatici) cedere Præceptoribus indignantur, quos idem Quintilianus non eruditos ſolùm, ſed etiam doctos ac peritos eſſe iubet, ac tales exiſtimo eſſe Ieſuitas, quibus Grammaticus Pædagogus Scioppius cedere nollet, cogitur tamen.* Hîc ego paucis, Sciopp i, interfatus, aurem tibi peruello, ſanctéque polliceor, incredibilem tuam Grammaticæ eruditionis ignorationem in propatulo quàm primùm à meo *Dentiſcalpio, Strigili*, ac *Nouacula* collocandam; de reliquâ verò cæterarum diſciplinarum pingui tuâ inſcitiâ, paulò infrà ſpecimen non pœnitendum cernes.

XVII. *Quod ad alterum* (pergit Lananda) *hoc eſt, ad Teſtimonium de moribus attinet, illud tibi melioris notæ commodârunt Ieſuitæ; quia bonum eſſe, & non videri tantùm, candidè crediderunt. Non quæro modò, an tu precario commentitia verba, aut literas ab ijs emendicâris; conſtat te ab illis eiuſmodi literas ſæpius importunè poſtulâſſe; conſtat item illos pro te interceſſiſſe, & te, ne inurbanus videreris, de Ieſuitis ſublatè ſcripſiſſe; eorum inſtitutum ore, & calamo celebrando. Cæterùm etſi aliqui ex ijs, te perſonam callidè*

mentiri animaduertiſſent ex ſtylo mentis, & actionum tuarum, non idcirco defuerunt, primis partibus, & tibi, officij ſui, non tui meriti, cauſſâ, gratiam addiderunt: quàm plurimi tamen hypocriſi tuâ circumuenti ſunt: quid-ni? ſi & Principibus illuſiſti, quos tamen non exiſtimo poſthac præſtigijs tuis irretiendos, vel ſi inſtar Apuleiani Circulatoris ſpatham praacutam mucrone infeſto deuoraueris. Hæc Lauanda.

XVIII. Sed aliud præclarum tuum artificium, Scioppi, è Rhetorices medullis expreſſum hîc preterire tacitus non poſſum. Nam vt Ieſuitarum tuis de prærogatiuis ingenij, multâque virtute teſtimonijs fidei atque auctoritatis vim ineluctabilem addas, ante quàm hæc in tuâ illâ literarum *Tædiâ, pag* 55. & deinceps recites, complura maledicta in Ieſuitas olim à te in tuâ *Stoica Philoſophia*, in tuo *Scaligero Hypobolimæo*, in tuo *Scioppianarum Amphotidum* libro, & longè pòſt in tuis *Paradoxis*, & *Rudimentis* iacta, inibi *pag*. 30. & 31. refers, atque ad verbum exſcribis, aisque hæc omnia ab ijſdem Ieſuitis, qui te commendant, priuſquam te commendarent, viſa fuiſſe. Sed mentiris, Scioppi, prodigialiter, mentiris. Quomodo enim Bellarminus, qui anno CIↃIↃCXXI. viuere deſijt, tua Paradoxa, & Rudimenta, quæ anno primùm CIↃIↃCXXVIII. & proximo CIↃIↃCXXIX. in lucem Mediolani emiſiſti, neque antè cum eo vnquam communicâſti, videre potuit? Num illum tui commenti infucandi gratiâ diuinum, num vatem, num hariolum, num Chaldæum, num ſortilegum fingis? Recede de medio cum his fabellis. At ſi non Bellarminus, inquis, iam denatus, certè reliqui Ieſuitæ in meis libris mea illa conuicia, quibus ego illos apertè verberaui, legerunt. Legerunt certè, Scioppi? Imò certè tu iterum ſtrenuè mentiris. Et næ tu maiorem in modum falleris, ſi à Ieſuitis tam vili tempus, quo nihil pretioſius,

tioſus, æſtimari putat, vt illud tuorum voluminum ludibrijs, atque ineptijs peruolutandis otioſè ac fruſtra velint conterere, nec religioni ſibi ducant. Eris mihi magnus Apollo, ſi modò recenſita tua Opera à Bellarmino, à Kellero, à Bombino, à Theſauro, à Forero, antequam tam honorificè de te, atque ad te ſcriberent, vnà cum tuis illis contumelijs viſa fuiſſe, & lecta exploratis tabulis, vel teſtibus docueris: quod ad Kalendas, opinor, Græcas haud dubiè præſtabis, interim mendacij omnino manifeſtus. Forerus ſanè, non nego, poſt quàm tu in Societatem noſtram debacchari cœpiſti, vt te compeſceret, neceſſe deinde habuit tuas illas librorum quiſquilias non ſine ingenti moleſtiâ luſtrare, quas anteà ne aſpectu quidem dignatus fuerat: reliqui verò Ieſuitæ cuncta tua monumenta ſcombris, mullis, anguillis, piſciculis minutis aptiſſima inuolucra, tineisque gratiſſimas dapes relinquunt.

XIX. At quid poſtremò, Scioppi, vbi cuncta Ieſuitarum de te elogia, vel teſtimonia recenſuiſti, concluſionis loco ſubijcis? aculeatum ſcomma, quod in eâdem literarum *Pædiâ*, *pag.* 36. ita vibras:

De Foreri eiuſque ſimilium confeſsione Scioppij iudicium.

Non accipio à Diabolo teſtimonium, ſed confeſsionem. Inuitus dixit Diabolus, ſed coactus & tortus, ait S. Ambroſius, ſerm. 91.

Verùm quàm nullo prorſus iudicio id iudicium feceris, non operosè iam vincendum. An non enim poſt argumenta tuæ Voluntatis & Facultatis tam externa, quàm interna, Ieſuitas ibidem *pag* 30. tanto in honore habes, vt *Reuerendos Patres de Societate Ieſu* appelles? Extra controuerſiam eſt. Quo pacto igitur paulò pòſt in eodem libello *pag.* 36. perſonam Diaboli ijſdem affingis? Nodum

præclarè ita notat Lauanda: a *Nimium ſanè Diabolum, Scioppi, venereris; adeoq; intereſt fidei tua fidem ab illo fieri, vt vel extortam precibus confeßionem pretioſißimam habeas, ac religiosè venereris, dum pro diſciplina & moribus tuis adhibeatur; cui conſequens ſit, oportet, plures te modios ſalis cum eodem conſumpſiſſe; neque enim mutua familiaritas tantâ neceßitudine & fiduciâ coalita, breui tempore potuit conſiſtere: proinde nec tam rectè quemuis alium inſimulaueris doctrina à Diabolo magiſtro accepta; ne intima conſuetudinis, & fiducia tua cum eodem habita praiudicium facias. Viden' indocte, & impudens Grammatice, quò pracipites? atqui ego ſcio hoc loco Forerum Ieſuitam facilè tibi pro Religioſa ſua modeſtia reſponſurum, libenter ſe hanc, & quamuis aliam calumniam cum Chriſto ferre, Iudaico ore prolatam; quum nequeat Chriſtiano loqui: ego tamen, bona cum eiuſdem venia vindicabo cauſſam, & adſtipulor, Forerum Ieſuitam, etſi Diabolus non ſit, quia de Societate Ieſu, coactum nihilominùs, & tua nequitiâ multis modis prouocatum, de moribus tuis verum teſtimonium perhibuiſſe, at quemadmodum tibi placet, confeßionem extortam edidiſſe;* non ſanè in illis literis ad te datis, quas tu profers, quasque tuæ hypocriſi, tuo deceptus ſupercilio, & vultu induſſit, ſed *in Grammatico Proteo, tum in Appendice, alijsq; editis, & edendis: Te nimirum eſſe mendacem, calumniatorem, indoctum, imprudentem, vafrum, & quidquid ad Categoriam nequißimi ſycophanta* directè, *vel, vt aiunt,* reductiuè *ſpectare poteſt: quod quidem ex parte clariùs explicatur in Grammatico Proteo, pag 155. Te ſcilicet eſſe iuratum veritatis hoſtem, imo & honeſtatis, turpißimè obſcœnum, conſpurcatorem, Arbitri ſaerìcolam, animum gerentem maculoſißimum, nec caſto calamo, nec mente integrâ ſcribentem, exquiſitißimis verbis laſciuum. Et teſtimonium hoc verum eſt, adeoq; clarum, vt non admittat* proba-

a *In Gramm. Padic. pag. 74.*

probationem in contrarium. Ita cenſeo, & ſi opus eſt, vadabor, vbi te Romæ adeſſe intellexero. Hactenus Lauanda ſine fuco, & fallaciâ.

XX. Sed quorſum, inquiet aliquis, tam longa de tuorum diplomatum, literarum, ac teſtimoniorum venditatione contentio, & diſceptatio? nempe vt tuæ ſuperbiæ, atque hypocriſis cornua prælonga & ramoſa ſpectanda rurſum Lectori ingererem, & quæ in anfractum conuoluta adhuc reſtabant, hîc planè explicarem. Nam quid, obſecro, Scioppi, totâ tuâ iſtâ literarum *Pædiâ* moliris? quid contendis? Pietatem tuam collaudas, doctrinam tuam prædicas, ſapientiam tuam exaggeras, ſtudium tuum Catholicæ Religionis promouendæ extollis, tua omnia virtutum ornamenta amplificas, atque hæc cuncta Principum, Illuſtriumque Virorum elogijs velut totidem furcillis, & ferculis in cœlum euehis; nos verò omnes varones demiſſis auriculis ſtupemus. At tu quid, rogo, hinc tandem efficis? vt tua portentoſa arrogantia, faſtus, contumacia, atque hypocriſis in omnium oculos incurrat.

XXI. Quid quod in eodem Pædiæ libello, homo profane, Lutheri ſcholâ, in ſpeciem ſaltem, relictâ, nihil tibi in Eccleſiâ Catholicâ probari, omnia à te reformata velle, proſcriptis tabellis, impudentiſſimè denuntias? Num tua hypocriſis ac ſuperbia in altius iam faſtigium poteſt euadere? Relege ſis mecum vtriuſque veſtigia. Recens olim ab Hæreſi, præſtigiator verſipellis Romam petis, hinc ad Archiducem Ferdinandum Græcium migras; inde in Italiam redis, ex Italiâ nauigas in Hiſpaniam, perque Aulas Principum, Regum, Cæſarum, atque Pontificum eundo, ac redeundo complures annos vagaris. Cuncta Catholicorum munera, & functiones curioſè inſpicis;

nulli eorum album calculum apponis, omnia limis, & tranſuerſa hirquis ſpectantibus intueris. Venis Grammaticorum Alpha in Grammatices Gymnaſium, nil vltra ſapiens; & ſtatim mortales omnes ab orbe condito in eâ tradendâ cæcutiuiſſe, nouâque Grammaticâ, hoc eſt, tuâ opus eſſe clamas. *a* Mox in Rhetoricæ, ac Dialecticæ claſſes pedem infers, & in his quoque aberratum à ianuis vociferaris; tuâque recenti Logices, & Rhetorices *Pædiâ b* vtriuſque facultatis apices vnius anni ſpatio facilè attingendos ſpondes. Ingrederis deinde Philoſophiæ Lyceum, & hanc quoque perperam enucleatam quereris: tuâ nihilominùs Phyſices, & Metaphyſices nouâ *Pædiâ c* vnico anno probè addiſcendam polliceris. Penetras te exinde in Theologiæ ſacraria, & hanc etiam à Scholaſticis Doctoribus fœdè deformatam doles; at nouâ tuæ diſciplinæ Scholaſticæ *Pædiâ d* nullo negotio, ſuo reſtituendam nitori aſſeueras. Hinc in ſacrarum adyta Scripturarum intras, & has pariter ineptè interpretatas expoſtulas: tuâ tamen nouâ Theologiæ Didacticæ *Pædiâ e* diuinè emedullandas, penè iuras. Spatiaris poſteà per Aulas Principum, & hos quoque prauâ imbutos Politicâ deprehendis, quibus proinde nouam tuam Politices *Pædiam f* è Macchiauelli libris expreſſam, peſtem quâuis cicutâ, & veneno nocentiorem propinas. Irrepis demum in Summorum Pontificum, *Cardinalium,* atque Epiſcoporum Baſilicas, *g* in Monachorum, & Religioſarum familiarum clauſtra, in Sacerdotum, & Clericorum ædes, in profanorum denique omnium domicilia, & officinas: omneſque cuiuſmodi gradus vel condi-

a *In Præfat Grammaticæ.* b *In Pædia human. & diuin liter pag* 10. *&* 15. c *Ibid pag.* 10. & 15.
d *Ibid pag* 9. *&* 13. e *Ibid pag.* 11. *&* 19.
f *Ibid pag.* 11. & 17. g *Ibid pag* 12. 19 20. 21.

conditionis Ordines è Dei regno iam excidiſſe, à vitæ æternæ tramite longè delirare, ad Orci fauces magnis itineribus rectà properare, dilucidè affirmas.

XXII. Quid ergo conſilij ineundum, Scioppi? Peribunt vniuerſi, errabundi ſine ductore? ægri ſine medico? vulnerati ſine ſuturâ, ac faſciâ? Imò ſuppetias ego tempori adueniens, inquis, cunctos in viam ſalutis reduco, nouamque *Theologiæ Catorthomaticæ Pædiam,* a *ad dirigendam, & corrigendam, & perficiendam conſcientiam, & vitam,* ijs ſuppedito, aioque diſertiſſimè hanc eſſe *reuera artem ſeruandi animas,* I. *Summorum Pontificum,* II. *Regum & Prinoipum.* III. *Epiſcoporum, & Cardinalium.* IV. *Monachorum, & Clericorum, Regularium, & Secularium.* V. *Zelotarum quorumcunque, ſiue eorum, qui ſpirituales & deuoti inueniri poſtulant.* Nunc enimuerò omnes quotquot in Chriſtianâ Repub. numerantur, acceptis à te tam præſentaneis decoctis, amuletis, catapotijs, alexipharmacis, reuiximus; ac vide, quàm bene de cunctorum ſoſpitate meritus ſis; niſi tu, nouus Aſſertor Orbis, Scioppi, Comes Illuſtriſime à Clarâ Valle, mortalibus denuò illuxiſſes, omnium ſalus erat penitùs conclamata, omnes nos obſcuris inuoluti tenebris, ſempiternis incendijs deuoti, æternùm morituri, vitam inconſolabilem viueremus. Vnum tamen eſt, quod maximè admiror, quum artem ſeruandi animas reliquorum omnium commentus ſis, nullam adhuc ſeruandæ tuæ à te excogitatam. Infrunita, & præpoſtera caritas. Pergo. Vno poſtremùm verbo, Deus vis eſſe, Scioppi, maiuſque hominibus Numen, inſtar nempe Simonis illius, *qui antè fuerat in Ciuitate magus, ſeducens gentem Samariæ, dicens ſe eſſe aliquem magnum.* Sed vbi is Samariam à pietate deducere conatus

a *Ibid pag.* 10. b *Act.* 8.

eſt, tu vniuerſam Romanam Eccleſiam, Chriſtianam Rempub. inſtaurare Vulcani, vel potius Lutheri pronepos, anniteris, hoc eſt multiplicem Hæreſim in Catholicam Eccleſiam inuehere, vel Catholicam Eccleſiam ad Hæreticorum lupanaria transferre, ac proſtituere ſtudes. Vnde quanta tua ſuperbia ſit, quàm proiecta audacia, quàm perfrictæ frontis hypocriſis, ſatis perſpectum eſt.

XXIII. Sed antequàm hinc abeo, operæ pretium exiſtimo, an quid aliud conſilij te ad iſtam tuam literarum *Pædiam* tam quæſtuoſam tuæ ſuperbiæ, atque hypocriſis nundinationem coagmentandam impulerit, quærere. At nullâ quæſtione opus, quum ingens abditumque myſterium Lauanda ſagaciter admodum odoratus, ita in lucem extrahat. *a Gaſpar Scioppius libellis notior, quàm Comitatu nobilior,* quum ob tæterrimas calumnias, Diuis, atque hominibus ſtructas *humana, diuinaq; Maieſtatis reus, caput legibus ſacrum,* iam diu *fugitiuus, ſolius conſcientiæ flagello actus, ne alicubi inter manus ad tribunal ſiſtatur, circumferret,* poſt varios circuitus, atque errores metu trepidus Patauium tandem conceſſit. Auxerunt *hanc formidinem Laurentij Foreri Ieſuitæ Germani plures Apologiæ, præcipuè Appendices vtriuſque Maieſtatis vindices, quæ iniurias lutulenti hominis, ore & calamo fuſas, leni primùm ac leui detergunt manu: deinde verò maniam ipſam Scioppianam, varijs intectam perſonis, prorſus ad opprobrium denudant, atque ipſiſſimum Gaſparem Scioppium in Orbis Scena ſpectandum producunt.* Ne igitur eâ quoque in vrbe *fugitiuarius rumor* illum *in medio foro proſcriptum oſtenderet*, quid fraudis, & ſycophantiæ fabricatus eſt? Pædiam humanarum ac diuinarum literarum ibidem ſtatim callidè *in vulgus miſit, quaſi teſtatus;*

Non

a In Gramm. Pædic. pag. 1.

Non ego ſum, quem Fererus Ieſuita digito demonſtrat, ſed longè alius, qui ſcilicet ob virtutem & eruditionem meam iam dudum ſum Notus, et Eois, Notus et Hesperiis. *Neque huic Soli lucem eripit vlla quantumuis pinguis nebula à Ieſuitis offuſa. Atque hic eſt ſcopus Scioppianæ Padiæ.* Hæc Lauanda. Ex quibus magnum, Scioppi, tuæ ſuperbiæ, atque hypocriſis auctarium compertum eſt.

XXIV. Verùm priùs, quàm tam manifeſtæ vtriuſque iſtius tuæ vitioſitatis notas abſolno, lubet ex te, qui arrogantiam, hypocriſimque Ieſuitis tam ſæpe exprobras, ſciſcitari in præſentiâ, ecquis toto noſtro ex Ordine, quem tu adeò deſpicis, de ſe ita magnificè, ac tu de tuis nugis, loquatur? ita ſe efferat? ita paratragœdiet? Si Religioſam ſuam familiam celebrant, iure; vt alij, quiſque ſuam. At nemo de Societate Ieſu, nemo ſe, vel ſua, vt tu te, & tua, venditat. Fac verò etiam aliquem ſibi quidpiam tribuere. At quis, rogo, tam plenis buccis, vt tu, ſuos honores, ingenium, virtutes, merita, opera, & miracula prædicat? Cedò mihi, non cohortes Ieſuitarum, non manipulos, non perexiguum numerum, ſed vnum dumtaxat, vnum tantùm, qui tuæ hypocriſis, & ſuperbiæ imaginem aliquam adumbret, vel referat. Hic tua mendacia non proſunt, calumniæ tuæ pereunt omnes. Pari iure mecum decerta. Ego allatis in medium pugillaribus tecum dimicaui; tuiſmet libris ac ſtylis te confodi; tuis è Codicibus tanquam ex armamentario arma tuum in caput eduxi; teſtes tuis ex verbis, non aurâ dumtaxat iactatis, ſed publico etiam typo exceptis aduersùs te excitaui. Redde iam vices, & mutuum fac, ſi audes. Ieſuitam mihi vnum ita ſuperbum, ita immodeſtum, ita arrogantem, ita faſtuoſum, hypocritam, ventoſumque, vno verbo, tibi gemi-

num proprijs ex verbis ipſius depingito, vt ego te ad viuum expreſſi. Age Societatis noſtræ volumina omnia volue, reuolue, percurre, excute, perluſtra. Si æqualia tuæ iactantiæ, atque hypocriſi, quid dico æqualia? ſi affinia tantùm, vel ſimilia veſtigia deprehenderis, per me omne tuæ hypocriſis, & ſuperbiæ piaculum illicò expiaueris. Interim quia tibi eruditorum regulo ignotum eſſe non poteſt, Alcibiadi ſplendidum ædium Platonis apparatum irridenti olim, ſeque Platonis faſtum calcare glorianti, acutè à ſollertiſſimo Philoſopho extemplo fuiſſe repoſitum: *Calcas maiore faſtu:* idem ego hîc tibi meritò occino. Tu Ieſuitis ſuperbiæ, atque hypocriſis crimina falsò allinis, hoc ipſo criminationis nomine longè ſuperbior, & multò maior hypocrita. Scilicet Ieſuitæ, qui honeſtatum ac dignitatis cuiuſcunque recuſationem vouent, arrogantes ſunt, hypocritæ ſunt. Tu, Scioppi, qui tot affectas titulos, qui in tui gloriatione exaggerandâ totus es, qui cuncta ſuperbiæ, atque hypocriſis argumenta præbes, demiſſi animi es, Chriſtianæ humilitatis exemplar, ſpeculum ſine næuo Religioſæ ſimplicitatis.

XXV. At tempus, Scioppi, iam eſt, vt ſubductis tandem cunctis rationibus, tuæ Hæreſis Verrucam, cuius gratiâ hæc à me ſunt diſputata, in apertum proferam. Superbiam omnium Hæreſum matrem eſſe, iam ſuprà ex D. Auguſtino intellexiſti, hypocriſim ſuperbiæ primariam cenſeri ſobolem, & Magnus Gregorius Pontifex palàm docet, & cæteri ſancti Patres ſingulari ſuffragiorum conſpiratione aſſentiuntur, & apud omnes ſacros Doctores vulgatum eſt. Quum igitur præter alias tam multas tuæ hypocriſis, atque ſuperbiæ tabulas & documenta, quæ antè iam expendi, hæc quoque Diplomatum, Literarum, Elogiorum, ac Teſtimoniorum crepitacula, tibias, ſiſtra, fiſtulas,

las, & tympana concrepueris, ſatis iam tuæ Hæreſis tubera extuberant.

Cap. V.

Verruca quinta Scioppianæ Hæreſis, effrænis omnium Ordinum maledicentia.

1. Capitonibus, & refractarijs Iudæis ſolemne fuiſſe, vt à Chriſto Domino quà rationibus, quà exemplis, quà miraculis victi, domitique, veritati tamen minimè ſe dederent, ſed ad perfidiam durati, veritatem ingerenti contumelias & maledicta regererent, ex diuinâ Euangelij hiſtoriâ teſtatum, Scioppi, eſt. Non audire ipſos Dei verba, *a* quia ex Deo non eſſent, veriſſimè Aſſertor Orbis monuerat. At illi cœleſti monitori pro verbis probra rependunt, Samaritanum & Cacodæmonis mancipium appellant. Nimirum quia *ratione ſuperati ſunt*, vt probè à Ruperto animaduerſum, *b furioſè ad conuicia proruunt*, aut *quia conuicti ſunt*, vt illic notat Gloſſa, *non eſſe filij Abrahæ, vel Dei, ſed Diaboli; ingerunt conuicia: quia non poterant ipſi aliter reſiſtere.* Hanc verò obtrectandi detrahendique libidinem quàm ſtrenuè imitentur, atque æmulentur Hæretici, planiùs omnino autumo, quàm vt vllo teſte, vel oratione indigeat. Eorum certè linguæ, & calami, non linguæ, neque calami, ſed tela & ſagittæ ſunt, quæ omnium famam, atque exiſtimationem feriunt, ſauciant, perimunt. Meritò proinde à D. Hieronymo literis mandatum eſt, *c Sagittam per diem volitare per Hæreticos in ſanctarum intelligentiâ Scripturarum*, quod ſcilicet ipſa ſpicula,

a *Ioan.* 8. b *In ea verba Io.* 8. Nónne benedicimus, &c. c *Lib.* 2. *aduerſus Pelagianos.*

flagitioſâ ſacrorum verborum interpretatione, vel vſurâ, tanquam veneno illita, quò vulnus grauius infligant, ſæpenumero eiaculantur. Quâ ſanè in arenâ & tu quoque, Scioppi, vetus Laniſta & Lanius, non facilè palmam tibi ab vllo conuiciatorum, quum omnes planè Chriſtianæ Reipublicæ Ordines, ſacros & profanos impudentiſſimæ obtrectationis ſtylo lancinaueris, eripi patieris. Quod ne per calumniam tibi impingere videar, partitè iam de ſingulis periculum, age, faciamus.

§. I.

Scioppius omnium Religionum cœtus maligno dente ferit.

II. Ordior primùm à Religioſis cohortibus Deo ſolemni ritu authoratis, quas Hipponacteis præconijs à te eſſe addictas, atque in infamiam populo poſitas, & indigniſſimè fero, Scioppi, & meritiſſimò criminor. Nam quàm grauiter Religioſis familijs, quæ mendicantes vocantur, dum in tuâ *Aſtrologia Eccleſiaſtica cap 20. pag. 74. prædicandi prouinciam nemini rectiùs mandari, quàm Monachis Hoſpitalitatis, & Beneficentiæ lege obligatis* ſtatuis, ignominiam inuris, à quibus, quanquam eximiâ doctrinâ, nec vulgari ſanctimoniâ floreant, tamen quòd hoſpitalitatis officia non vſqueadeo præſtent, vt Monachi, qui tibi offam, atq; offulas tam liberaliter non ſemel ſuppeditârunt, Concionatores ſacros nonniſi ineptos, aut parum idoneos Eccleſiæ Chriſti ſubminiſtrari non obſcurè cauillaris? quàm iniurioſè Patres Franciſcanos, velut delicatos perſtringis, quos ibidem *cap. 6 pag. 22.* ais, *Si toto anno nihil aliud piꝫ homines ijs præbeant, quàm nectar & ambroſiam, ea cum gratiarum actione ſine vllo periculo ſumere poſſe;*

& *cap* 9. *pag*. 34. *Nihil officio egredi, ſi expedias & ſcitamenta comedant, quibus donantur?* quàm nefariè in tuâ *Anatomia, pag*.48. Patribus Capuccinis, quorum Religioſæ virtutes atque innocentes mores Orbi Chriſtiano ſpectatiſſimi ſunt, duo fœda imponis crimina, tum quòd Bibliothecam Collegij Paderbornenſis à Duce Brunſuicenſi Ieſuitis per vim non ita pridem ereptam, ſibiq́ue dono datam, rem ſcilicet alienam inuito domino, iniquè retinuerint; tum quod facinus graue ac ſcelus, quod inibi narras, contra caritatis & iuſtitiæ leges euulgârint: quorum vtrumque vt falſum, & ab explorat⁹. tam Religioſorum virorum integritate longè alienum; ita à te dumtaxat per ſummam fraudem atque impudentiam cum inſigni eorum probro excogitatũ eſt? Præ quo ludus profectò & iocus eſt, pleraque te in eorundem Patrum Capuccinorum ſimplicitatem garrire ſolitum, vt ex Epiſtolâ Benedictini Monachi, apud Forerum, in *Protei Appendice, pag* 438. multoq́ue magis ex tuo conuiciandi more perſpectum eſt.

III. Parúmne verò, Scioppi, iniuriæ Sanctiſſimis Ordinibus prætereà tu conflas, quorum auitam & communem inter ſe pacem, dum ad certamen prouocas, & mutuas inter illos diſcordias ſeris, malignè turbas? parúmne Patribus tum Benedictinis, tum Franciſcanis, quos exitioſis de paupertate diſſidijs, quanquam pingui errore excitatis, vt ſuprà *part*.2. *cap*. 10. vidimus, mutuò non ſine ingenti inuidiâ committis? parúmne S. Dominici, & D. Franciſci aſſeclis, de quibus in tuâ *Aſtrologia, cap*.10. *pag* 34. intempeſtiuè omnino, atque extra crepidam ſcribis: *Habere cur ſententiam mutent, quibus magno errore, rerumq́, ante nos geſtarum imperitiâ adhuc perſuaſum fuit, quo tempore S. Dominicus, & S. Franciſcus in Orbem terrarum miſſi fuerunt, omnem penè virtutem ac pietatem in Ec-*

eleſiâ fuiſſe extinctam? parúmne tam varijs multisque alijs Religioſis cœtibus Monaſteria, quæ olim in Benedictinorum poteſtate erant, deinde auctoritate Apoſtolicâ alteri addicta Ordini, hodiernâ etiam tempeſtate incolentibus, vt *part. 2. cap. 4.* oſtendi, quos omnes inexpiabilis ſacrilegij reos eâ de cauſsâ in tuâ Anatomiâ *pag.* 15. & 86. vt ibidem docui, eſſe pronuntias? parúmne cunctis trium prouinciarum Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ Monaſterijs, quibus Parœciæ non paucæ ſubiectæ ſunt, atque à Religioſis illorum Viris gubernantur, quos ferè omnes, dum in tuis *Arcanis Societatis*, *pag.* 164. refers, luſtratione iuſſu Pauli V. Pont. Max. peractâ, *ſex omnino Sacerdotes, qui non eſſent Concubinarij, in tribus illis prouincijs eſſe inuentos*, velut concubinarum mancipia Orbi vniuerſo obtrudis?

IV. At quid inhoneſtius, vel execrabilius, Scioppi, ſacris hominibus obiectari poteſt, quàm pleroſque Catholicorum ob eorum corruptelas, ad Hæreticorum popinas, Eccleſiâ Romanâ deſertâ, migrâſſe, tum ipſoſmet Antiſtites, qui exemplo cæteris prælucere debuiſſent, ventri dumtaxat & gulæ litauiſſe? Mentior ego flagitioſiſſimè, niſi tu hæc omnia dehoneſtamenta in tuo *Scorpiaco pag* 10. ad D. Ioannem *Regularium Præpoſitum* S. Crucis Auguſtæ anno CIƆIƆCXII. exarâſti; Monachisque atque *Abbatibus* ingeſſiſti, quos tam perditè ſe geſſiſſe affirmas, vt *propter* eorum *Epicuriſmum morumq́ diſſolutionem parentes & aui* Hæreticorum in Germaniâ *diſceſſionem à Romana Eccleſia* ſuperiore ſeculo *fecerint*: pauloque pòſt memoras, *alicubi diſciplinæ Monaſticæ inſtaurationem morumq́ in priſcam innocentiam ac ſanctitatem reformationem ideo fruſtra tentatam fuiſſe, quòd Abbates, ac Præpoſiti leges quidem egregias probè figere, earumq́ obſeruantiam auſteritate ac metu ſancire di-*

diciſſent,

dicissent, ipſos autem intereà cum domeſticis aduenisq́ cuticulam molliter curare, maioremq́ fructuum Monaſticorum partem gulæ, ventriq́ pollucere, nihil ad rem referre exiſtiment.

V. Sed num poſteà ab illo anno cIↃIↃCXII. in gratiam, Scioppi, cum Monachis redijſti, ijsque maculâ, atque ignominiâ notandis temperâſti? Imò tuâ in *Anatomiâ, tabulâ* 13 *pag.* 19. (quamuis eos propagandos ſuſcepiſſe videri cupis) tauri inſtar illos inuadis, atque ijs *fermentum quoddam ob Ieſuiticam diſciplinam inhærere* teſtificaris, *vt munditiem in ſupellectili ac re diuinâ, tum quandam geſtuum ac ſermonis concinnitatem conſectentur, caritatis ac miſericordiæ non æquè memores; ſed in vectigalibus magnâ acceſſione & incremento amplificandis, & præſidijs fundisq́ continuandis curam omnem & cogitationem defigentes; vnde fieri neceſſe ſit, vt alij eos velut Auaros contemnant, & oderint, omniaq́ eorum opera ludibrio habeant: alij eos propter nomen ſanctitatis, quod habent, imitentur, eoq́ pacto Deus auaritiæ peccato per totum corpus pertinente, grauiſſimè offenſus, & ſuæ parentans iniuriæ, ſuper Germaniam effundat indignationem furoris ſui, & forte bellum, & comburat eam in circuitu*, Iſaiæ 24. Hæc & ſimilia in alios à noſtro Religioſos Ordines, ac viros quàm contumelioſè, à te Scioppi, dicantur, ſapientum nullus ignorat.

VI. Verùm in nullos magis inueteratam tuam maledicendi licentiam, quàm in Ieſuitas laxatis habenis immittis. Quatuor ſupra decem libellos famoſos, & ampliùs, omni conuiciorum genere refertiſſimos in eos iam dudum luci commiſiſti. Ex his vnicam ſolamque tuam *Anatomiam*, vt cæteras Satyras tuas in præſens diſſimulem, ſi vel primoribus labris degusto, quid non iniurioſum, quid non acerbum, quid non dedecórum, quid non aſperum è ſingulis plagulis ſeſe profert, atque

in faciem exit? Ieſuitas ibidem *pag.* 21. clamas, *Bellorum Ciuilium eſſe incentores atque tubicines.* Rurſum *pag* 41. tua vox eſt, Noſtros *Superiores plerosque Phariſæis perſimiles, introrſum turpes, pelle decorâ ſpecioſos.* Inſuper *pag.*20. *Ieſuitas* rumificas, *velle vtilitatis ſuæ cauſâ, in Pontifice dominandi libidinem accendere, eiq; ſuadere, vt poteſtate vtatur, quam non habet, & auctoritatem Apoſtolicam ad ea conferat, quæ potiùs deſtructionis ſunt, quàm ædificationis, dando monaſteria Cardinalibus, & Nepotibus in commendas, & annuis penſionibus illa onerando.* Quid præterea? *pag.* 85. decernis, *Ieſuitas Satellites eſſe Anti-Chriſti ſapientes carnalia, vel beſtialia.* Quid aliud? *pag* 41. *Si Roma euoluantur Patris Generalis ſcrinia, ne vnum quidem in tota Societate virum bonum inuentum iri, ſaltem eorum, qui Româ abſunt longiùs, nec Generali noti ſunt.* Quid poſtremò? *pag.* 79. *Hodiernos Ieſuitas à Ieſu & Ignatij quum doctrina, tum exemplo deſciuiſſe, vt ſiue Gentilium, ſiue Phariſæorum nomen multo meliore iure, quàm Chriſtianorum, aut Ieſuitarum, in eos conueniat.*

VII. Hæc atque alia opprobramenta tam in Societatem noſtram, & Socios, quàm in cæteros Religioſos Ordines, ac Viros à te edita, quum à Forero noſtro in *Antanatomia*, atque in *Proteo* eliſa penitùs iam ſint, ſecurus omnis næui hîc recito, Scioppi, tuæ maledicentiæ in familias, hominesque Religioſos euomitæ documenta tantummodò conquirens, quæ quum eſſe luculentiſſima iam planum fecerim, vltra verbum non addo.

§. II.

§. II.

Scioppiana maledicentia in Sacerdotes, & Clericos furit.

I. Quàm illoto ore, venenatoquẽ calamo in cunctas Religioſorum hominum ſtirpes, Scioppi, inclementer ſæuieris, iam iam velut in imagine ſpectauimus. Nunc quo pacto externos Sacerdotes, & Clericos Religioſæ diſciplinæ lege ſolutos, vnaque cum profanis ferme degentes tractâris, periclitemur.

II. Atqui iam ego periclitatus ſum. Nam ſex tantùm Sacerdotes in tribus Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ prouincijs, qui Concubinis obærati non fuerint, repertos eſſe, quorum pars maxima non è Monachorum Ordine vtique erat, te fabulantem paulò antè produxi. Sed atrox iniuria, quâ Sacerdotalis dignitas à te laceratur, non fabularis ſanè, ſed vera omnino eſt, vt conſtat. Nihil lenius Clerici quoque à te, Scioppi, expectent. In tuâ *Anatomia, Tabula* 13. *pag.* 19. iam laudatâ, nónne cœno illos planè oblinis, quum palàm vociferaris, *fructum Societatis deprauata eſſe etiam Epicuriſmum Sadducaeorum, ſiue Clericorum ſaecularium, qui ſic viuunt, vt nec Reſurrectionem mortuorum, nec Angelum, aut Spiritum credere videantur?* quum in *Conſultatione Fratris Iuniperi, pag.* 66. *Clero* Germaniæ vniuerſo horrendorum ſcelerum *Epicuriſmi* rurſum, atque *Atheiſmi* fœdiſſimam labem infamiamque adſpergis? quum eodem loco vitam eiuſdem *lutulento porco, quàm homine, digniorem* conſtituis? Et quiſquam ampliùs de tuâ virulentâ Sacerdotibus, & Clericis obtrectandi malignitate ambigat? Sed quàm immanis, & pluſquam flagitioſa tua iſta criminatio eſt, tam profectò falſa, atq; impudens, nonniſi ab animo, aſpidis,

& baſiliſci aconitis imbuto, hoc eſt, tuo, ad pluri-morum integerrimorum, totiusque Eccleſiæ Ca-tholicæ dehoneſtamentum, intorta.

§. III.

Scioppij maledicentia ſacros Præſules, Epiſcopos, & Cardinales *exagitat.*

I. Verùm tuam, Scioppi, obtrectandi Religioſis viris, Sacerdotibus, & Clericis nequitiam, ac te-meritatem haud ſatis procacem exiſtimâſti, niſi eam quoque illuſtriſſimorum Antiſtitum, atque Epiſcoporum infamiâ nobilitares.

II. Quis enim, cui pectùs ſapit, tibi intolera-bilem, quàm Apoſtolico muneri irrogas, iniuriam etiam atque etiam non ſuccenſeat, quum cernit te in *Anatomia, tabula* 13. *pag* 19. *inter Societatis depra-uata fructus* numerare *Epiſcoporum inhabilitatem, & ineptiam ad munus ſuum*, atque ita indiſcrimina-tim, cœcoque impetu in quoſcunq; eorum etiam innoxios debacchari? quum in tuâ *Fratris Iuniperi Conſultatione, pag.* 34. legit, iiſdem Epiſcopis ſupi-num planè ſui neglectum officij à te vitio verti, nec non *contaminatos*, vt qui *nec ſciant, nec faciant, nec velint facere*, eoſdem appellari? quum animad-uertit idem abs te infrà *pag.* 74. ibidem repeti *om-nes Germaniæ Epiſcopos eſſe contaminatos*, addique propterea *Deum offenſum, eam dediſſe ad internecio-nem, & blaſphemiam?*

III. Sed quò impudentiæ, quo veſaniæ tuâ in *Aſtrologia* non raperis? quid contumeliarum, quid opprobriorum in infulata capita illic non ingeris? Age, eructa, excrea. Meminiſtine, quæ tibi *cap.* 8. *pag* 32. ibidem exciderint? *Incircumciſæ ſunt Epi-ſcoporum plerorumque aures, & audire non poſſunt.*

Recogno-

Recognoſce; tua ſunt verba. Quid paulò pòſt adieceris? Epiſcopi *ſe fructuum Eccleſiaſticorum Dominos eſſe credunt, nullaq́ obiectâ religione, peccata populi comedunt, etiam quum vix tertiam muneris ſui partem implent.* Recognoſce; tuæ voces ſunt. Quid mox ibi ſubdideris? Epiſcopi *opum ſacrarum fures, & raptores, & patrimonia pauperum depeculantes.* Recognoſce; tui ructus ſunt; Quibus omnino congruenter anno cIↃ ↃcXXXV. Nonis Iunij in Murenſi Benedictinorum *Monaſterio*, quum inauſpicatus hoſpes conuiuio ſuperueniſſes, *Illuſtriſſimos Archiepiſcopos, & Epiſcopos, inuerecundè furens, latrones, venatores, & ne mercenariorum quidem nomine dignos, vniuerſim, & nullo per Imperium excepto* (quemadmodum Benedictinus Monachus, qui menſæ tum quoque aſſedit, teſtisque auritus, & oculatus fuit, ad Rectorem noſtri Collegij Lucernenſis datâ Epiſtolâ, quæ apud Forerum *a* preſtat, ſcribit) *aſſeruiſti.*

IV. Adde nunc hiſce conuitijs, ſi quid potes, Mora nulla eſt, nec leue ignominiarum auctarium in promptu. Epiſcopos ferè cunctos in auaritiæ, fraudis, rapinæ, ſacrilegij, impietatis multiplex crimen vocas. Nam *cap* 6. eiuſdem *Aſtrologiæ, pag.* 23. & 24. in margine doces, *Epiſcopos oportere Paupertatem colere, ſed onéroſam; aliter eſſe Principes fatuos, & fraudulentos, & raptores, & ſacrilegos, & homicidas, & Atheos diuinam prouidentiam non credentes.* At enim è tuâ ſententiâ, Scioppi, vix vllus Epiſcoporum talem paupertatem colit. Quid igitur his facies? omnes propemodum in fatuorum, fraudulentorum, raptorum, ſacrilegorum, homicidarum, ac *Atheorum* gregem rediges? omnino. Sic quippe *cap.* 15. *pag.* 55. apertè ſciſcis. *Hoc ferè peccato vitioſi Eccleſiæ Principes tenentur, vt aut auari ſint, quod eſt idola colere, aut Athei, ſeu impij, res humanas*

Deo

a *In Protei Appendice pag.* 433.

Deo curæ eſſe minimè credentes. Nec minùs enucleatè eodem loco in margine: *Per Monachorum pſalmodiam omnes Hæreticorum conatus ſiunt irriti, niſi Epiſcoporum Auaritia, & Atheiſmus eis ſuffragaretur.* Quò etiam pertinet, quod illic pariter *cap. 8.* criminaris, *Epiſcopos Auaritiæ, & Mammonæ ſeruire, Deosq; alienos colere.* O ferreum tuum os, Scioppi! ô infamem cálamum!

V. Quid iam dedécorum, quid macularum reſtat? Cunctos Epiſcopos, qui ſubiectos ſibi populos Scioppiana Grammaticâ hoc eſt, tuâ deinceps vti, vetere penitùs proſcriptâ, non cogunt, in tuo *de Scholarum ratione* libello *Conſultat. 4. pag. 107.* pronuntias in culpâ eſſe quum temporis, tum pecuniarum iacturæ, quam ijdem populi in quinquennij victum expendentes faciunt, quos *frugibus diuino beneficio inuentis, adhuc in ſiluas amandant, & concuſſa quercu glandes legere, & porcorum conuiuas fieri* ſubigunt. At in porcorum haras tu non populos tantùm, ſed Epiſcopos quoque; pro tuâ in eos ſummâ obſeruantiâ, compellis. Suarius profectò tu non minùs fœdus, quàm falſus. Nam vnde, niſi ex haris ſimetum illud, quod in tuam Relationem Vargianam *cap. 50. pag. 109.* traduxiſti, eruere potuiſti? *Dolendum,* ais, an fremis? *dolendum Epiſcopos legi ex medio porcorum.* Satin' hoc furioſè? Extemplo poſt, pari rabie, ac temulentiâ: *Iuſtiſſimam dolendi, ac populi ſortem deplorandi cauſſam,* inquis, *habent, quum Epiſcopos ex ſuilibus, aut porcorum caulis, ſiue haris legi vident, qui nutriti in croceis, amplexantur ſtercora,* Thren. 4. Cuius tui dicti conſequens, Scioppi, ineluctabile, vt vides, eſt, omnia *Canonicorum,* vt appellantur, Collegia, è quibus leguntur Epiſcopi, velut in Germaniâ, porcorum ſtabula, ipſoſque Epiſcopos porcos, ac ſues à te nuncupari. Quibus tam immanibus execrandiſque iniurijs quo pacto ſplendidiſſimum Epi-

ſcoporum Ordinem tua maledicentia magis onerare queat, vt penſi tu non habes, ita ego vix diſpicio. Nam vt nonnemo ex his ſuo deſit muneri; *de omnibus tamen aut pleriſque tam horrida, tamq; infanda aſſeuerare*, vt ſapienter te vrget Forerus, a *extrema profectò eſt improbitatis.*

VI. Iam quum Epiſcopos tam inuerecundâ linguâ, calamoque, Scioppi, dehoneſtaueris, malè ego *Cardinalibus* metuo, quos tuæ immunes excandeſcentiæ abituros, ægrè mihi perſuadeo. Vis modò explorem, quid reuerentiæ eorum tribueris? Euro ocyus pareo. Túne reuerentiæ officiũ cenſes, quòd tuâ in *Anatomia, pag.* 60. Purpuratos illos Patres, operæ ſecordiùs impenſæ, quaſi Collegio Germanico morum magiſtrum nonniſi hominem deterrimum præfecerint, petulanter, ac falsò prorſum accuſas? reuerentiæ, quòd in *Conſultatione Fratris Iuniperi, pag.* 35. & 36. proruptâ audaciâ affirmas, *Sacrilegium* eſſe, & Spiritui ſancto aduerſari, quoties Summus Pontifex *monaſterium* aliquod alicui ex *Cardinalibus in commendam* concedit? reuerentiæ, quod ibidē clamas, id nihil aliud eſſe *quàm res Deo ſacras dare lupis in prædam?* reuerentiæ, quod hinc neceſſariò efficis, quotquot ab initio *Cardinales* vixerunt, vel etiamnum ſuperant, qui aliquod eiuſmodi *Monaſterium* Pontificiâ auctoritate adepti ſunt, in prędonum, luporumq; numero eſſe ponendos? reuerentiæ, quod *Cardinalis* Bellarmini ſolidæ doctrinæ ſcita in tuis *Arcanis, Opuſculo* 3. velut paradoxa *impia, nefaria, ſcandaloſa, & peſtifera* execraris? reuerentiæ, quòd hæc eadem ſcita tam comperta, ac vera in tuâ *Statera, cap.* 6. *pag.* 67. *mendacia*, & *blaſphemias* mendaciſſimâ procacitate appellas? reuerentiæ, quod ibidem *cap.* 1. *pag.* 12. palàm fateris Auctorem *Myſteriorum Societatis Ieſu*, hoc eſt, teipſum, vt in *Vindicijs* meis *cap.* 5. oſtendi,

a *In Proteo, pag.* 379.

di, dare operam & conari *Franciſcum Toletum, & Robertum Bellarminum ex Ieſuitarum ſecta Cardinales in odium & contemptum apud omnes tam Catholicos, quàm Acatholicos pertrahere?* reuerentiæ denique; quòd *Cardinalem* Turrecrematam, è florentiſſimâ Dominicanorum familiâ virum doctiſſimum, in eâdem *Statera, cap 7. pag. 73. impuram Cloacam*, quia Pontificis Maximi auctoritati iure optimo patrocinatus eſt, tu quouis luto impurior, & cœnoſior, nominare, ac dedecorare non dubitas?

VII. Hæc & pleraque alia huius generis opprobramenta quàm impudicâ impudentiâ, Scioppi, in ampliſſimam Epiſcoporum, & *Cardinalium* dignitatem à te euomantur, quem, rogo fugit? quis non animaduertit? quis non ſtomachatur? Neque ego ſanè tantam tuam effrænationem hic inultam relinquerem, ſed acri omnino, vt par eſt, cenſurâ compeſcerem, niſi eam Forerus noſter tum in *Antanatomia*, tum in *Mantiſſa*, tum in *Preſeo*, tum in *Appendice* probè iam pridem compreſſiſſet, & ego quoque meritas pœnas ab eâdem infrà commodiùs eſſem repetiturus; hoc loco tuæ dumtaxat libidinis faciendi contumelias Infulatis etiam, & Purpuratis Patribus explicandæ, inſolandæque ſolicitus, quod iam executus abundè ſum, ac proinde ad aliud tuæ procacitatis caput feſtino.

§. IV.

Scioppius maledicentiâ ipſum quoq; Pontificem Maximum lacerat.

I. Verùm etſi tuam impudentiam, Scioppi, Epiſcopis, & *Cardinalibus* malignè lacerandis maximè illuſtrâſti, nunquam tamen omnes verecundiæ fines obtrectando tam inuerecundè tranſijſti, quàm

quum

quum ipſum quoque Sacrorum Antiſtitem Summum, totius Eccleſiæ Catholicæ caput aſpectabile, Chriſtique Domini Vicarium propudioſis conuicijs nequiſſimè es conſectatus. Noli tergiuerſari; teneris; erubeſce. Faxo iam temerè à te miſſæ voces tuum per iugulum manifeſtò redeant.

II. Nam quæro ex te; quàm nauiter os tuum, Scioppi, perfricuiſti, quum tuâ in *Relatione Vargianâ, cap.4 pag.14.* inſcientiæ notam Vrbano VIII. ſcientiſſimo Pontifici tam petulanter inuſſiſti? *Vrbanum Octauum Pontificem*, inquis, *Doctorem non dicam, quum Theologiæ ne diſcipulus quidem vnquam fuerit.* At vnde tu, Mome ter Maxime, id accepiſti? à tuâ iuratâ maledicentiâ. Scilicet Pontificum ille diſertiſſimus, quia in tuam infamandi diſciplinam tæterrimam, quam tu ſolam Theologiam nôſti, nunquàm ſe dedit, diuinam illam ſcientiam non calluit. Nihil ineptius. Quàm inoperto prætereà capite non Vrbano tantùm, ſed cuicunque etiam Romano Præſidi in eodem *Relationis* libello *cap.58.pag.84* illudis, dum eum in *Monaſteriorum* bonis diſpertiendis humana, ac diuina iura è genio Romanæ Curiæ ſus deque ferre, adeóque nonniſi nefariè eadem bona, cunctis legibus fruſtra reclamantibus, prodigorum Epiſcoporum auiditati addicere, lautorum *Cardinalium* amplitudini largiri, Aulæ Pontificalis ſeruitijs tributaria facere cauillaris? Num inficiâs ire potes, ita planè illic memoriæ à te iam dudum eſſe proditum? *Si Cæſar Pontificem Romanæ Curiæ ingenio uti, deq; Monaſterijs arbitratu ſuo ſtatuere permittat, vt nulla diuini humaniq; iuris religione, alia Cardinalibus in Commendam concedat, alia Epiſcoporum prodigorum, maleq; rem gerentium menſis applicet, alia penſiones annuas Aulæ Pontificiæ Vernulis præſtare iubeat,* &c.? At quæ Sibylla hæc tibi portenta locuta eſt? iurata tua maledicentia. Num quia Chriſti

prorex

prorex in terrarum Orbe, Eccleſiaſticis reditibus diribendis in diribitorem te non adhibet, neque audit, illico tot eum piaculis obnoxium tu clamas? nihil malignius. Quàm præmortuo inſuper pudore Summos Pontifices generatim velut ſuarum tam perdita mancipia cupiditatum accuſas, vt à ratione abduci ſe ſinant, vt in tranſuerſum acti, lubidini ſuæ dumtaxat obſequantur, vt honeſtatis conſulta nihili pendant? At tuamet verba, quæ tibi fortè exciderunt, tibi iam impingi poſtulas. a Eccilla *Pontifices velut homines, vix poſſunt, quin imperio, & dominatione gaudeant, eiuſq; dulcedine facilè tranſuerſo agantur, vt ſe pro Domino gerant, non pro ſeruo, id eſt, vt in actionibus ſuis appetitu potiùs agantur, quàm ratione, nec priùs conſiderent, quid liceat, quid deceat, quidúe expediat.* At quæ inauſpicata cornix hæc tibi deliria in aurem garriuit? Iurata tua maledicentia. Num quia Pontifices ſuam adminiſtrandæ Eccleſiæ normam ad importunam tuarum vertiginum formulam non exigunt, extemplo eam peruerſam vociferaris? nihil ſceleſtius.

III. Neque tamen hîc definit tua, Scioppi, maledicentia. Quàm ferrea enim tibi frons eſt, quum tuâ in *Conſultatione Fratris Iuniperi pag. 35. & 36.* quoties Summus Antiſtes *Monaſterium* aliquod alicui ex *Cardinalibus*, aut Epiſcopis *in commendam* concedit, toties ſacrilegium eſſe, & Spiritui ſancto aduerſari, idque nihil aliud eſſe, *quàm res Deo ſacras dare lupis in prædam*, quemadmodum paulò antè de Epiſcopis à te dehoneſtatis agens, tibi iam ſemel exprobraui, decernis? quàm durum os, quum honorificum Pontificis Maximi de S. Ignatij Societate dictum huiuſmodi: *Digitus Dei eſt hic:* tu in tuâ *Statera, cap. 4. pag. 42.* virulente

a *Ex tua* Anatomiâ, pag. 85. *vbi ita inſanis.*

virulento iſto ſarcaſmo eludis : *An Pontifex chiromantiam exerceat, Ieſuitis expendendum relinquo?* quàm illoti pedes, & verba, quum tuis in *Myſterijs, Aphoriſmo 9.* recitato Franciſci Toleti placito, qui *lib. 5. Summæ, cap 19.* D. Thomam, & cæteros Theologos ſecutus, docet concubitus pretium à meretricibus, etiamſi hoc communem meretricij pretij modum ſuper ſit, poſſe, quando vltro ijs donatur, iuſtè retineri; tu, ex fraudibus totus compactus, ludibrioſam hanc appendicem, cuius apud Toletum nullum prorſus veſtigium cernitur, de tuo appingis: *Si autem quæratur, quod ſit iuſtum pretium meretricium, & vbi illud deſignetur, difficile eſt reſpondere: & neceſſe eſt, vt ea de re Romanus Pontifex conſulatur?* Quod ſcómma vt fœdiſſimum eſt, atque eodem characteris genere additum, perinde ac ſi à Toleto ipſo, qui nihil huiuſmodi ſomniauit, exiſſet; ita merum, & impuriſſimum pus, ad Pontificis Maximi decus tantummodò dedecorandum, tuo ex ore calamoque depromptum.

IV. Sed neque dum tot probris ter geminæ tiaræ ingeſtis tua, Scioppi, maledicentia exaturata eſt. Perge. Dentes omnes Supremi Capitis ſanguine cruenta. Quid irritate canis, quid moloſſe ferox, quid immitis vertage baubaris? Pontificem & *Cardinalium* præcipuos tanquam veritatis hoſtes elatè allatras, ac mordes, latratumque tuum, ac morſus in tuâ literarum *Pædia pag 24.* ſtylo ita exeris: *Teſtabitur ipſe Pontifex, & præcipui Cardinalium nullum vnquam ſe verbum nec publicè, nec priuatim vel à Scioppio audiuiſſe, vel in libris eius legiſſe, quod auribus aut gratiæ ipſorum datum videri poſſet? fatebuntur autem eum non rarò ſic ſe adhibuiſſe, vt culpâ ſuâ vſuueniret ſibi ſentiret illud Comici,* Veritas odium parit: *ipſeque ſua facere poſſet hæc Apoſtoli verba?* Inimicus factus ſum vobis, verum dicens. An quæro hominibus placere?

placere? ſi adhuc hominibus placerem Chriſti ſeruus non eſſem. *Galat.* 1. & 4. At quo pacto, Scioppi, Pontificem & Cardinalium præcipuos à te abalienatos intellexiſti, aut expertus es? num quòd ab ijs Româ faceſſere iuſſus es? ſed næ tu oppidò allucinaris, ſi diſceſſum illum tuum ab Vrbe, veritatis prædicandæ ſtudio acceptum refers. Non veritas à te enuntiata, ſed linguæ & calami intemperantia, tua decumana mendacia, tui improbi mores, tua intolerabilis maledicentia excedere te Româ meritiſſimò coëgerunt.

V. Verùm adeóne tandem omnia pudoris, & reuerentiæ clauſtra refregiſti, Scioppi, vt Romanos Pontifices non tantùm veritatis oſores palàm criminareris, ſed tanquam etiam piſcatores & aucupes non animarum, ſed pecuniarum; tum quamcunque hominis animam cuiuis vel tenuiſſimo quæſticulo poſthabentes adunco naſo, riſúque Sardonio inſolentiſſimè traduceres? omninos Quò enim tuis in *Arcanis. pag.* 45. niſi huc, captatâ Pauli V. calumniandi occaſione, tuæ obtrectationis ſpicula collineas, dum Pontifices Maximos vniuersè ita vulneras? *Adeò præſtat acquirendarum pecuniarum, quàm animarum, ſtudioſum & peritum eſſe, apud illos certè, qui quum animarum Chriſti ſanguine redemptarum curam in ſe receperint, vel quid anima ſit, neſciunt, vel non pluris animam hominis, quàm piſcis faciunt, quod credo ſuum officium Piſcatum quendam aliquando per ſtrepitum inaudierint; quibus propterea gratior fuerit, qui animam Auri cum Paracelſo, quàm animam Saxoniæ Electoris inueniſſe ſe nuntiet.* Quæ profectò *calumnia,* vt ſapienter Forerus in *Proteo, pag* 84. *non ex humano ore, ſed ex Inferorum ſpiraculis emiſſa eſt:* vnde tu eam, Scioppi, hauſiſti, vt mox in Chriſti Domini Vicarios procaciter euomeres, quod nequiſſimè præſtitiſti.

VI. Sed

VI. Sed quid ego tuam Pontifici Maximo maledicendi nequitiam pluribus, hîc fruſtra cædo, quum eam iam ſuprà multo copioſiùs explicârim, ac penitùs iugulârim? Quam inſigni enim ignominiæ labe adſpergitur Summus Pontifex, quum Apoſtolica Sedes deſpicitur, conſpuitur, labefactatur? tu illam, vt *par.2.cap.3.* oſtendi, flagitioſè deſpexiſti, conſpuiſti, labefactaſti. Quum Pontificalis auctoritas in bona Eccleſiaſtica atteritur, mutilatur, exploditur? tu illam, vt inibi *cap.4.* planum feci, improbè attriuiſti, mutilâſti, exploſiſti: quum totius Eccleſiæ calculi, honorem Viris Sanctis ſtatuentes, erroris arguuntur? tu eos, vt ibidem *par 2.cap.5* docui, erroris, nefariè arguiſti. Quum Religioſus Ordo Pontificijs ſuffragijs approbatus exagitatur? tu eum, vt ſuprà *cap* 8. vici, inhumaniter exagitâſti. Quum libri à Sede Apoſtolicâ proſcripti, iterum eduntur, ac defenduntur? tu eos, vt ibi *cap.*14 demonſtraui, edidiſti rurſum, ac defendiſti. Quum Sancti Viri Pontificio decreto aſſerti cœlo, ludibrio habentur? tu illos, vt illic *cap.* 6.& 7. probaui, ludibrio impiè habuiſti. Quum denique patrocinium Hæreticorum omnium, qui Vicarium Chriſti maximè deteſtantur, ſuſcipitur? tu id, vt *cap.*19. euici, impudentiſſimè ſuſcepiſti.

§. V.

Maledicentia Scioppij profanos etiam Principes, Reges, Cæſares, Regiones ac Reſpublicas mordet.

I. Hactenus, Scioppi, meâ oratione, ſi animum attendis, iam effeci, vt nullum ſacrorum hominum Ordinem, non Religioſas familias, non Sacerdotes, non *Clericos,* non Epiſcopos, non *Cardinales,* non ipſos Summos Pontifices à tuâ obtrectandi

ſtandi temeritate, atque impudentiâ intactos euaſiſſe, cunctis Lectoribus ſatis modò perſuaſum ſit. Nunc equidem curioſitate ingenti titillor, an profanis ſaltem viris, qui in ſacros adeò ſæuijſti, pepercεris. Scilicet. In hos quoque, profane Grammatice, in Dynaſtas præſertim, ac Principes, quàm contumelioſiſſimè declamâſti. Ne hiſcas: perijſti.

II. Quâ veteratoriâ quippe arte immanem, quam Summatibus viris conflas, iniuriam expunges, qui in tuis *Arcanis*, pag 81. ais, *Principes, qui Ieſuitis vtuntur Confeſſarijs, religioni non habere, monaſteria vexare, ſpoliare, exactionibus grauare, ab illis decimas exigere ad belli impenſas?* leue iſtud. Qui mox inuidiam auges, *quod credant*, nempe Principes *magnas opes eſſe cauſſas corruptæ monaſticæ diſciplinæ?* Hoc etiam diſſimulo. Qui continuo hinc colligis, *haud multo optabiliorem eſſe Monachorum ſub talibus Principibus conditionem, quàm ſub Principibus Proteſtantium*, hoc eſt, Hæreticorum? qui hæc omnia ſine vllâ probatione ad bonorum Principum laudem commaculandam fingis? Hoc verò non ferendum, ſed flagris coërcendum.

III. Quid porrò tibi erit animi, Scioppi, quum ijdem Catholici Principes linguæ tuæ amentiam, vt delicti gratiam etiam tibi faciant, fuſtuario minimùm luendam tibi, iure contendent? quæris, quid cauſſati? quòd ipſos furibus apertè adnumeraueris, illiſque eam Iſaiæ *cap.* 1. obiurgationem: *Principes tui infideles, ſocij furum*, alteramque Dauidis huic geminam. *Si videbas furem, currebas cum eo*, Pſal 41. in tuâ *Anatomia, pag* 102. flagitiosè aptaueris. Quo probro quid inhoneſtius? quid turpius? At enim, vt hunc declines ſcopulum, continuò ibi mones, nolle te *hoc eò accipi, quòd ipſe tales eos eſſe ſuſpiceris.* Imò hæc tua bella ludificatio eſt, verbis à reipsâ fruſtra diſſentiens; perinde ac ſi excuſſiſſimâ palmâ me depal-

maret,

mares, deinde ſolatij loco hæc mihi blandimenta dares; Macte virtute, ne trepida; nolo te offendere, quæ vtique iniuriam non leuarent; ſed ipſo ludibrio duplicarent.

IV. Sed num aliquanto lenius, aut ſuauius Excelſiſſimorum virorum auribus accidet, quod in eâdem *Anatomia* PſeudoMarianæ ſubſcribens, pag 44. rotundo ore canis: *In Principibus eſſe vanitatem, hypocriſim, auaritiam, ſiue ſordes, & ſtuporem ingenij, atque imperitiam?* Egregium enimuerò de primorum Capitum dignitate præconium! Fabulæ. Probrum omnino infame. An gratius, & iucundius, quod in *Fratris Iuniperi Relatione, cap.* 25. pag 88. pronuntias, eoſdem Principes grandis doli, fraudis, atque impietatis *in negotio conſcientiæ & ſalutis* reos eſſe, *maligneq́; ac duplici corde ad Deum accedere?* Præclarum de tantis viris elogium. Iocor. Abominandum conuicium. An mollius, atque hilarius, quod in Codicillo *de ratione Scholarum, Conſultat.* 2. *pag.* 63. vt ſuprà *cap.* 4. iam fusè commemoraui, ijſdem vitio vertis, fremisq́ue, Aulas ipſorum Aſſentatoribus, Paraſitis, Lenonibus, Perductoribus, ſtuprorum atque adulteriorum Interpretibus eſſe ſtipatas, eoſdemq́ue Principes adulterijs ac ſtupris oblectari, ſummamq́ue humanæ felicitatis vnà cum Epicuro in re Venereâ collocare? Feſtiua, opinor, ac lepida acroamata. Nugæ. Famoſa dicteria, ac peracerbæ Satyræ.

V. At tam graues iniurias, quibus tot innoxios Principes, Scioppi, oneras, longè ab ijs tuo munere propulſatas, vel à te redemptas, tum ipſos eximio etiam beneficio tibi deuinctos, quum tuas *Suppetias Logicas*, Politicæ diſciplinæ delicias, perennes auri fodinas, abditas, ignoratasq́ue regnandi artes Mediolani anno CIↃIↃCXXIII. recuſas ijſdem condonâſti, forſan cenſebis. Túne verò hic audes, Scioppi, tuas illas

Suppetias Logicas appellare? tu muneris, tu beneficij eâ ſtrenâ apud Principes locati mentionem inijcere? Si maleficia beneficiorum nomen vicemque ſibi vindicant, atque apud te inſtar habent, beneficijs ſine dubio ampliſſimis cunctos Principes, fateor, obſtrinxiſti. Sed quæ ſunt iſta beneficia? quòd Macchiauelli damnatam Politicen tuis illis *Suppetijs Logicis* in ora Summatum virorum iterum, vt *par.2. cap.13.14.* & 15. demonſtraui, ingeſſiſti? quòd improbiſſimi præſtigiatoris fraudes, impietatem, nequitiam, ſcelerum omnium licentiam, vt ibidem expoſui, ijſdem eodem libello propinâſti? quòd eoſdem Principes ijſdem quoque *Suppetijs* maximoperè dedecorâſti? Quid enim? negas? an tu ad laudem Principum pertinere autumas, quòd intra ducentos annos pauciſſimi ex ijs, qui dolo, perfidiâ, apertâ vi graſſati non ſint, ac Principatum non maculârint, recenſeri poſſint? quid ais? hócne tu ad prędicationem primorum Capitum refers? At quis non videt in ſummam eorum infamiam redundare? Quid tum poſteà? inquis. Quid mea intereſt? quid tua? quid tum poſteà? quòd tu tot hiſce probris eoſdem Principes in ijſdem tuis *Suppetijs Logicis* planiſſimè obruiſti. Cuius enim, niſi tua, quæ illic leguntur, hæc verba ſunt? *Pleroſque Principatus, qui iam à ducentis circiter annis in Orbe Chriſtiano fuerunt, certiſſimum eſt neque ſimpliciter, neque etiam pro locorum hominumque conditione optimos fuiſſe; quoniam poteſtas Principum nimis ſoluta ac libera erat, nec ſatis legum vinculis cõſtricta, ita vt Ariſtotele iudice, tolerabiliores quadam Tyrannides exiſtimari poſſint. Hos tamen conſtat, non tam iure, ac legibus, aut fidei obſeruantiâ, quàm partim vi apertâ partim dolo, & fide violandâ conſeruatos, & notabilibus incrementis auctos, atque in poſteritatem propagatos fuiſſe. Deo propter occulta populorum peccata id permittente.* Et

poteraſne

poteráſne conuiciatorum anteſignane, ad laudem atque exiſtimationem tot tantorumque Principum, qui ante proximos annos ducentos vixerunt, obterendam, iſtis contumelijs, atque ignominijs quicquam fœdius aut inquinatius elatrare?

VI. Neque verò, Scioppi, quum Principes ita turpas, & premis, Reges exceptos vis, quos nihilo meliores à te reputari, haud obſcurè innuis. Nec Regibus tantùm obrectas, ſed Cæſares quoque tuâ maledicentiâ aggrederis. Poſſem hîc in inuidiam non leuem vocare, quòd Carolo V. Imperatori ſtrenuiſſimo octodecim errata grauiſſima ex modicâ Numinis fiduciâ, in tuo *Eccleſiaſtico, cap.115. pag.399.* & 400. culpæ dediſti. At longè impudentior tua procacitas eſt, quòd impuratiſſimam linguam tuam ne Ferdinando quidem II. ſemper Auguſto abſtinuiſti. Quum autem Ferdinandum II. nomino, eum ego deſigno, qui tantâ humanitate, quum etiam Cæſareo ſolio non dum potitus eſſet, te complexus eſt; qui tam multa beneficia in te contulit; qui tot officijs te proſecutus eſt; qui tam præclaris teſtimonijs te ornauit; qui primus, quum principio Hæreſi nuntium à te remiſſum obtendiſti, manum tibi errabundo porrexit, egenum, obſcurum, deſertumque ſub patrocinio leuauit, luce donauit, ſtipe recreauit. Iam quid tu huic Cæſari adeò de te bene merito reponis? quid gratiæ perſoluis? Eum Ieſuitarum mancipium in honeſtiſſimorum virorum corona apud Benedictinos Monachos Maurenſis Cœnobij anno CIↃIↃCXXXV. Nonis Iunij, quemadmodum Religioſus ex eâdem familiâ vir, qui tuo ex ore tum id accepit, in Epiſtolâ apud Forerum *a* diſertè teſtificatur, dictitâſti, ac agitâſti. An modica hæc labes Cæſareæ dignitatis, quæ aſſueta imperio, nullis

a *In Protei Appendice, pag.433.*

nullis tenetur vinclis? Et tu mortalium ingratiſſime, & flagitioſiſſime, tam inſigni notâ auguſtum illud caput notare non dubitâſti? O impudentiam! Nimirum, quia ſapientiſſimum, ac integerrimum Imperatorem tuis ſycophantijs mancipare non potuiſti, quòd nemini Catholicorum, ne dum Ieſuitarum probari fas erat; continuò mancipium eorundem Ieſuitarum illum renuntiâſti, quæ tua eſt acutiſſima Dialectica, & lepidiſſima inſania.

VI. At ego hanc tibi non inuitus indulſerim; quippe quæ tametſi eſt improba, multo tamen adhuc improbiore vincitur. Quænam iſta? rogas? Rogo ego te viciſſim. Quâ tu fronte, Scioppi, eundem Ferdinandum Auguſtum morum planè innocentiſſimorum, quòd diuinis, humaniſque legibus omnino neglectis, *Monaſteria* ad alterius Ordinis Religioſos tranſtulerit, multiplicis ſacrilegij poſtulare, eaque propter & pœnis grauiſſimis à Deo multatum affirmare auſus es? Quid? negâſne? Repete ſis illico, quæ in tuâ *Relatione Vargiana, cap. 49. pag.* 107. inſubidis hiſce verbis effutiuiſti; *Eat nunc aliquis, & miretur, cur Cæſar iuſtiſſimi propoſiti Ieſuitarum ſuorum impulſu mutati* (vt ſtrennè tu, quemadmodum & P. Forerus non ſemel, & P. Layman in libro *de cauſâ Monaſteriorum* patefaciunt, more tuo mentiris) *totâ Monaſteriorum inuitis diuinis & humanis legibus, aliò translatorum, hoc nunc pretium ferat, vt domi ſua inimicos Reges, ac Principes ſumma imis miſcere, ferro & flammâ graſſari, omnia denique ex libidine videat, ac neque in ſeruis ſuis quidquam fidei inueniat.* Ita tu maxima, & plurima beneficia, quibus te Imperatorum Religioſiſſimus liberali manu adeò mactauit, dedecore, mendacio, iniuriâ, laniatu, perfidiâ, ingratiſſimæ vicis monſtro remuneras.

VII. Verùm haud ſatis habuiſti, Scioppi, tuæ linguæ intemperantiâ ſingulares tantùm inſectari

perſonas,

perſonas, niſi integras quoque nationes ſcurrili-ter inuaderes. Effrænis tua maledicentia non alueo, non ripis paucorum, quorum famam ob-trectando mergere ſtuduiſti, ſe ampliùs contineri; in arua, in campos, in plagas, in æquora aperta latè patentium regionum ſeſe eijcit, erumpit, ex-undat. Teſtis in primis ampliſſimum Galliarum regnum, quorum populos tanquam Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ, quam à te defenſam iactas, per-duelles atque hoſtes in tuâ literarum *Pædia, pag.* 16. generatim non minùs falsè, quàm iniuriosè ita proſcribis; *Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ defenſio con-tra Galles, à quibus Eccleſiaſticus* tuus *publicè crema-tus fuit.* Teſtes rurſum ijdem Galli omnes, in quo-rum mores alterâ tuâ Conſultatione *de Scholarum ratione, pag.* 42. petulce ardelio, hoc pacto impe-tum facis; *De Gallica lingua quod ſigillatim, & diſtinctè moneam, non habeo, quum animum, vt eam addiſcerem, nunquam inducere potuerim. Neſcio enim quo modo ſemper fui ſuſpicatus, eiuſdem hominis eſſe aliter loqui, quàm ſcribat* (vt Gallis ſcilicet, qui ali-ter pronuntiant, quàm ſcribunt, in more eſt) *& aliter ſentire, quàm loquatur* (quod tu ijſdem Gal-lis non ſine ingenti conuicio, parique calumniâ affingis) *in qua quidem ſuſpicione non parum me con-firmauit, quod ex magno eorum numero, qui in Gallijs fuerunt, & linguam illam egregiè didiciſſe viſi ſunt, ne-minem adhuc cognoui, qui melior, quàm illuc profectus fuerat, in Germaniam reuerterit. Pleroſque omnes ſi minus ab honeſtate animiq; integritate, à Germanica quidem certè grauitate, & maturitate plurimum de-ſciuiſſe, & animos regulis quibuſdam ſiue Maximis Statui Romani Imperij infeſtiſſimis imbutos retuliſſe, multi boni atque intelligentes viri non minimo cum do-lore compererunt. Itaque ſi quis me audiat, aut in tene-ra adhuc ætate liberos in Galliam mittet, quum & lin-guam faciliùs pronuntiare diſcunt, neque corruptelas il-las imbibere poſſunt,* &c.

VIII. Teſtis Hiſpania vniuerſa, in Catholicâ Religione mordicus tuendâ nulli prouinciarum ſecunda, Chriſtianæque Reipub. ſingulari prælucens exemplo, quam nihilominùs contaminatam aſſeuerare, atque infamare, infamis furcifer, execrabilisque Hæretice in tuâ *Vargiana Relatione, cap.* 58 *pag.* 124. hac ipsâ inuerecundâ oratione penſi non habuiſti *Quis ergo iam non agnoſcat Hiſpaniam non minùs nunc peſtifero Hæreſis veneno, quam Germaniam, eſſe imbutam, eiusq; conditionem hoc ipſo multo miſerabiliorem, quòd in Germania nulli ſint Epiſcopi, nulli Antiſtites, aut magni Doctores, qui Sedis Apoſtolicæ, & Pontificis iudicium, cenſuram, & auctoritatem vſque eo contemnant Itaque pro certo haberi debet propediem aut omnem Hiſpaniam fore Hæreticam, & ab Eccleſia Romana communione ſeparatam*, &c. Quam Hæreſis calumniam, vel potiùs *Atheiſmi* eidem Hiſpaniæ eodem in libello *cap.* 18. *pag.* 48. impingis, vt hac compendiariâ ratione, dum Regnum illud Catholicæ profeſſione fidei ſtudioque florentiſſimum Hæreſis, atque *Atheiſmi* infandis criminibus non minore mendacio, quàm flagitio arceſſis, te omnium maximè Hæreticum, *Atheum*que prodas; vel certè, quia vtriusque ſceleris contubernium diuiduum eſt, te de Hæretico in Atheum planè degeneràſſe demonſtres.

IX. Teſtis Sereniſſima Reſpublica Veneta, in quam complura probra à te manipulatim ſæpius iacta fidem locupletem faciunt plerique integri viri, qui ea tuo ex ore haud ſemel exceperunt. Nec verbis contentus, quem Lapidem an. CIↃIↃCXXX. Ratiſponæ in illis Cæſareis Comitijs, vt Eugenius Lauanda in Grammatico Prædico *pag.* 66 refert, non mouiſti, quò ingens malum eidem Reipublicæ creares, *in quem finem te conſilia minimè aſpernanda ſuppeditaturum, quibus terra mariq; illa poſſit euerti*, liberaliter pollicitus es? Teſtis iterum Ve-

netus Senatus, ac nomen, quibus in tuo Auctorum Latinæ linguæ Syllabo, quem tuis Paradoxis literarijs addidiſti, de M. Tullij Ciceronis Operibus loquens pag. 99 ita procaciter maledicis: *Eius Venetæ editiones recentiores flammis aboleri debebant, cruci verò figi Typographus, vt documento ſint alijs, ne tam improbo furto emptores argento emungere, & depeculari audeant. Senatui certè Veneto curæ eſſe oportebat, ut iſta Typographorum fraudes tam deformem Veneto Nomini maculam imprimant.* Quæ nefaria Conſilia in nobiliſſimæ illius Reipublicæ perniciem à te inita, tamque inhonorata excelſiſſimi Senatus ſugillatio à te edita, num te, Scioppi, de eâdem Reipub. adeò bene meritum probent, oſtendantque, vt in Venetâ regione Patauij deinceps verſari, & pro tuâ lubidine bacchari impune poſſis, idem prudentiſſimus Senatus pro ſingulari ſuâ ſapientiâ decernet. Lauanda quidem paulò antè laudatus, non irritus vates, neque vanus hariolus, negat eſſe, *cur inclyta illa Reſpublica hanc viperam in ſinu ſuo, hanc peſtem in territorio ſuo vltra foueat; quia ab ipſa non ſtabit diutius, quàm quoad in rem ſuam ipſe eſſe iudicauerit.* Nihil verius.

X. Teſtes poſtremò Chriſtiani Orbis præcipuæ Ciuitates, aliaque Oppida, vbicunque degunt Ieſuitæ, non in vnâ dumtaxat regione, ſed vbique gentium, non in Europâ tantùm, ſed in Africâ quoque, in Aſiâ, atque Americâ, quarum tu incolas omnes inſaniam inſanire maximam non minimo pudoris impendio, enormique tot populorum iniuriâ in tua *Stoica Philoſophia*, pag. 21. memoras. Quid ita? quia Ieſuitas receperunt, nec furcis expellunt. Quid ergo Romæ vrbium principi, quæ Ieſuitas ſuo fouet ſinu, & tam multa in Collegia domoſque tributos cernit, Scioppi, facies? tuo calculo inſaniſſima eſt. Quid Neapoli, quæ Ieſuitis tot domicilia tam liberaliter condidit?

dit? te arbitro, inſaniſſima eſt. Quid Meſſanæ, quæ Ieſuitas tam benignè ſuſcepit, totque beneficijs ſibi demeretur? tuo ſuffragio inſaniſſima eſt. Quid denique Mediolano, quid Genuæ, quid Lutetiæ Pariſiorum, quid Antuerpiæ, quid Lugduno, quid Viennæ Auſtriæ, quid Monachio, quid alijs quàmplurimis Vrbibus, quæ Societati Ieſu, ac Ieſuitis tot Collegia extruxerunt, tot Gymnaſia præbuerunt, tot ædes conceſſerunt, neque illos inde abigunt? te iudice, inſaniſſimæ omnes ſunt, ac ne quis de tuâ ſententiâ ambigere queat, enucleatè pronuntias: *a Inſanire iuuenes, qui argentum* Ieſuitis *afferunt, atque his etiam deteriores eſſe, ſi qui illos, quorum cura ad ſe pertinet, ijſdem commiſit Omnium poſtremò inſaniſſimas eſſe illas Ciuitates, quæ illos recipiunt, nec furcis expellunt.* Quo inſano tuo iudicio nulla, Scioppi, inſanior inſania; at ſuppat quoque, vt tot Vrbium contumelia, ita & tua impudentia.

a *Loc cit.*

§. VI.

Maledicendi palma Scioppij propria.

1. Iam quid amplius, quæſo, tuæ malignitati, quò progredi adhuc poſcit, Scioppi, reſtat, quum tua conuiciandi effrænatio fores atque oſtia omnium Chriſtianæ Reipublicæ Ordinum iam occentauerit, totque ac tam amplas Orbis regiones obtrectando, differendo, inclamando, mordendo, laniando peragrârit? Fallor. Eſt etiamnum aliquid, quo vno maledicendi palmam tibi omnium maximè ſuccreſcere, ac deberi, vt nulla quoque alia intemperantis linguæ documenta poſteà dediſſes, iam pridem perſuaſiſti.

ſiſti. Mirum dictu! quid iſtuc? narra. Quid hæres? addam ego operam. In procliui eſt.

II. Infamandi artem, opinor, non pronuper, aut nudius tertius, Scioppi, ſed iam olim te profeſſum, non exiguæ molis *Elenchus* tuus, quem *Hypobolimæum* inſcripſiſti, omnino vincit; in quo Ioſephum Scaligerum tam ſpiſsâ contumeliarum grandine obruis, vt etiam vbi nullos Chriſtianæ fidei errores, in quos deſertor ille veræ Religionis perditè lapſus eſt, refellis, ſed immania tantùm eius de nobilitate commenta difflas, nihilominùs atroci verborum carnificinâ eum dilaceres. Porrò quum iam omnia ferè dedecorum plauſtra in illum exoneràſſes; tamen quaſi nullum hactenus conuicium ei feciſſes, hæc tandem ſubijcis.

III. *Ego tibi, ne quid forte beneficio meo parciùs vtendum putes, meâ fide, hoc eſt, priſcâ & bonâ, & (quod ambitione relegatâ dicere queo) compluribus principibus, ac proceribus ſpectatâ probatâq; recipio, ac polliceor, vbi hac maledicta* (nempe ea, quæ illic longo ordine recenſuiſti, pluresque plagulas ijs referſiſti a) *è baliſtario omnia emiſeris, alia me largiter ſuggeſturum eſſe: idq; tanto prolixiùs, ac liberaliùs, quanto ea res minori negotio à me præſtari poteſt. Magnam enim mihi, vt ſcias, Romanæ eloquentiæ penum ſuperioribus annis ornaui, & inſtruxi; in qua etiam, vt ne quando à maledictorum penuria periculum eſſet, ſatis prouiſum eſt.*

— τὰ πολλὰ δὲ
πάλαι πϱοκόψας, ὀ πόνυ πολλοῦ γε δεῖ.

— Sed multa quum
Iam præparauerim, non labore magno opuſt.

Itaque ſi puerum ei rei allegauero, vt ipſe in promptuario meo (quod facillimum eſt) quærat, quæ ex Cicerone, Plauto,

a *In Hypobolim. pag.* 360.

Plauto, Terentio, Arbitro, Liuio, Curtio, Caſare, Nepote, Lucretio, Fabio, Senecâ, & paucis alijs (idq́ precariò) magnâ cum accuratione, & quodam obſeruandi artificio, atque vſu excepta illuc conieci, eademq́ exſcribat, & quo iuſſus fuerat, referat, iam copiam notorum conuiciorum, cuius nos minimè pœniteat, paratam habituri ſumus. Hucuſque tua dictio. Præclarè, lautè, dapſiliter.

IV. Ecquis iam, rogo, Scioppi, ex cunctis ſcurris; quis cauillatorum, quis ſannionum in conuiciandi palæſtrâ herbam tibi rediuiuo Momo lubens non porrigat? Nam quid eodem ipſo tuo *Hypobolimæo*, vt cæteros tuos catulos pari felle atque aconito imbutos in præſens prætercam, mordacius? quid aſperius? quid vehementius? Ecce, Maledictorum pœnum apud te extare locupletiſſimam tu ipſe gloriaris? ſi cui maledicendi libido ſit, & maledicendi materia deſit, te largiter ſuggeſturum ſpondes; tum maturè à te, ne quando periculum vllum à maledictorum penuriâ ingrueret, eſſe prouiſum; promptuarium etiam conuiciorum, in quod omne contumeliarum genus conieceris, atque ex eo quicquid probrorum libeat, illico ſine labore haurire fas ſit, à te inſtructum; obloquendi denique, carpendi, vellicandique numeros omnes atque articulos tibi in numerato eſſe prædicas. Et audeat quiſquam tibi de conuiciandi maledicendique prærogatiuâ litem intendere? Nec ſanè promiſſis te ditiorem, quàm factis ſtrenuè probâſti. Nam fidem, quam ibi oppignerâſti, cumulatiſſimè ſtatim exoluiſti; adeoque ſexcentas inſectandi formulas in eundem tuum *Hypobolimæum* plenâ manu coëgiſti: ac primùm quidem *pag* 354. maledicta in indoctum rudem & imperitum; deinde *pag.* 356 in mores, mox *pag* 357. in vitæ genera, demum *pag.* 359. in ignobilem effudiſti, atque vnde accipienda ea ſint, docuiſti vnà, ac præſtitiſti.

V. Hic

V. Hîc enimuerò, Scioppi, calculos ego poſco, vt quantus conuiciator, atque obtrectator ſis, accuratè ſupputemus. Vide ſis. Ioſephum Scaligerum tu ipſe linguæ & calami mordaciſſimi accuſas, bipedumque audaciſſimum, petulantiſſimum, ac maledicentiſſimum eſſe ais, nec ſolùm voce tenus ais, ſed validis etiam argumentis toto eo *Elencho* in ipſum ſcripto conuincis. Et tamen huiuſmodi conuiciator, atque obtrectator, quanquam palmarius, tuus dumtaxat diſcipulus, & quidem nonniſi rudis eſt, quem tu propterea infinitis alijs maledicendi formulis erudiendum, ornandum, ditandumque ſuſcepiſti, affatimque erudiuiſti, ornâſti, locupletâſti. Quare ſi ingenioſus ille pictor ad immenſam Gigantis proceritatem exiguâ in tabulâ exprimendam, Satyros complures vnum tantummodò eiuſdem digitum longâ decempedâ metientes acutiſſimè finxit, quo ego alio iam radio, aut lineâ, Scioppi, tuam poſſim delineare infinitam maledicentiam, quam hoc tuo tam inſignito maledicendi magiſterio, quod tibi ipſi aſſeris, eoque ſupra hominem maledicentiſſimum adeò excellis, vt quum idem ille Scaliger tam egregiæ diſciplinæ lauream ſibi dudum anteà decerpſerit, in tuâ nihilominùs ſcholâ elementarius ſolùm, ac penè elinguis puſio ſeſſitare adhuc neceſſe habeat? Quantus igitur cornu, Scioppi, emines, cui taurus Scaliger pila eſt?

VI. Quum poſteà verò ab edito tuo illo *Hypobolimæo* anno cIↄIↄcvII. tuam maledicendi peritiam iam tot luſtris prodigialiter auxeris, amplificaueris, propagaueris, quum in Religioſas familias incurreris, quum Monachos agitaueris, quum Sacerdotes perſtrinxeris, quum Clericos conſputaueris, quum Epiſcopos proculcaueris, quum Cardinales afflixeris, quum Pontifices Maximos ludos feceris, quum denique Reges, Imperatores,

Principes, Reſpublicas, & nationes dedecoraueris; quis modò maledicendi primas tibi iure non deferat: quis conuiciatorum non cedat, ac manum tollat? quis obtrectatorum faſces non ſubmittat? Viciſti, Scioppi, viciſti linguæ calamíque procacitate, quoſcunque infamándi licentia infames fecit. Archilochus ſuis Iambis aculeum vllum præ tuis famoſis libellis ineſſe negat, Hipponax ſuos ſcazontes innocentes iurat, Iuuenalis in ſuis Satyris Satyræ nihil offendit, Perſius in ſuis Spiculis cuſpidem nullam cernit, Theon rabioſam ſuam loquacitatem edentulam fatetur. Momus ipſe de circulo ſe ſubducit, labaſcit, gradum refert, terga vertit, auito carpendi iure ac principatu excidit, tibíque vtrumque vel inuitus concedit: atque adeò iam æmulorum ſecurus, maledicentiæ tuæ triumphum meritiſſimò deportare potes. Sed quò? non in gloriæ Capitolium, ne fortè à recto deerres tramite, ſed ignominiæ Cloacas. Huc pergis, huc properas, huc curris. Hîc tuâ linguâ, ore & calamo hoſpitium digniſſimũ reperies.

§. VII.

Scioppianæ maledicentiæ alexipharmacum.

1. Ne quis tamen triumphalem iſtam coronam tibi inuideat, Scioppi, meque turpiter præuaricatum, qui intempeſtiuè eam tibi adornârim, rideat, vel etiam indignetur, ego ſanè non mediocriter, nec de nihilo vereor. Nonnulli quippe conuicia cuiuſque modi adeò trepidanter exaudiunt, aut legunt, vt periculosè admodum commemorari quoque, ne dum ingeri, arbitrentur; ac propterea hanc tuæ maledicentiæ nomenclationem pariter, quanquam ſeuerè à me caſtigatam, in ius, ac reprehenſionem faciè vocabunt, id vnum cauſſati,

iſtâ

iſtâ tot dehoneſtamentorum recenſione magnorum virorum exiſtimationem atteri ſemper nonnihil, quæ, dum opprobratur, aut opprobrata refertur, vtcumque etiam probra validè diluantur, ſi non vritur penitùs, infumata ſaltem, vel fuligine, turpata cenſetur; ac proinde operæ fuiſſe pretium hæc omnia æternis potiùs damnare tenebris, quàm denuò in lucem trahere.

II. Verùm quàm dictu iſta procliuia ſunt, atque ex leui momento obducuntur, Scioppi, tam mihi in expedito iam eſt, & tuo triumpho (ne putes me parum bene de me merere) & meo conſilio patrocinari. Nam qui ita ſibi ſapiunt, vt ſuam ipſorũ ſapientiam hauſtam diuinitus credi, ſuſpicique velint; reliquos verò cunctos in alia omnia abeuntes deſipere omnino iudicent, nondum mihi ſe ſolos eſſe ſapientes probârunt, neque vt ipſis in præſentiâ auſcultem, vllo modo perſuadent. Qui enim verè ſapit, vt cordatè catus Seneca, *a non reſpicit, quid homines turpe iudicent, aut miſerum: non it, quà populus, ſed vt ſidera contrarium mundo iter intendunt, ita hic aduersùs opinionem omniũ* (nempe de vulgo, tametſi interdum etiam chlamydato) *vadit.*

III. Imò verò ad hanc famæ infamatæ aleam inani obiectam terriculo euerberandam nullo ſapientum calculo mihi opus, neque omnium ſententiæ obluctandum, ſed potiùs velificandum. Quotuſquiſque enim hominum, qui humanitatis & rationis penitùs obliti non ſunt, illico non animaduertat, Scioppi, ex iſtorum placitis complurima grauiſſimorum Scriptorum volumina, huiuſmodi noxiæ cæteroqui immunia, & labis integra, fœdis aſtutum piaculis fore obnoxia? Age. Meticuloſus iſte prætextus, & trepidatio, quanquam inconſulta, oraculi tamen inſtar obtineat. Quid innumeris penè Auctoribꝰ maximę in Chriſtianâ

a *Lib. quod in Sapientem, &c. cap.* 14.

ſtianâ Repub. exiſtimationis fiet? Tollantur ſtatim de medio omnia ferè, quotquot aduersùs Hæreticos Apologetica hactenus prodierunt, in quibus non ſolùm, quæ ij contra Catholicam doctrinam in tuto poſitam vomunt; ſed etiam quæ in mores plurimorum de Eccleſiæ Romanæ gremio (etſi horum nonnulli extra omnem iuſtæ cenſuræ ictum haud quaquam ſint) iaculantur, pleraque & apertè recitantur, & ſolidè refutantur. Tollantur omnes Vitæ Sanctorum literis conſignatæ, in quibus contumeliæ ab improbis in eos congeſtæ leguntur. Tollantur cuncti Annales Eccleſiaſtici, præſertim Baronij, qui vt maximorum virorum præclara facinora, ita & probra à flagitioſis in inſontes iacta denarrant. Tollantur hiſtoriæ omnes, etiam profanæ, quæ crimina magnis Principibus quoque falsò impoſita pari libertate patefaciunt. Tollatur etiam ipſummet ſacroſanctum Euangelium, quòd Chriſtum Dominum ab impijs & Samaritanum, & comeſſatorem, & potatorem, & Cacodæmonis ludibrium contumelioſè appellatum, tum ſummâ diritate excruciatum, ac patibulatum teſtatur. Tollatur demum vtrumque Teſtamentum priſcum, ac recens, in quo plures ignominiæ viris integerrimis perfidioſè inuſtæ, candidè in Sole exponuntur. Nam ſi nouos iſtos Catones, recoctosque Salomones audimus, ex huiuſmodi narrationibus macula magnis, & ſanctis viris, Sanctorumque Capiti, ac Redemptori Chriſto ſemel impreſſa, adhuc hæret non leuis, ſi non probos apud Catholicos, apud eos certè, qui Euangelium fabulis annumerant, vel, vtcunque etiam Chriſtianum præferant nomen, & crepent, perinde tamen ac Æſopi commenta reapſe pendunt: atque adeò ex horum Saperdarum Senatuſconſulto præſtitiſſet, eiuſmodi libros omnes ſupprimere, quàm foras dare. Quæ, vt vides, omnia

delirantis

delirantis vetulæ inſana ſomnia ſunt, nemini ſynceerè Catholicorum vllâ ratione probata. Quippe Illuſtrium Virorum gloria, vel fama ex lutulentis maledici oris vocibus memoriæ proditis nullâ dedecoris notâ, aut ſuſpicione aſpergitur, ſed illibatis prorſus ac munda æuum fert, ac perennat.

IV. Haud ſecus, Scioppi, inſignium nomina virorum, quanquam fœdiſſimè à te, vt ſuprà monſtraui, proſciſſa, nihil tamen omnino detrimenti faciunt, nihil de priſtinæ dignitatis ſecundâ admurmuratione deperdunt. Quid enim ipſorum innocentiæ, atque ſplendori, perfrictæ frontis Grammatice, incommodare tu queas, qui nihil eorum, quæ in illis temerè ac malignè ſugillas, vel productis tabulis, vel libratis rationibus munis? qui maledicentiæ prærogatiuam, vt docui, *a* omnibus præripis, tibique vni vindicas? qui mentiendi artem, vt mox liquebit, *b* pudore nullo profiteris? qui in calumniandi palæſtrâ, vt confeſtim etiam lucebit, nemini concedis? qui verbis factisque tecum ipſe, vt infrà *c* conſtabit pariter, toties digladiaris, totiesque, quæ dicis, flagitiosè contradicendo expungis? qui præ aggeratis ſceleribus multiplici infamiâ, vt paulò pòſt *d* ex deſtinato vincam, iam dudum flagras? qui Hæreticæ luis tam multis Teſſeris, ac Verrucis Hæreticus tæterrimus, vt totus hic *Lydius Lapis* clamat, perſpicuè reuictus es? A tuáne igitur linguâ, calamoque tam fæcutino, Scioppi, vllum famæ, vel gloriæ infuſcandæ diſcrimen Pontificibus, Imperatoribus, *Cardinalibus*, Epiſcopis, Sacerdotibus, Religioſis, Regnis, & Prouincijs, cæterisque honeſtiſſimis viris immineat? Scilicet.

V. Longè aliter profectò omnes, quicunque iudicio præſtant, philoſophantur, vnaque cum Antiſthene

a *Infrà cap. 6.* b *Ibid.* c *Cap. 8.*
d *Cap. 10.*

Antiſthene, a qui cum intellexiſſet, ſe ab improbis laudari, vereri ſe dixit, ne quid imprudens fecerit: vt laudem à ſceleratis tributam, certum probri argumentum; ita vituperationem ab iiſdem profectam, incorruptum laudis eſſe chirographum, meritò ratiocinantur. Quamobrem Ioannes Picus, ingeniorum ille phœnix, ſapientiæque Princeps, Franciſcum ex fratre filium hoc ipſo perbeatum nomine, pulchrè celebrat. b *Felix es fili, quando non ſolùm id tibi tribuit Deus, vt bene viuas, ſed vt bene viuens à malis tamen ob id maximè, quia bene viuis, interim malè audias Æqua enim laus à laudatis laudari, & improbari ab improbis.* Quid quòd Clariſſimi Viri, quo ab hominibus vehementiùs agitantur, eo impenſiùs à te propugnantur, atque exornantur? c Moyſes ſanè, vbi Aaronis, atque Æthiopis ſtrictos in ſe dentes acerbè expertus eſt, profuſas, & miras à Numine laudes, vt ab Origene ſollerter obſeruatum cernimus, pleno excepit ſinu. *Audiſtis*, inquit, d *quid ſibi iudicij obtrectatores, & malè loqui, & damnationis acquirant. Audite nunc, & quantum beneficij conferant ijs, quibus obtrectant. Nunquam inuenimus tantas laudes Deum dixiſſe de Moyſe famulo ſuo, quantas nunc dici videmus, quando ab hominibus ei derogatum eſt.*

VI. Adde prætereà in re præſenti, tuos Codices maledicentiæ veneno prætinctos, ac pollutos per manus hominum paſſim volitare, neque tamen omnes à Sede Apoſtolicâ hactenus nominatim fuiſſe damnatos; ac proinde vt ij ſine neceſſario antidoto graſſantes, cum famæ tot tantorumque virorum fraude circumferuntur; ita præſentaneum hoc alexipharmacum eidem maledicentiæ admoueri nunc planè oportuiſſe.

VII. De-

a *Mant lib 7. Apophteg.* b *Epiſt. I. ad eundem.* c *Numer. 12.* d *Ibid.*

VII. Denique Catholicæ quoque Religionis interfuit ſine dubio quàm maximè hanc tuæ virulentiſſimæ obtrectationis ſcenam, ad tuæ Hæreſis ſpeciem colorandam retegere, cunctiſque ſpectandam hîc exhibere, vt mox longè adhuc contentiùs enitar, & diſtinctiùs exequar. Quæ quum ita ſe habeant, Scioppi, quicunque ſanæ mentis eſt, cuncta iſta putidorum vitiligatorum fulgura ex vitro vaniſſimi ſpectri dumtaxat micantia, vel hac tantùm religionis aſſerendæ gratiâ, nauci habenda, & contemnenda, facilè exiſtimabit.

§. VIII.

Scioppianæ maledicentiæ Epilogus.

I. Quanta tua ſit maledicentia, Scioppi, hactenus non tralatitiâ, reor, operâ, exploraui. Reliquum modò eſt, vt venam mihi tui non brachij, ſed animi, vt quâ fide tandem, Catholicâ, an Hæreticâ imbutus ſis, non leui brachio, vt innui, pertentem, ingenuè tu porrigas. Confiſte. Pulſum iam attingo, totius hominis habitum contemplor, graueolentem oris halitum, infeſtamque naribus animam excipio. Ne plura, ſatis eſt. Reſponſum, ac iudicium expectas? Tam Hæreſim, Scioppi, manifeſtò ſapis, quàm hircus hircum; quod tu oraculum ex tripode omnino reputa. Nam etſi cæteræ Teſſeræ, & Verrucæ minùs forent compertæ, hæc vtique compertiſſima. *Naturâ* quippe *Hæreticus etiam turbulentus* (vt probè Tertullianus Hermogeni dicam ſcribit a) *qui loquacitatem facundiam exiſtimet, & impudentiam conſtantiam deputet: & maledicere ſingulis, officium bonæ conſcientiæ iudicet.* Sapientiſſimè.

II. Num

a *Lib. aduerſùs Hermog.*

II. Num iam, Scioppi, Hæretici nebulonis naturam cupis penitùs introſpicere? Hæc in eo ſita eſt, Tertulliano iudice, vt *maledicere ſingulis officium bonæ conſcientiæ* cenſeat. Quis porrò te, verſipellis Protee, vel naturâ turbulentior, vel ingenij effrænatione ſolutior, vel doctrinæ temeritate dementior, qui, quum inconſultâ loquacitate, quicquid tibi in buccam venit, effundis, tum maximè te diſertum, & facundum arbitraris; quum autem fines omnes pudoris migras, conſtantiæ laudem potiſſimùm mereri te autumas? Quis maledicendi artem tam indefeſſo conatu exercet, vt tu, qui, vt te ab Hæreticis tot annorum interuallo, quo inter Catholicos, lupus inter oues, tam diu verſatis, nihil degeneràſſe oſtendas, *maledicere ſingulis*, vt copiosâ diſſertatione iam vici, *officium bonæ conſcientiæ iudicas?*

III. Quis verò, niſi Hæreticus, Franciſcanos Patres toto anno ambroſiâ, & nectare ſine piaculo vitam poſſe traducere, Monachos caritatis & miſericordiæ non æquè memores, auaritiæ ſordibus inquinatos, fermento Phariſæorum infectos eſſe, mentiretur? Mentitus planiſſimè, Scioppi, es. Quis, niſi Hæreticus, eos omnes viros Religioſos, quicunque *Monaſteria*, quæ Benedictini Ordinis aliquando fuerint, olim poſſederunt, aut etiamnum poſſident, licèt Summi Pontificis auctoritate ea nacti ſint, ſacrilegos eſſe: plerorumque Monachorum *Epicuriſmo* plurimos è Catholicis ab Eccleſiâ Romanâ diſceſſionem feciſſe: *Abbates* alicubi, & Præpoſitos cuticulam molliter curare, maioremque fructuum *Monaſteriorum* partem gulæ ac ventri pollucere, aſſeueraret? Tu Scioppi, aſſeueràſti. Quis, niſi Hæreticus, Ieſuitas hodiernos à Ieſu, & Ignatij quum doctrinâ, tum exemplo adeò deſciuiſſe, vt ſiue *Gentilium*, ſiue Phariſæorum nomen multo meliore iure, quàm Chriſtiano-

ſtianorum, aut Ieſuitarum in eos conueniat, ſcriberet? Tu Scioppi, ſcripſiſti. Quis, Sacerdotes omnes tribus in Prouincijs Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, præter ſex, *Concubinarios* inuentos fuiſſe; *Clericorumq; Secularium, qui ſic viuunt, vt nec Reſurrectionem, nec Angelum, aut Spiritum credere videantur, Epicuriſmum* vigere fabularentur, niſi Hæreticâ malignitate inſtigatus? Quis *Atheiſmi* labem iiſdem Clericis aſpergeret, vitamque illorum *lutulento porco, quàm homine digniorem* dictitaret, niſi Hæretico œſtro percitus? Quis Epiſcopos ad opus & munus ſuum inhabiles, atque ineptos, opum ſacrarum fures, raptores, patrimonia pauperum depeculantes, ac latrones eſſe: auaritiæ, & Mammonæ ſeruire, Deoſque alienos colere, criminaretur, niſi Hæretico ſpiritu infatuatus? Tu, Scioppi, fabulatus es, dictitâſti, criminatus es.

IV. Quis, niſi in Hæreticorum ſtabulis educatus, vt tu, ſtomacho, atque ore impuriſſimo eructare auſus fuiſſet, Epiſcopos ſacrilegos, homicidas, atque *Atheos* eſſe, ex ſuilibus, aut porcorum caulis, ſiue haris lectos, in croceis nutritos, ſtercora amplexari? Quis *Cardinali* Bellarmino paradoxa impia, nefaria, *ſcandaloſa*, & peſtifera, niſi Hæretico furore amens, vt tu, affinxiſſet? Quis Curiam Romanam, Romanoſque Pontifices nullam habere in diſpertiendis *Monaſteriorum* bonis diuini humaniúe iuris religionem. *Monaſteria, Cardinalibus*, ceu lupis dare in prædam; in actionibus potiùs appetitu, quàm ratione, duci, nec quid deceat, liceatque, conſiderare; niſi Hæreticis actus intemperijs, vt tu, fronte perfrictâ cauillatus eſſet? Quis poteſtatem Apoſtolicæ Sedis adeò ſcurriliter tam ſæpe irriſiſſet, imprudentes, ſtultoſque omnes Chriſti Vicarios, quotquot Ieſuitarum Ordinem approbârunt, pronuntiâſſet; eoſdem, quòd quum animarum Chriſti Domini ſanguine redemptarum

rum curam in ſe receperint, vel quid anima ſit neſciant, vel non pluris animam hominis, quàm piſcis, faciant, niſi Hæretico tinctus liuore, vt tu perſtrinxiſſet? Quis denique, niſi Hæreticâ impudentiâ incitatus, Summum Pontificem de iuſto meretricis pretio neceſſariò conſulendum, niſi tu calumniatus eſſet?

V. Ita nimirum, Scioppi, Hæreticorum veſtigijs ad vnguem inſiſtens, *maledicere ſingulis, officium bonæ conſcientiæ iudicâſti*, atque hoc pacto tuæ Hæreſis Verrucam monſtroſè extuberantem omnibus conſpicuam, neminique occultam voluiſti. Exploratum quippe apud Sapientes eſt, neque tibi, vt reor, incompertum, cunctos, qu Viris Eccleſiaſticis obtrectant, in Hæreſis ſuſpicionem venire, vt eruditè, ſolideque Petrus d Auiles contra Ioannem Spinum *art. 3. num.* 3,5 vſque ad 3,6. ex communi Doctorum ſcito demonſtrat. Neque verò eſt, cur hîc aliquis tui patronus excipiat, & pleraque acerrimè ſcripta non ſolùm ab Hæreticis, ſed etiam à Catholicis, imò & à Catholicorum ſanctiſſimis obijciat, ſi quidem quàm magno hæc interuallo à tuis conuicijs & maledictis diſterminentur, operosâ ac product diſceptatione in meis *Vindicijs, cap.* 10. iam demonſtraui.

Cap. VI.

Verruca ſexta Scioppianæ Hæreſis propudioſa mendaciorum, & calumniarum textrina.

I. VT ſunt ex technis fraudibusque conflat Hæretici, ita mentiendi, & calumniand artem exercent impudentiſſimè; *à Diabol* nimirum, qui calumniatorum anteſignanus eſt proſeminati, à parente filij minimè degeneres opera

opera illius conantur perficere. Et verò tum in Deum ipſum, tum in homines ſua mendacia, & calumnias non minùs impiè, quàm contentè intorquent. In Deum quidem, dum *circumdant Hæretici Dominum in mendacio*, vt egregiè monet S. Hieronymus, a *imò in negatione: Quicquid enim loquuntur, negatio, imo mendacium eſt; & circumdant eum in dolo, ſiue in impietate domus Iſraël: dum vniuerſa, quæ ſimulant, artifici ſermone componunt, & impietatem loquuntur contra Dominum.* In homines autem, quia *iſtæ ſunt machinæ Hæreticorum*, quemadmodū idem D. Hieronymus compertè notat, b *vt conuicti de perfidia ad maledicta ſe conferant Sic Euſtathius Antiochenus Epiſcopus filios dum neſcit, inuenit. Sic Athanaſius Alexandrinæ vrbis Pontifex tertiam Arſenij amputauit manum: dum enim, qui mortuus prius fingebatur, viuens poſteà habere monſtratus eſt.*

II. Nec æui noſtri Hæretici, exempla vel potiùs monſtra ſimilis impudentiæ deeſſe patiuntur. Nam *ſic etiam*, vt diſertè ſcribit Forerus, c *Robertus Bellarminus mille ſexcentas concubinas (quarum tamen nullam tetigit vnquam, aut vidit) dum Cardinalis eſſet, habuit, & pleraſque earum cum plurimis liberis ferro, igni veneno, aquis crudeliter interemit: Sic Ieſuitas Mclshemienſes, qui tamen adhuc hodie viuunt, ex theatro, quum perſonam Lutheri agerent, Cacodæmon ſpectante totâ Ciuium coronâ, ad Orcum rapuit; vti Famoſus libellus anno* CIƆIƆCXIV, *Lauingæ editus mentitus eſt: ſic multi alij maximi & ſanctiſsimi viri horrenda & immania ſcelera perpetrárunt, de quibus tamen nullam vnquam cogitationem ſuſceperunt;* adeò potens, adeò fœcundum, adeò ſollers Hæreticorum ingenium eſt, quod iſthæc omnia, & ſexcenta alia commenta per adipata mendacia, & inſanas calumnias compoſitè architectatur.

III. Nunc

a *In cap* 11 *Oſee*, verſ. 11. b *Lib.* 3. *in Ruffinum.*
c *In Appendice Protei, pag* 463.

III. Nunc interrogo te bonâ fide, Scioppi, ſi in hac nequitiæ palæſtrâ palmam tibi ſine controuerſiâ deberi contendam, indignaberiſne? ſi vltro ingeram, reijciéſne? ſi mentiendi calumniandiq́ue licentiâ nullum ſycophantam tibi parem eſſe pronuntiauero, fateberiſne? At velis nolis, vincam id etiam ingratijs tuis. Nam primò quid non mendaciorum, quid non calumniarum in Deum ipſum vomuiſti? Caue, abnuas; caue hiſcas. Alioqui rurſum te per omnes tuæ multiplicis Hæreſis Teſſeras, quas hactenus protuli, circumducam, denuoq́ue tibi, quot tuæ amentiæ tela in Diuos, ac Cœlites, in Chriſti Domini Eccleſiam, ſacrasq́ue Scripturas eiaculaueris, quæ & Deum quoque, vt liquet, dedecorant, patefaciam. Quid enim hæc omnia ſunt, niſi flagitioſæ tuæ doctrinæ totidem planè mendacia, & candidæ veritatis atræ calumniæ? In homines verò quæ mendaciorum portenta, quæ calumniarum monſtra non edidiſti? Quàm luculenter meis in *Vindicijs, cap.* 14 § 5 & 6. hæc ego intento digito commonſtraui, in lucem traxi, recenſui ſimulq́ue mactaui? Quid illa, quæ in Religioſorum virorum ſacras familias, in Clericos, in Sacerdotes, in Epiſcopos, in *Cardinales*, in Pontifices Maximos, in Principes, in Reges & Cæſares, vt paulò antè a docui, temerè admodum, ac nefariè elatrâſti, quàm infanda ex mendacijs & calumnijs nequiſſimè es fabricatus!

IV. Nihilominùs ne me hîc actum agere, tuæq́ue mentiendi, & calumniandi prærogatiuæ iamdudum compertæ nihil lucri ex commemoratis hactenus, perſpectisq́ue tuarum ſtrophatum documentis accedere conqueraris; age Scioppi, vtriuſque iſtius tui flagitij auctarium non pœnitendum, ſed tanto magis pudendum iam accipe; cum eo tamen, ne tibi, quod in *Vindicijs* meis loco laudato tempeſtiuè præfatus ſum, excidat, non

a *Cap* 5.

ignorate

ignorare me calumniæ mendacium ita ſemper eſſe agglutinatum, vt hoc illi neceſſariò, ac perpetuò hæreat, illa verò huic minimè, quum pleraque mendacia ſint, quæ ab omni calumniâ penitùs vacant: quanquam tu mendacijs calumnias pariter pro tuâ procaci veritatis adulterandæ libidine agglomerare operosè ſtuduiſti, vt in pręſentiâ oſtendam.

V. Quid enim rogo, fuit, quod te de mentis poteſtate adeò deturbauit, vt in tuâ *Aſtrologia Eccleſiaſtica, cap. 3. pag.* 10. Ieſuitas vocares *geminos germanos eorum*, quos Paulus 2 *Corinth.* 2. 4. & 11. *Pſeudoapoſtolos, operarios ſubdolos, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, ſeipſos commendantes, & occultantes dedecora ſua, ambulantes in aſtutia, adulterantes, doloſè tractantes, & cauponantes verbum Dei; nec ex ſynceritate, ſicut coram Deo, loquentes* appellat? incredibilis mentiendi, calumniandique cupiditas. Quid te impulit, vt ibidem mox adderes, eoſdem Ieſuitas velut *canes & malos operarios, inimicos Crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt, qui terrena ſapiunt, & quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ ſunt Ieſu*, ex *cap.*1.& 2. Epiſtolæ ad Philippenſes eſſe cauendos? mentiendi, & calumniandi ſtata profeſſio. Quid te ſolicitauit, vt eodem in libro *cap.*4. *pag.*15. Societatem Ieſu noſtrumque Ordinem, *Sodalitatem hominum Religioſorum, qui Phariſæorum more dicunt, & non faciunt*, nuncupares? mentiendi, calumniandique orexis inexplebilis. Quid, vt illic paulò pòſt traderes, *à Clericis* Societatis *Monachorum paupertatem, & humilitatem, tanquam literas neſcientium, & ſtolidorum derideri?* Quid, *vt cap.*5. *pag.*18. ſomniares, Ieſuitas *paupertate vouendâ Ananiæ, & Sapphiræ exemplo defraudare, ac Spiritui ſancto mentiri*, a *dupliciq; corde ad Deum accedere, cor plenum dolo & fallaciâ habentes?* b Quid, vt *cap.*11. *pag.*41.

a *Act.*5. b *Eccl.*1.

pag. 41. fabulareris, eoſdem Ieſuitas *non modò non exſoluere, quod non rapuerunt, ſed etiam ad maiorem Dei gloriam rapinas concupiſcere?* a mentiendi & calumniandi effrænata temeritas.

VI. Non me fugit, à te eodem *cap.* 11. *pag.* 41. literis eſſe conſignatum, Ieſuitas *partim meritu ſuis extollendis, alienis deprimendis; partim peccatis diuitum & potentum, ſiue ſilentio alendis, ſiue excuſatione, & venijs proſequendis, & incendendis, partim Phariſæorum artificia imitando, homines auro & argento callidè emungere.* Sed quem teſtem iſtius criminationis profers? mendacium dumtaxat, & calumniam. Scio illic *cap* 12. *pag.* 45. à te Ieſuitis rurſum imponi, quòd *credant maius eſſe aurum, quàm templum; & maius, ſiue melius eſſe donum aureum, vel argenteum in altari, quàm ipſum altare.* Sed quo Auctore hæc monſtra loqueris? mendacio tantùm, & calumniâ. Non me clam eſt, eoſdem Ieſuitas à te eodem libro *cap.* 19. *pag* 68. accuſari, quòd *factis ſuis ſuſpicionem moueant, ſe vouiſſe paupertatem, vt paupertatem effugerent; ſimiliterq; vouiſſe obedientiam, vt non ſolùm multis puerorum, & ephebōrum gregibus, ſed etiam principibus ac magnatibus imperarent.* Sed quo ex tripode has intemperias eruis? è mendacio ſolùm, & calumniâ. Noui iiſdem Ieſuitis abs te inibi *cap.* 20. *pag.* 75. & 76. dicam impingi, quòd *Ordinem S. Benedicti velut inutilem ſuis Monaſterijs velint euertere;* quòd *æmuli Benedictinorum ſint, & Ordinem S. Benedicti cupiant extinctum.* Sed quo ex oraculo hæc malignitatis deliramenta promis? ex mendacio tantummodò & calumniâ.

VII. Quid præterea? Expoſtulas in tuis *Arcanis Societatis, pag* 115 *Ieſuitas omnes Scholas, omnes Cathedras totius Orbis terrarum ſuis hominibus occupaſſe.* Quis tibi id in aurem garriuit? ſpiritus mentiendi

a *Pſal.* 61.

mentiendi, & calumniandi. Narras in tuâ *Anatomia, Tabulâ* 11. Monachusque Benedictinus in ſuâ ad Forerum Epiſtolâ, quam is in ſui *Protei Appendice, pag* 436. exhibet, à te repetitum teſtatur, *Summum Societatis meritum eſſe, quod in Concilio Tridentino reformationem impediuerit Cleri.* Quis vatum hoc tibi inſuſurrauit? tuus mentiendi, & calumniandi genius. Exprobras in eâdem *Anatomia, Tabulâ* 13. *Tyrannicum imperandi modum* in Societate noſtrâ vigere. Quæ Sibylla id tibi aperuit? tuâ mentiendi, & calumniandi licentia. Fabulam hanc tuis in *Arcanis, pag.* 108. & 109. Pontificiâ Vrbani VIII. fibulâ ſubnectis, de quo cantilenam improbè ita componis: *Hic apertè fert Generalis Ieſuitarum Imperium eſſe deſpoticum, ſiue herile, hoc eſt, Tyrannicum. Nemo enim niſi improbus Tyrannidem in homines ingenuos, ac bonis natos non cane peiùs odiſſe, atque execrari poteſt. Dum autem Tyrannidem in eo Imperio Pontifex agnoſcit, eâdem operâ fatetur ei adeſſe illa, ſine quibus Imperij forma ſubſiſtere non poteſt.* Sed quâ ex haruſpicinâ hæc, aurium ludibria hauſiſti? ex tuâ mentiendi, calumniandique ſentinâ.

VIII. Perge, & in *Myſterijs Societatis, pag.* 78. tironis perſonam induens, noſtrum Ordinem, hac adſperſâ cauillâ, traducito: *Satis iam tandem de hoc capite inſtructus ſum, & nolo rogare vlteriùs, quare in noſtra Sanctæ Societatis Ordinationibus, ſiue Conſtitutionibus, pag* 308. *ſcriptum ſit, ipſos* (nempe Ieſuitas) *debere Tyrannos aggredi, ſiue inuadere.* At ego nihil te, nihil iſta moror, quæ ex mendacijs dumtaxat, & calumnijs coagmentâſti. Perge, & in Arcanis, *pag* 125. memora à Ieſuitis iactari, *Gregorij* XIII *Pontificis viua vocis oraculo ſibi permiſſum eſſe, vt quoties Societatis ſalus & conſeruatio id poſtulare videtur, Sacramenti Confeſſionis ſecretum ſine vllo piaculo Superioribus reuelare, illúq; etiam*

aliena peccata, quamuis occultiſſima aperire poſſint. At quis tam pepo, tam fungus eſt, qui cuncta hæc non rideat, quæ ex ſolo tuorum mendaciorum, & calumniarum pollubro fudiſti? Perge denique, & in *Monaſterio* Murenſi, vt Monachus Benedictinus in Epiſtolâ iam laudatâ apud Forerum fidem facit, enuntia, nonniſi *duas Chriſti Societate* à te *noſci, quarum alterutram Ieſuitis nolu inuidere; vnam in ſtabulo cum aſino, alteram in cruce cum latrone; nihil obſtare te, quin aut aſini patres eſſe velint, aut dici latrones.* At quis ex aſinis adeò obbruteſcit, quis ex latronibus ita efferatur, vt iſthæc omnia ex ſolâ tuâ mendaciorum, & calumniarum officinâ prodire non cernat, ac proinde ſola pedum ſupploſione obruenda non cenſeat?

IX. Quibus ſanè, alijsque mendacijs, & calumnijs tuis quàm plurimis à te, Scioppi, fabre factis, à te congeſtis, à te in tam multos libellos famoſos diſtributis, & publicatis, etſi perennem illum inexhauſtumque omnis veritatis fontem, æternum Numen indidem laceſſitum maximè, ac temeratum, pro eo, ac par eſt, doleo vehementer; tantùm tamen abeſt, vt mouear, vel perturber, vt gaudio potiùs ingenti planè triumphem. Cui enim Chriſti Domini effatum, quo ſuos diſcipulos, *quum ijs maledixerint homines, & perſecuti eos fuerint, & dixerint omne malum aduerſùm illos mentientes propter ſe.* Matth. 5. beatos eſſe prædicat, ſolatio magno non ſit? Cui non inſigni leuationi, quod ibi mox Aſſertor Orbis addit: *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cælis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante nos?* Cui non volupe ſummoperè, quòd calumnias non Prophetis tantùm, ſed ipſi quoque Prophetarum conditori, qui ſecula omnia præceſſit, ſtructas fuiſſe compertum eſt? quòd Iudæi, vt refert Ioannes 7. obganniunt; *Seducit turbas?* quòd falſi teſtes, vt tradit

Lucas

Lucas 23. mentiuntur: *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Caſari?* quòd peruerſi homines, vt memorat Matthæus 11. ſugillant: *Ecce homo vorax, & potator vini?* quòd impij, vt exponit Marcus 3. fremunt: *Beelzebub habet, & quia in principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia?*

X. Cæterùm, Scioppi, non eſt Ieſuitis nouum, Societatem noſtram his & ſimilibus, quæ modò perſtrinxi, mendacijs, atque calumnijs à Catholicæ Religionis hoſtibus, atque à te potiſſimùm iſtorum Cliente, ac Patrono ſimul, non tam infamari, quàm nobilitari. Quin nos omnes, quotquot in mentem reuocamus, Apoſtolos *à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati*, lætabundos diſceſſiſſe, vt in Actis 5. teſtificatur Lucas, cuncta à te in nos iacta probra eximij beneficij loco numeramus, vt pluribus ego in meis *Vindicijs cap.* 1. 2 *&* 9. ediſſertaui.

XI. Porrò quæ tu nobis ſcelera procaciter affinxiſti, ego ſecurus omnis noxæ, è venenato tui in nos odij poculo cuiuis Lectori tutò propinari hîc à me poſſe meritò exiſtimaui, quòd iſtiuſmodi criminum ſimulacra adeò falſa, & commentitia ſint, rebusque à Societate noſtrâ in publicâ luce geſtis è regione prorſus ita aduerſentur, vt apud quemcunque veritatis liberum vindicem fidem omnem, ſtatim ac lecta, vel audita ſunt, amittant; præſertim quum ſine vllâ probatione, ſine vllo argumentorum colore à tuo cerrito capite ficta, tuum mentiendi, calumniandique cacoëthes cuiuis non omnino inerti ac ſtupido ob oculos actutum ponant, vt in meis *Vindicijs* toto capite 14. planiſſimè demonſtraui.

XII. Verùm ſi hoc etiam loco id animi gratiâ vno alteroúe documento experiri adlubeſcat; Scioppi, non inuitus hoc tibi quoque gratifica-

bor. Quæro ex te, Grammaticorum Signifer maxime, quum totius Orbis Cathedras à Ieſuitis occupatas ais, ac indignaris; num multis tabulis ac teſtibus, quò tuum hoc apertum mendacium, euidenſque calumnia reuincatur, opus eſt? Quàm de ſubito tu Ieſuitas in Armeniam, in Parthiam, in Bithyniam, in Thraciam, in Macedoniam, in Cappadociam, in Pontum, in Scythiam, in Phrygiam, cæteraſque in regiones tam multas, tam magnas, tam numeroſas, in quas Societas noſtra nec dum ſe penetrare potuit, nec ſcio, an noſtrum quiſquam aliquando eas attigerit, intuliſti? quàm repentinò noſtris hominibus in tam peregrinis prouincijs hoſpitia nactus es? quàm prodigialiter Collegia extruxiſti? Gymnaſia literaria condidiſti? Athenæa excitâſti? exedras inædificâſti? fundis & vectigalibus donâſti? agris fructuarijs, lautiſque ſtipendijs munerâſti? At hæc ridicula mendacia tua ſunt, inſulſæque calumniæ. Nam tibi tam vaſtæ regiones, quia in ijs Ieſuitæ minimè reperiuntur, Orbis partes non ſunt? At rurſum mentiris, & calumniaris quàm ineptiſſimè. Sed tu de cauillatione expoſtulas, ac de Orbe Chriſtiano dumtaxat te locutum magnâ animi religione aſſeueras, ac penè iuras. Eſto. At quàm multæ etiam in Catholicâ Repub. vrbes, ne dum oppidula, aut pagi, adhuc ſuperant, in quibus Societas noſtra nullum domicilium hodie habet? Sed quo illuſtrius tuum mendacium, & calumnia euaderet, neceſſe fuit, tot ac tam nobiles Ciuitates totidem extare vtriuſque tuæ ſycophantiæ teſtes omnino ineluctabiles. Vide, quò te Principatus Grammatici impotens ambitio, Scioppi, impulerit. Tam anxiè nimirum cruciabaris, ac verebaris, ne vllum gurguſtiolum, in quo Pædagogum agere poſſes, aut pueros, quibus tuam Grammaticam operam haud gratis locares, tibi

reliquos

reliquos Ieſuitæ facerent, vt propterea omnes Mundi Scholas à noſtri Ordinis præceptoribus iam vbique obſeſſas, enormi mendacio tuis in Arcanis numerandum tibi neceſſariò cenſueris.

XIII. At enim Cleri reformationem Ieſuitæ in Concilio Tridentino impediuerunt. Itáne impediuerunt? omnino. Sed quibus tu Scioppi, fucum hunc facis? putâsne hoc tuum mendacium Mileſijs fabulis quicquam concedere? putas calumniam iſtam iam iam euerberatam, vel hilo eſſe plauſibiliorem? Nihilominùs agnoſce hîc facilitatem meam. Ego non modò his omnibus commentis, ſed multo etiam fabuloſioribus, dummodò vnde hæc tu hauſeris, concinnè fabulari queas, meam protinus adiungam fidem. A quo enim mortalium tu accepiſti, Ieſuitas in Tridentinis Comitijs dilapſæ Eccleſiaſticorum hominum diſciplinæ reuocandæ, ac componendæ interceſſiſſe? quem tui iſtius dicti auctorem nuncupas? nullum. Quem Hiſtoricum appellas? nullum. Quem bipedum, vel quadrupedum memoras? nullum prorſus. Quo pacto igitur, quæ centum propè ab hinc annis Tridenti geſta ſunt, in tuam notitiam peruenerunt? Quem ignotæ huius rei notorem das? ſilent tabulæ, monumenta tacent, veſtigia nulla, fibræ nullæ ſunt. Num tu eo in Concilio ſtetiſti? At quî tandem, quum tu annum ſeptuagenum necdum expleueris, Conuentus autem ille ampliſſimus, antequàm hac lucis vſurâ tu fruereris, iam anno CIↃIↃLXIII. peractus, dimiſſus, ac penitùs diſſolutus fuerit? Nihil refert, inquis. Nihil? An tu oculatus teſtis eidem Concilio multò antè, quàm natus eſſes, interfuiſti? Minimè gentium. At ſine portentoſo huiuſmodi miraculo tuum hoc mendacium, & calumnia, vtroque pede, vt liquet, perridiculè claudicat. Sed fac etiam præterito ſeculo te vi-

xiſſe, illudq́ue Concilium tuis in oculis indictum, atque habitum fuiſſe: ſcitor ex te, quinam Ieſuitarum in eo comparuerunt? cedò, quinam? ſub eam tempeſtatem, in quam noſtri Ordinis exortus inciderat, & prima cunabula tum ferè adhuc tenebant, nonniſi pauciſſimi, vnus, alterq́ue Iacobus Lainius, & Alphonſus Salmeron, illuc Pontificis Maximi iuſſu à S. Ignatio parente noſtro, tum Petrus Caniſius, & Claudius Iaius, nulluſq́ue prætereà, quod ſciam, vt vulgati Annales fidem locupletem faciunt, deſtinati. Et quatuor hi viri præſtantiſſimi, doctrinæ abundantiâ, Religionis cultu, diſciplinæ ſeueritate, morum candore, cæteriſq́ue virtutum ornamentis ſpectatiſſimi, Cenſoriam in perditos Sacerdotes, & Clericos animaduerſionem, quam ſummoperè expetebant, atque vrgebant, ſufflaminârunt? ô temulentum mendacium! ô impudentem calumniam!

XIV. At nihilo ſaniùs inſanis, Scioppi, quum ſtatam Societatis noſtræ gubernandæ rationem, quæ ab vno ſupremo Moderatore tota pendet, nobiſq́ue etiamnum in vſu eſt, tyrannidis inſimulas. Nam effrænatam tuam iſtam vecordiam infamis mendacij, calumniæq́ue damnat in primis ipſemet S. Ignatius, qui eam inſtituit: damnant tot Summi Pontifices, qui eandem toties confirmârunt; damnat vniuerſa Eccleſia, cui eadem moderandi forma, vnum Chriſti Vicarium in terris agnoſcens, vſitata eſt; damnant tam multa alia, quæ ad hanc veritatem ſuo in lumine collocandam eruditè congerunt, tum Bellarminus *lib. 1. de Romano Pontifice, cap.* 16. tum Forerus in *Grammatico Proteo, pag.* 7. tum plerique alij alibi; damnat denique Concilium Tridentinum, quod *Seſſ.* 25. *cap.* 16. *de Regularibus* eandem approbauit, pijq́ue inſtituti nomine cohoneſtauit. Quid iam tu oggannire potes? an tyrannidem tibi ſapit, quod

pium eſt? At inſipiens tua iſta ſapientia mendacium, atque calumniam non tantùm ſapit, ſed omnino exhalat. Et nihilominùs ab Vrbano VIII. vituperatum noſtræ Societatis regimen, quod multi alij Pontifices, Patresque Tridentini Concilij laudârunt, fingere non erubeſcis? At quis, niſi Tragico Oreſte, vel Athamante dementior, hoc tuum mendacium auctum mendacio, calumniamque exaggeratam calumniâ accredat tibi?

XV. Vnde verò tu iniquam Tyrannorum aggreſſionem à noſtris Conſtitutionibus commendari, vt tuis in *Myſterijs* cauillaris, didiciſti? à tuâ mentiendi calumniandique improbitate. Quis enim vnquam ſciti huius, vel conſilij flagitioſiſſimi apicem vllum, ne dum ſyllabam, aut literulam noſtris in Conſtitutionibus, vel Regulis, aut alijs monumentis legit, vel offendit? nemo vnus. Soli tui oculi, Scioppi, quos inueteratum, & plus, quàm Vatinianum in Societatem noſtram odium iam pridem cæcauit, quod cupis, cernunt; quod cernis, peruertunt. Nequaquam, inquis, ſed Ieſuitæ Lectoribus per bellam ludificationem imponunt. Quum enim apud illos, vt in *Statera* meâ, *cap.* 8. *pag.* 98. nota vi, *Conſtitutiones diuerſi generis ſint*, aliæ vulgares, *ſecretiores* aliæ; hæ nonniſi *paucis innoteſcunt*, adeoque non mirum, ſi vulgo latent. At hoc quoque trabale mendacium tuum tam cuique perſpicuum eſt, quàm noſtras Conſtitutiones vnico prorſus volumine contineri, omnibusque ex noſtris, qui eas peruolutare cupiunt, præſto eſſe, exploratum.

XVI. Conſimilis pariter ſuccus atræ tuæ loliginis de ſecreto piacularis confeſſionis, ex Gregorij XIII. indulgentiâ reuelando totus è tuo duntaxat calamo, Scioppi, fluit. Nam quis Catholicorum tam bardus eſt, qui neſciat, ſacramenti illius arcanum adeò arcto Religionis ſigillo diui-

nitus, atque humanitus obſignari, vt Pontifici Maximo nihil penitùs iuris ad illud, vel minimâ labeculâ in eo çognitâ, ac proditâ, nec cuiuſcunque etiam boni conſequendi, aut mali vitandi gratiâ, labefactandum, relictum ſit, morique potiùs quis debeat, quàm illud temerare? An ergo credibile, Scioppi, eſt, Gregorium XIII. ſapientiſſimum, atque integerrimum Pontificem, hoc diuinum, humanumque ius impio ſacrilegio perrumpere voluiſſe? Imò verò certum, te, qui Romanos Pontifices deſpicatui habes, qui Sedem Apoſtolicam obteris, qui totam Eccleſiam quoque in Sanctorum conſecratione allucinari poſſe, aïs, vt in hoc *Lydio* a iam oſtendi, hæc atque alia crimina Chriſti Domini Vicarijs per atrocem calumniam, & ſummum nefas imponere. Porrò viuæ vocis oraculum, quod Gregorius neque vnquam edidit, neque vnquam edere iure potuit, Ieſuitarum nullus aliquando retulit, multò minùs vſurpauit, ſed tu ſolus pro tuâ mentiendi, calumniandique libidine, ſine vllâ rationis, aut fidei adhibitæ vmbrâ euulgâſti.

XVII. Haud ſecus procliue mihi, & cuiuis tuarum fraudium non ignaro, Scioppi, eſt, & reliquas quoque omnes, quæ reſtant, calumnias, & mendacia à te texta, quemadmodum iam in paucis his præſtiti, retexere, atque in crucem agere, quum ijs cunctis nullum aliud fulcrum, præter inſitam tuam noſtræ Societatis maleuolentiam, ſubieceris. At pauca hæc documenta tuorum quum mendaciorum, tum calumniarum hîc à me data, cæterorum quoque ſpecimen præbent, atque ad Hæreſis Verrucam exenterandam abunde ſufficiunt.

a *Part. 2.*

Cap. VII.

Verruca ſeptima Sciopppianæ Hæreſis, ſupina ignorantia, atque inſcitia.

I. QVanquam Hæretici eruditionis doctrinæque nomine intolerantiſſimè ſeſe efferunt, vt nôſti, Scioppi; tamen quum veritatis Catholicæ lumen, obſtinatâ cæcitate capti, intueri renuant; pingui eos densâque multorum errorum caligine obſideri, neceſſe eſt. Quid mirum? *Reliquerunt* perduelles ac refractarij, vt ſapienter notat D. Hieronymus, a *regnum Dauid, & Ieruſalem, id eſt, Chriſtum, & Eccleſiam: & ideò æternâ nocte cooperti ſunt, nec habent ſcientiam Dei, & repelluntur à Domino.* At quis tam immodicus ſuarum æſtimator literarum, quàm tu? quis de ſcientiæ diuite gazâ ſibi comparatâ ſublatiùs, inſolentiusque gloriatur, quàm tu? Satis anteà b huiuſmodi tuam venditationem atque oſtentationem ſpectauimus, nec ſine ſtomacho. Sed quamuis tam multa tibi ſcire videaris, vnum tamen profectò adhuc eſt, quod planè neſcis, quàm obeſæ inſcitiæ adipe tua omnis ſcientia differta ſit. Nam etſi fieri nonnunquam poteſt, vt Hæretici, qui in Chriſtianæ Religionis dogmatis acie oculorum deficiuntur, aliarum artium tamen benè periti ſint; nihilominùs tu pleroſque Hæreticorum, hac etiam prærogatiuâ, quòd in ſingulis abſurdè, pueriliterque multa allucinaris, omnino ſuperas, vt mox conſtabit.

a *In cap.4.Oſee, ad ea:* Nocte tacere feci, *&c.*
b *Part.3.cap.1.§.1.*

§. I.

Scioppiana Grammatices imperitia.

II. Si quâ in re, Scioppi, plebi te eximis, pauloque inter congerrones tuos, ac rabulas emines, nullus equidem dubito, quin Grammaticis in tricis regnare prorſus, ac triumphare tibi videaris. Hinc in tuâ *humanarum, & diuinarum literarum Pædia*, hoc eſt, in tuorum librorum Catalogo Grammaticas lucubrationes à te elucubratas tam operosè recenſes. Hinc *pag* 9. ibidem tam magnificè à te celebratur *Pædia Grammatica, ſeu Myſtagogus Latinitatis: cuius vſus erit, vt qui nullum omnino verbum Latinum intelligit, vno anno quamcunque Ciceronis Epiſtolam Marte ſuo interpretari, omniumq́; rationes certiùs & expeditiùs reddere queat, quàm alius vel triginta annis in lingua Latinæ ſtudio & exercitio verſatus* Hinc *pag.* 13. in cœlum à te tollitur *Mercurius bilinguis, ſiue noua & compendioſa ratio Latinæ, aut Italicæ linguæ intra vertentem annum perdiſcendæ: cuius generis parati iam ſunt alij Mercurij ad intelligentiam linguarum Hebrææ, Græcæ, Hiſpanicæ, Gallicæ, Anglicæ, Germanicæ, Boëmicæ, & Sclauonicæ, ſiue Illyricæ.* Hinc *pag.* 14. mirè à te prædicatur *Grammatica Philoſophica pro lingua Latinæ Magiſtris & Tironibus, vt ſcilicet Tirones Magiſtri, Magiſtri autem Tirones fiant.* Hinc ſtatim iactanter à te proſcribitur *Minerua Sanctiana, ſiue Commentarius de Lingua Latina cauſſis ipſi etiam Ciceroni, Varroni, Quinctiliano ignotis.* Hinc inibi verbis ampullantibus à te euulgantur *Paradoxa literaria, in quibus multa de literis nouè contra Ciceronis, Varronis, Quinctiliani, aliorumq́; literatorum hominum tam veterum, quàm recentiorum ſententiam diſputantur.* Hinc actutum ductu vno, ſingularique paratu in aciem à te euocantur tum *Rudimenta Grammaticæ Philo-*

ſophicæ,

ſophica, in vſum Tironum, tum *Auctarium Grammatica Philoſophica, in quo etiam de Lexicorum Latinorum virtutibus, ac vitÿs diſſeritur,* tum *Septem rationes, qua religionem ſeu ſcrupulum Epiſcopis inÿcere debent, ne veterem Grammaticam diutius in ſcholis tolerare, ſed nouam in eam inducere velint.* Quibus omnibus laboribus pluſquàm Herculeis egregiè defunctus, in Grammaticorum omnium Numen iam pridem te eſſe dilapſum, facilè, opinor, cenſebis, & cunctis quoque quàm perſuaſiſſimum eſſe, ſi non iudicabis, certè quidem voles.

I I I. Nihilominùs quantum fuci, Scioppi, tam ſpecioſis opulentæ tuæ literaturæ titulis Lectori facias, quamque impensè tuâ exiſtimatione fallaris, non tralatitiâ ego operâ, ſed iuſtis omnino voluminibus, nempe *Dentiſcalpio, Strigili,* & *Nouaculâ,* quæ luci, quàm primùm licebit, committam, palàm demonſtro. At ſi hoc loco multiplicem tuam Grammatices inſcitiam coner ex profeſſo reuincere, cogar planè eoſdem Codices hîc ita integros ſolidosque infarcire, ſed ex ſuperuacuo prorſus, atque otioſè. Quocirca ſatiùs, opinor, eſſe hos meos ad libros Lectorem in præſentiâ dimittere, tuæque imperitiæ Grammatices ſpecimen dumtaxat eidem hîc carptim dare.

I V. Quæro igitur ex te, Scioppi, quum Grammaticam, diſciplinarum ianuam iam olim nuncuptam non ignores; quid de eo, qui in ipſomet Grammaticæ limine turpiter offendit, ſentiendum autumas? num bonum Grammaticum tu eum cenſeas? non credo, nec quiſquam te adeò delirare putet. Quid porrò in Grammatices ipſo veſtibulo tam hæret, quàm vitiorum, quæ purum ſermonem inquinant, diuiſio, ſiue partitio? At tu hæc ipſa vitia quo pacto ſecas, ac diſtinguis? Redíſne in memoriam, quid in tuâ *Rhetoricarum Exexcitationum Diſſertatione,* nec non in tuâ quoq;

aliena peccata, quamuis occultiſſima aperire poſſint. At quis tam pepo, tam fungus eſt, qui cuncta hæc non rideat, quæ ex ſolo tuorum mendaciorum, & calumniarum pollubro fudiſti? Perge denique, & in *Monaſterio* Murenſi, vt Monachus Benedictinus in Epiſtolâ iam laudatâ apud Forerum fidem facit, enuntia, nonniſi *duas Chriſti Societate* à te *noſci, quarum alterutram Ieſuitis nolu inuidere; vnam in ſtabulo cum aſino, alteram in cruce cum latrone; nihil obſtare te, quin aut aſini patres eſſe velint, aut dici latrones.* At quis ex aſinis adeò obbruteſcit, quis ex latronibus ita efferatur, vt iſthæc omnia ex ſolâ tuâ mendaciorum, & calumniarum officinâ prodire non cernat, ac proinde ſola pedum ſupploſione obruenda non cenſeat?

IX. Quibus ſanè, alijsque mendacijs, & calumnijs tuis quàm plurimis à te, Scioppi, fabre factis, à te congeſtis, à te in tam multos libellos famoſos diſtributis, & publicatis, etſi perennem illum inexhauſtumque omnis veritatis fontem, æternum Numen indidem laceſſitum maximè, ac temeratum, pro eo, ac par eſt, doleo vehementer; tantùm tamen abeſt, vt mouear, vel perturber, vt gaudio potiùs ingenti planè triumphem. Cui enim Chriſti Domini effatum, quo ſuos diſcipulos, *quum* ijs *maledixerint homines, & perſecuti eos fuerint, & dixerint omne malum aduersùm illos mentientes propter ſe.* Matth. 5, beatos eſſe prædicat, ſolatio magno non ſit? Cui non inſigni leuationi, quod ibi mox Aſſertor Orbis addit: *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cœlis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante nos?* Cui non volupe ſummoperè, quòd calumnias non Prophetis tantùm, ſed ipſi quoque Prophetarum conditori, qui ſecula omnia præceſſit, ſtructas fuiſſe compertum eſt? quòd Iudæi, vt refert Ioannes 7. obganniunt; *Seducit turbas?* quòd falſi teſtes, vt tradit

Lucas 23. mentiuntur: *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari?* quòd peruerſi homines, vt memorat Matthæus 11. ſugillant: *Ecce homo vorax, & potator vini?* quòd impij, vt exponit Marcus 3. fremunt: *Beelzebub habet, & quia in principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia?*

X. Cæterùm, Scioppi, non eſt Ieſuitis nouum, Societatem noſtram his & ſimilibus, quæ modò perſtrinxi, mendacijs, atque calumnijs à Catholicæ Religionis hoſtibus, atque à te potiſſimùm iſtorum Cliente, ac Patrono ſimul, non tam infamari, quàm nobilitari. Quin nos omnes, quotquot in mentem reuocamus, Apoſtolos *à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati,* lætabundos diſceſſiſſe, vt in Actis 5. teſtificatur Lucas, cuncta à te in nos iacta probra eximij beneficij loco numeramus, vt pluribus ego in meis *Vindicijs cap.* 1.2 *&* 9. ediſſertaui.

XI. Porrò quæ tu nobis ſcelera procaciter affinxiſti, ego ſecurus omnis noxæ, è venenato tui in nos odij poculo cuiuis Lectori tutò propinari hîc à me poſſe meritò exiſtimaui, quòd iſtiuſmodi criminum ſimulacra adeò falſa, & commentitia ſint, rebusque à Societate noſtrâ in publicâ luce geſtis è regione prorſus ita aduerſentur, vt apud quemcunque veritatis liberum vindicem fidem omnem, ſtatim ac lecta, vel audita ſunt, amittant; præſertim quum ſine vllâ probatione, ſine vllo argumentorum colore à tuo cerrito capite ficta, tuum mentiendi, calumniandique cacoëthes cuiuis non omnino inerti ac ſtupido ob oculos actutum ponant, vt in meis *Vindicijs* toto capite 14. planiſſimè demonſtraui.

XII. Verùm ſi hoc etiam loco id animi gratiâ vno alteroue documento experiri adlubeſcat; Scioppi, non inuitus hoc tibi quoque gratificabor.

bor. Quæro ex te, Grammaticorum Signifer maxime, quum totius Orbis Cathedras à Ieſuitis occupatas ais, ac indignaris; num multis tabulis ac teſtibus, quò tuum hoc apertum mendacium, euidensque calumnia reuincatur, opus eſt? Quàm de ſubito tu Ieſuitas in Armeniam, in Parthiam, in Bithyniam, in Thraciam, in Macedoniam, in Cappadociam, in Pontum, in Scythiam, in Phrygiam, cæterasque in regiones tam multas, tam magnas, tam numeroſas, in quas Societas noſtra nec dum ſe penetrare potuit, nec ſcio, an noſtrum quiſquam aliquando eas attigerit, intuliſti? quàm repentinò noſtris hominibus in tam peregrinis prouincijs hoſpitia nactus es? quàm prodigialiter Collegia exſtruxiſti? Gymnaſia literaria condidiſti? Athenæa excitâſti? exedras inædificâſti? fundis & vectigalibus donâſti? agris fructuarijs, lautisque ſtipendijs munerâſti? At hæc ridicula mendacia tua ſunt, inſulſæque calumniæ. Nam tibi tam vaſtæ regiones, quia in ijs Ieſuitæ minimè reperiuntur, Orbis partes non ſunt? At rurſum mentiris, & calumniaris quàm ineptiſſimè. Sed tu de cauillatione expoſtulas, ac de Orbe Chriſtiano dumtaxat te locutum magnâ animi religione aſſeueras, ac penè iuras. Eſto. At quàm multæ etiam in Catholicâ Repub. vrbes, ne dum oppidula, aut pagi, adhuc ſuperant, in quibus Societas noſtra nullum domicilium hodie habet? Sed quo illuſtrius tuum mendacium, & calumnia euaderet, neceſſe fuit, tot ac tam nobiles Ciuitates totidem extare vtriuſque tuæ ſycophantiæ teſtes omnino ineluctabiles. Vide, quò te Principatus Grammatici impotens ambitio, Scioppi, impulerit. Tam anxiè nimirum cruciabaris, ac verebaris, ne vllum gurguſtiolum, in quo Pædagogum agere poſſes, aut pueros, quibus tuam Grammaticam operam haud gratis locares, tibi

reliquos

reliquos Ieſuitæ facerent, vt propterea omnes Mundi Scholas à noſtri Ordinis præceptoribus iam vbique obſeſſas, enormi mendacio tuis in Arcanis numerandum tibi neceſſariò cenſueris.

XIII. At enim Cleri reformationem Ieſuitæ in Concilio Tridentino impediuerunt. Itáne impediuerunt? omnino. Sed quibus tu Scioppi, fucum hunc facis? putáſne hoc tuum mendacium Mileſijs fabulis quicquam concedere? putas calumniam iſtam iam iam euerberatam, vel hilo eſſe plauſibiliorem? Nihilominùs agnoſce hîc facilitatem meam. Ego non modò his omnibus commentis, ſed multo etiam fabuloſioribus, dummodò vnde hæc tu hauſeris, concinnè fabulari queas, meam protinus adiungam fidem. A quo enim mortalium tu accepiſti, Ieſuitas in Tridentinis Comitijs dilapſæ Eccleſiaſticorum hominum diſciplinæ reuocandæ, ac componendæ interceſſiſſe? quem tui iſtius dicti auctorem nuncupas? nullum. Quem Hiſtoricum appellas? nullum. Quem bipedum, vel quadrupedum memoras? nullum prorſus. Quo pacto igitur, quæ centum propè ab hinc annis Tridenti geſta ſunt, in tuam notitiam peruenerunt? Quem ignotæ huius rei notorem das? ſilent tabulæ, monumenta tacent, veſtigia nulla, fibræ nullæ ſunt. Num tu eo in Concilio ſtetiſti? At quî tandem, quum tu annum ſeptuagenum necdum expleueris, Conuentus autem ille ampliſſimus, antequàm hac lucis vſurâ tu fruereris, iam anno CIↃIↃLXIII. peractus, dimiſſus, ac penitùs diſſolutus fuerit? Nihil refert, inquis. Nihil? An tu oculatus teſtis eidem Concilio multò antè, quàm natus eſſes, interfuiſti? Minimè gentium. At ſine portentoſo huiuſmodi miraculo tuum hoc mendacium, & calumnia, vtroque pede, vt liquet, perridiculè claudicat. Sed fac etiam præterito ſeculo te vi-

xiſſe, illudq́ue Concilium tuis in oculis indictum atque habitum fuiſſe: ſcitor ex te, quinam Ieſuitarum in eo comparuerunt? cedò, quinam? ſub eam tempeſtatem, in quam noſtri Ordinis exortus inciderat, & prima cunabula tum ferè adhuc tenebant, nonniſi pauciſſimi, vnus, alterq́ue Iacobus Lainius, & Alphonſus Salmeron, illuc Pontificis Maximi iuſſu à S. Ignatio parente noſtro, tum Petrus Caniſius, & Claudius Iaius, nullusq́ue prætereà, quod ſciam, vt vulgati Annales fidem locupletem faciunt, deſtinati. Et quatuor hi viri præſtantiſſimi, doctrinæ abundantiâ, Religionis cultu, diſciplinæ ſeueritate, morum candore, cæterisq́ue virtutum ornamentis ſpectatiſſimi, Cenſoriam in perditos Sacerdotes, & Clericos animaduerſionem, quam ſummoperè expetebant, atque vrgebant, ſufflaminârunt? ô temulentum mendacium! ô impudentem calumniam!

XIV. At nihilo ſaniùs inſanis, Scioppi, quum ſtatam Societatis noſtræ gubernandæ rationem, quæ ab vno ſupremo Moderatore tota pendet, nobisq́ue etiamnum in vſu eſt, tyrannidis inſimulas. Nam effrænatam tuam iſtam vecordiam infamis mendacij, calumniæq́ue damnat in primis ipſemet S. Ignatius, qui eam inſtituit: damnant tot Summi Pontifices, qui eandem toties confirmârunt; damnat vniuerſa Eccleſia, cui eadem moderandi forma, vnum Chriſti Vicarium in terris agnoſcens, vſitata eſt; damnant tam multa alia, quæ ad hanc veritatem ſuo in lumine collocandam eruditè congerunt, tum Bellarminus *lib. 1. de Romano Pontifice, cap. 16.* tum Forerus in *Grammatico Proteo, pag. 7.* tum plerique alij alibi; damnat denique Concilium Tridentinum, quod *Seſſ. 25. cap. 16. de Regularibus* eandem approbauit, pijq́ue inſtituti nomine cohoneſtauit. Quid iam tu oggannire potes? an tyrannidem tibi ſapit, quod

pium

pium eſt? At inſipiens tua iſta ſapientia mendacium, atque calumniam non tantùm ſapit, ſed omnino exhalat. Et nihilominùs ab Vrbano VIII. vituperatum noſtræ Societatis regimen, quod multi alij Pontifices, Patreſque Tridentini Concilij laudârunt, fingere non erubeſcis? At quis, niſi Tragico Oreſte, vel Athamante dementior, hoc tuum mendacium auctum mendacio, calumniamque exaggeratam calumniâ accredat tibi?

XV. Vnde verò tu iniquam Tyrannorum aggreſſionem à noſtris Conſtitutionibus commendari, vt tuis in *Myſterijs* cauillaris, didiciſti? à tuâ mentiendi calumniandique improbitate. Quis enim vnquam ſciti huius, vel conſilij flagitioſiſſimi apicem vllum, ne dum ſyllabam, aut literulam noſtris in Conſtitutionibus, vel Regulis, aut alijs monumentis legit, vel offendit? nemo vnus. Soli tui oculi, Scioppi, quos inueteratum, & plus, quàm Vatinianum in Societatem noſtram odium iam pridem cæcauit, quod cupis, cernunt; quod cernis, peruertunt. Nequaquam, inquis, ſed Ieſuitæ Lectoribus per bellam ludificationem imponunt. Quum enim apud illos, vt in *Statera* meâ, *cap.*8. *pag.*98. nota vi, *Conſtitutiones diuerſi generis ſint,* aliæ vulgares, *ſecretiores* aliæ; hæ nonniſi *paucis inneteſcunt,* adeoque non mirum, ſi vulgo latent. At hoc quoque trabale mendacium tuum tam cuique perſpicuum eſt, quàm noſtras Conſtitutiones vnico prorſus volumine contineri, omnibusque ex noſtris, qui eas peruolutare cupiunt, præſto eſſe, exploratum.

XVI. Conſimilis pariter ſuccus atræ tuæ loliginis de ſecreto piacularis confeſſionis, ex Gregorij XIII. indulgentiâ reuelando totus è tuo duntaxat calamo, Scioppi, fluit. Nam quis Catholicorum tam bardus eſt, qui neſciat, ſacramenti illius arcanum adeò arcto Religionis ſigillo diui-

nitus, atque humanitus obſignari, vt Pontifici Maximo nihil penitùs iuris ad illud, vel minimâ labeculâ in eo cognitâ, ac proditâ, nec cuiuſcunque etiam boni conſequendi, aut mali vitandi gratiâ, labefactandum, relictum ſit, moriq́ue potiùs quis debeat, quàm illud temerare? An ergo credibile, Scioppi, eſt, Gregorium XIII. ſapientiſſimum, atque integerrimum Pontificem, hoc diuinum, humanumq́ue ius impio ſacrilegio perrumpere voluiſſe? Imò verò certum, te, qui Romanos Pontifices deſpicatui habes, qui Sedem Apoſtolicam obteris, qui totam Eccleſiam quoque in Sanctorum conſecratione allucinari poſſe, aïs, vt in hoc *Lydio a* iam oſtendi, hæc atque alia crimina Chriſti Domini Vicarijs per atrocem calumniam, & ſummum nefas imponere. Porrò viuæ vocis oraculum, quod Gregorius neque vnquam edidit, neque vnquam edere iure potuit, Ieſuitarum nullus aliquando retulit, multò minùs vſurpauit, ſed tu ſolus pro tuâ mentiendi, calumniandiq́ue libidine, ſine vllâ rationis, aut fidei adhibitæ vmbrâ euulgâſti.

XVII. Haud ſecus procliue mihi, & cuiuis tuarum fraudium non ignaro, Scioppi, eſt, & reliquas quoque omnes, quæ reſtant, calumnias, & mendacia à te texta, quemadmodum iam in paucis his præſtiti, retexere, atque in crucem agere, quum ijs cunctis nullum aliud fulcrum, præter inſitam tuam noſtræ Societatis maleuolentiam, ſubieceris. At pauca hæc documenta tuorum quum mendaciorum, tum calumniarum hîc à me data, cæterorum quoque ſpecimen præbent, atque ad Hæreſis Verrucam exenterandam abundè ſufficiunt.

a *Part.* 2.

Cap. VII.

Verruca ſeptima Scioppianæ Hæreſis, ſupina ignorantia, atque inſcitia.

I. Qvanquam Hæretici eruditionis doctrinæque nomine intolerantiſſimè ſeſe efferunt, vt nôſti, Scioppi; tamen quum veritatis Catholicæ lumen, obſtinatâ cæcitate capti, intueri renuant; pingui eos densâque multorum errorum caligine obſideri, neceſſe eſt. Quid mirum? *Reliquerunt* perduelles ac refractarij, vt ſapienter notat D. Hieronymus, a *regnum Dauid, & Ieruſalem, id eſt, Chriſtum, & Eccleſiam: & ideò æternâ nocte cooperti ſunt, nec habent ſcientiam Dei, & repelluntur à Domino.* At quis tam immodicus ſuarum æſtimator literarum, quàm tu? quis de ſcientiæ diuite gazâ ſibi comparatâ ſublatiùs, inſolentiusque gloriatur, quàm tu? Satis anteà b huiuſmodi tuam venditationem atque oſtentationem ſpectauimus, nec ſine ſtomacho. Sed quamuis tam multa tibi ſcire videaris, vnum tamen profectò adhuc eſt, quod planè neſcis, quàm obeſæ inſcitiæ adipe tua omnis ſcientia differta ſit. Nam etſi fieri nonnunquam poteſt, vt Hæretici, qui in Chriſtianæ Religionis dogmatis acie oculorum deficiuntur, aliarum artium tamen bene periti ſint; nihilominùs tu pleroſque Hæreticorum, hac etiam prærogatiuâ, quòd in ſingulis abſurdè, pueriliterque multa allucinaris, omnino ſuperas, vt mox conſtabit.

a *In cap.4.Oſee, ad ea:* Nocte tacere feci, *&c.*
b *Part.3.cap.1.§.1.*

§. I.

Scioppiana Grammatices imperitia.

II. Si quâ in re, Scioppi, plebi te eximis, pauloque inter congerrones tuos, ac rabulas emines, nullus equidem dubito, quin Grammaticis in tricis regnare prorſus, ac triumphare tibi videaris. Hinc in tuâ *humanarum, & diuinarum literarum Pædia*, hoc eſt, in tuorum librorum Catalogo Grammaticas lucubrationes à te elucubratas tam operosè recenſes. Hinc *pag* 9. ibidem tam magnificè à te celebratur *Pædia Grammatica, ſeu Myſtagogus Latinitatis: cuius vſus erit, vt qui nullum omnino verbum Latinum intelligit, vno anno quamcunque Ciceronis Epiſtolam Marte ſuo interpretari, omniumq; rationes certiùs & expeditiùs reddere queat, quàm alius vel triginta annis in lingua Latina ſtudio & exercitio verſatus* Hinc *pag.* 13. in cœlum à te tollitur *Mercurius bilinguis, ſiue noua & compendioſa ratio Latina, aut Italicæ linguæ intra vertentem annum perdiſcendæ: cuius generis parati iam ſunt alij Mercurij ad intelligentiam linguarum Hebrææ, Græcæ, Hiſpanicæ, Gallicæ, Anglicæ, Germanicæ, Boëmicæ, & Sclauonicæ, ſiue Illyricæ.* Hinc *pag.* 14. mirè à te prædicatur *Grammatica Philoſophica pro lingua Latinæ Magiſtris & Tironibus, vt ſcilicet Tirones Magiſtri, Magiſtri autem Tirones fiant.* Hinc ſtatim iactanter à te proſcribitur *Minerua Sanctiana, ſiue Commentarius de Lingua Latina cauſſis ipſi etiam Ciceroni, Varroni, Quinctiliano ignotis.* Hinc inibi verbis ampullantibus à te euulgantur *Paradoxa literaria, in quibus multa de literis nouè contra Ciceronis, Varronis, Quinctiliani, aliorumq; literatorum hominum tam veterum, quàm recentiorum ſententiam diſputantur.* Hinc actutum ductu vno, ſingularique paratu in aciem à te euocantur tum *Rudimenta Grammaticæ Philoſophicæ,*

ſophicæ, in vſum Tironum, tum *Auctarium Grammaticæ Philoſophicæ, in quo etiam de Lexicorum Latinorum virtutibus, ac vitijs diſſeritur*, tum *Septem rationes, quæ religionem ſeu ſcrupulum Epiſcopis inijcere debent, ne veterem Grammaticam diutius in ſcholis tolerare, ſed nouam in eam inducere velint* Quibus omnibus laboribus pluſquàm Herculeis egregiè defunctus, in Grammaticorum omnium Numen iam pridem te eſſe dilapſum, facilè, opinor, cenſebis, & cunctis quoque quàm perſuaſiſſimum eſſe, ſi non iudicabis, certè quidem voles.

III. Nihilominùs quantum fuci, Scioppi, tam ſpecioſis opulentæ tuæ literaturæ titulis Lectori facias, quamque impensè tuâ exiſtimatione fallaris, non tralatitiâ ego operâ, ſed iuſtis omnino voluminibus, nempe *Dentiſcalpio, Strigili*, & *Nouaculâ*, quæ luci, quàm primùm licebit, committam, palàm demonſtro. At ſi hoc loco multiplicem tuam Grammatices inſcitiam coner ex profeſſo reuincere, cogar planè eoſdem Codices hîc ita integros ſolidosque infarcire, ſed ex ſuperuacuo prorſus, atque otioſè. Quocirca ſatiùs, opinor, eſſe hos meos ad libros Lectorem in præſentiâ dimittere, tuæque imperitiæ Grammatices ſpecimen dumtaxat eidem hîc carptim dare.

IV. Quæro igitur ex te, Scioppi, quum Grammaticam, diſciplinarum ianuam iam olim nuncuptam non ignores; quid de eo, qui in ipſomet Grammaticæ limine turpiter offendit, ſentiendum autumas? num bonum Grammaticum tu eum cenſeas? non credo, nec quiſquam te adeò delirare putet. Quid porrò in Grammatices ipſo veſtibulo tam hæret, quàm vitiorum, quæ purum ſermonem inquinant, diuiſio, ſiue partitio? At tu hæc ipſa vitia quo pacto ſecas, ac diſtinguis? Redíſne in memoriam, quid in tuâ *Rhetoricarum Exexcitationum Diſſertatione*, nec non in tuâ quoq;

Politices Pædia ferè initio pronuntiâris? *Sermonis vitia*, inquis, *quæ puritati aduerſantur, ſunt omnino quinque, Barbariſmus, Solœciſmus, Nouatio, peregrinitas, & Archaiſmus, ſiue obſoleti verbi vſus.* Sed næ tu ab ipsâ aberras ianuâ, Scioppi. Nam cui, rogo, plus fidei, tibíne nugonum Coryphæo, an Quinctiliano, qui, Martiale teſte, *Vagæ moderator ſummus iuuentæ, & gloria Romanæ togæ* fuit, habendum eſt? Da manus, nec dedignare diſertiſſimo dicendi magiſtro te poſthaberi. At quot is in oratione virtutes exigit, quot? tres omnino, non ampliùs, vt emendata, vt dilucida, vt ornata ſit. Sic enim *lib.1. Inſtit. cap. 9.* apertè decernit. Quot verò vitia numerat? totidem prorſus ijs aduerſa virtutibus, orationem barbaram, obſcuram, inornatam. Quem autem clam eſt, vnumquodque iſtorum piaculorum in plures alias ſpecies tribui? Certè quidem puro dilucidoque ſermoni obſcurus, non minùs, quàm limpidæ aquæ turbida, vt rectè noſter VVangnereckius [a] tibi aurem vellit, aduerſatur. At tuâ in diuiſione vitiorum puræ orationis vbi obſcuritas? nuſpiam. Et mancam mutilamque eam non cernis? An parum verò pleraque alia orationis flagitia, *Cacophaton*, ſiue obſcœnum dictum, *Tapinoſis*, *Tautologia*, & pleraque alia iſtius modi ornatum ipſum dehoneſtant? Atqui nihil horum tua diuiſio vel partitio in vitio ponit, vt vitioſam eam eſſe & lippis conſtet. Quid quod Archaiſmus, hoc eſt, conſtructio, vt deficiunt Grammatici, *quâ priſca vetuſtas potiſſimùm vſa fuit*, non vitio ſemper vertitur, ſed in orationis figuras frequenter aſcribitur? Vulgatum iam eiuſdem Quinctiliani *lib. 1. cap. 6.* monitum eſt, *Verba à vetuſtate repetita non ſolùm magnos aſſertores habere, ſed etiam orationi maieſtatem aliquam afferre non ſine delectatione, &* quia

[a] *In Vindicijs Politicis lib.1. cap.2. § 4.*

quia intermiſſa ſunt, gratiam nouitati ſimilem parare. Quid quod vocum noua ipſa fabricatio, quum eximij Auctores complura verba ſubinde, aut neceſſitate adacti, aut aliâ ratione idoneâ permoti, nouârint; reprehendi perpetuò non poteſt? quid ergo hanc tu penitùs damnas? vt te damnatæ audaciæ, atque imperitiæ Grammaticum agnoſcamus.

V. Nunc inſcitiæ tuæ Grammaticæ foribus commodùm ita patefactis, quantam eam, quàm enormem, quàm adipatam, ſi huius in artis ipſa penetralia iam ingrediamur, nullo negotio reperiemus? At nolo hîc tam longam ſpiſſamque his de tuis mendis diſputationem ordiri, iſtorum omnium pœnas *Dentiſcalpio, Nouacula,* & *Strigili*, vt dixi, contentus à te non ſegniter repetijſſe. Sat verò in præſens ſit externa aliorum iudicia, qui tuos Grammaticos libros aut excuſſerunt ipſi, aut excuſſos ab alijs acceperunt, fideliter referre. Narro tibi. Hortenſius Portius non de triuio Grammaticus Neapoli, quum in Academicorum Cœtu, vt Eugenius Lauanda [a] auritus teſtis tradit, multa mala tuo Capiti dixiſſet, poſt ingentem conuiciorum vim, quam ebullijt, *vtinam*, aiebat, *literator iſte, literarum peſtis adeſſet! ego ego ſemicinctium homini malè ſarto deriperem*; ad quem nonnemo ex coronâ, quum te Groſippum ille appellâſſet, falleris, inquit, non Groſippus, ſed Scioppius iſtius Grammaticæ auctor eſt; tum ille magis obſtrepens, *hunc ipſum Scorpium ſeu Scoppium aio* (ita ſeu excandeſcentiâ, ſeu lubentiâ errabat in nomine) *hunc ego, ſed motos* &c. adeò tibi tuæque Grammaticæ infenſus erat.

VI. Quid verò Romæ? Pompeius Lætus honeſtus illic Ciuis nihilo tibi placatior. Indignatus propterea quàm maximè, vt ibidem Lauanda ſcribit, quod filium duodecennem à Ieſuitarũ ſcholis

te

a *In Grammat. Pædic pag.* 16. b *Ibid.*

te ſuaſore atque impulſore abductum famoſo cuidam Ludimagiſtro, qui intra ſemeſtre tempns ductu ſuo eum in Latio planè regnaturum, quem ijdem Ieſuitæ primis elementis vix toto triennio imbuiſſent, confidenter ſpondebat, Groſippinis quiſquilijs erudiendum, an perdendum? crediderit. Iam tertius ſeducti adoleſcentis agebatur annus, tantumque abfuit, vt peruerſè inſtitutus profecerit, vt præceptor quoque ipſe Groſippo intelligendo mentem non modò torſerit, ſed etiam euerterit; adoleſcens verò, quod rectè didicerat, dediſcens, nec ſpei compos, vix tandem forenſi actuario dignus Amanuenſis euaſerit, cæteroqui ingenij non mediocris, & qui de literis Latinis non inter poſtremos bene mereri potuiſſet.

VII. At quid ego vnum alterumúe hominem, vel duas vrbes nomino, quum in reliquâ Italiâ etiam, vbi Ieſuitarum ſcholæ nullæ ſunt, pro Paſcaſio Groſippo initiando, hoc eſt, pro Gaſpare Scioppio, ſeu pro tuâ Grammaticâ inaugurandâ, Lucæ præſertim, Piſis, Vrbini, alibique non parum, vt ex eodem Lauanda *a* compertum eſt, laboratum ſit, nec tu inficiari poſſis? ſed malâ omnino ſcæuâ. Vidit enim idem Lauanda libellos datos, vidit & eorum abolitionem, magiſtratu ipſo ita iubente, ac ferè in hanc ſententiam decernente: *Scruta eſſe, & literatoris famelici reiectanea.* Quin & Ludi moderatores plerique eandem tuam Grammaticam ſtylis confixêre, teſtati *exuuias eſſe infectas, quas Scioppius Tranſtyberinus obambulator ex arte veteramentaria conſuiſſet, ac pro nouis venditaret:* alij intereſſe Catholicæ Reipublicæ, huiuſmodi nouitatum ardeliones vndique Ciuitatibus proſcribi, exemplo Mathematicorum olim Vrbe pulſorum: eſſe quippe Grammaticos nouos genus ſuperbiſſimum perinde, atque indoctum, in Hæreſin

a In Gramm. Tadic. pag 16.

ſin omnem procliue, impudens, audax, inuerecundum: alij, huiuſmodi Grammaticæ inſolentiam veſtigijs inſtituti Iuliani Apoſtatæ prorſus inſiſtere, nihilque Iuliano ſimilius, quàm Scioppium in cunctis ſuis *Padijs*, vt ouum planè ouo. Nec in Italiâ dumtaxat, ſed in Germaniâ quoque nonnullis Epiſcopis eandem tuam Grammaticam obtruſam vnà cum ſeptem tuis Rationibus, ac à pleriſque repudiatas, quòd nouam Grammaticam nouam Hęreſin, nouum Grammaticum nouum Hæreſiarcqum ex ſeculari Germanis prouerbio exiſtimâſſent; vnum tamen alterumúe Epiſcopum Ludimagiſtris permiſiſſe, vt periculum facerent; hiſque viſum eſſe, nec ſibi dediſcendum, nec pueros dedocendos, ni ſtabularij eſſe vellent, idem, quem ſæpius iam laudaui, Lauanda a commemorat, additque continuò Paſcaſianam Grammaticam, nempe tuam, in Boëmiâ quidem admiſſam, ſed Ioannis Huſſij, & Hieronymi Pragenſis appellatione obnuptam, ac decoratam, quorum alterum tu ore habituque; alterum ingenio ac ſtudio ad vnguem exprimas. Quo autem fructu, & prouentu, iam ex alijs exemplis facile eſt diſpicere, nimirum caſſo, irrito, nullo.

VIII. Hactenus, Scioppi, inſcitiæ Grammaticæ fanum omnino profanum extrinſecus dumtaxat, luſtraui, & circumiui. Quid ſi iam id introſpiciam, & quanquam pedes non inferam, adyta nihilominùs ipſius è longinquo ſaltem intuear, atque à limine ſalutem? quot tuæ ignorationis Grammaticæ portenta illico obuia erunt? quàm fœcunda & denſa tuorum ſeges errorum in falcem ſtatim incurret? quàm frequentes, quàm inſani tuarum in Grammaticorum Repub. ſeditionum tumultus repentinò ſe prodent? Quid obluctaris? quid ringeris? Nónne tuâ in Grammaticâ modos

a *Ibid.*

modos omnes Verborum de medio penitùs ſuſtuliſti? ſed ingenti temeritate. Nónne modum *potentialem*, & *permiſſiuum*, vt vocant, perpetuo exilio damnâſti? ſed infrunito prorſus ore. Nónne *Gerunda* vniuerſa, ſeu *Gerundia* in crucem egiſti? ſed tu ipſe propterea cruciarius inſignis. Nónne & *Supina* cuncta peremiſti? at ſupinâ valde incogitantiâ. Quid amplius? Cunctis *Adiectiuis* adimis genera. Quid imperitius? Cunctis Nominibus perſonas detrahis. Quid inſubidius? Cuncta verba neutra explodis. Quid amentius? cuncta verba *Imperſonalia* abrogas. Quid ineptius? Quid. prætereà? Negas vllum *Genitiuum* ab aliquo *Adiectiuo* regi. Nihil abſurdius. Negas *Datiuum* nominibus ſimilitudinem, vtilitatem, facultatem aut contrà, ſonantibus addictum. Nihil ſtolidius. Negas *Accuſatiuum* nominibus dimenſionem partemúe redolentibus acceptum referri. Nihil veſanius. Negas *Ablatiuum* à nominibus adiectiuis gradum comparationis, inſtrumentum, cauſſam, modum, aut ſimilem circumſtantiam præ ſe ferentibus imperari. Nihil ſtupidius. Perge. Verbum *Subſtantiuum Genitiuo* & *Ablatiuo* ſpolias. Flagitiosè. Actiuis Verbis duplicem *Accuſatiuum* nunquam concedendum clamas. Inconſultè. *Accuſatiuum* ſpatij, vel temporis, verbis inuides. Improbè. *Ablatiuum* cum præpoſitione A, vel Ab, rem agentem enuntiante in Verbi *Paſſiui* poteſtate eſſe inficiaris. Ineruditè. Num aliquid inſuper tuæ procacitati reſtat? Immania tuæ inſcientiæ, multijugisque allucinationis deliramenta. *Accuſatiuum* cum verbis motum ad locum ſignificantibus copulatum, à Supinis pendere negas. Negas *Genitiuum* vllum à *Participijs* in *Dus* exeuntibus manare. Negas vlla Nomina communis eſſe, aut omnis generis; cuncta Aduerbia *Genitiuis* exuis, cæterisque caſibus fraudas; *Subſtantiua* nomina

mina in *Adiectiua* vertis, pleraque in *Adiectiua* pariter transformas, aliaque ſexcenta id genus piacula paſſim frequentas, quæ ego omnia vel meo vno Dentiſcalpio penitùs iugulo, tua Paradoxa temulenta probo, tuam Mineruam inſulſam reuinco, tuum Myſtagogum Latinitatis fanaticum oſtendo, tuum Mercurium bilinguem meâ *Strigili* elinguo, cæteras tuas Sordes Grammaticas *Nouacula* meâ funditus erado. In quibus omnibus tuæ inſcitiæ Grammaticæ ſpecimen, quod hîc dare tantummodò conſilij mei eſt, ſatis, opinor, cernitur.

§. II.

Scioppius Logices, Rhetorices, atque Eloquentiæ ignarus.

I. Quàm inauſpicatis auibus Grammatices Lauream tibi aſſeruiſti, tam atro atque inominali die Logices, Rhetoricæque Præfecturam nunc tibi, Scioppi, vindicas. Quis vnquam, rogo, ſomniâſſet hæc te ſomnia aliquando ſomniaturum? & tamen à te ſomniata ſomnium non eſt, ac tu ipſe in tuorum Operum Catalogo memoriæ ita prodidiſti; *Pædia Logica, & Rhetorica: cuius vſus erit, vt vnius anni ſtudio Auditores ſatis inſtructi ſint ad bonorum Auctorum Lectionem & obſeruationem, & ad acroaſes, ſeu Lectiones publicas Interpretum Organi, & Rhetoricæ Ariſtotelis, ſimiliterq́ Medicorum, Iuriſconſultorum, & Theologorum Practicorum.*

II. At infortunatus planè tubicen, victoriam ante bellum intempeſtiuè, ac temerè omnino canis. Nam quod ad priorem prærogatiuam attinet, *tam es Logicus,* Scioppi, vt catè Lauanda, a *quàm Sileni vector lyricen*, quod tua de pleriſque iudicandi, arguendique peritia oſtendit. Quàm oſcitanter

a Pag.20.

ter enim, quàm anguſtè Dialectices peccata recenſes? In tuis Suppetijs Logicis, *Rationis*, inquis, *in vniuerſum quinque numerantur vitia, Obſcurum, Ambiguum, Falſum, Inconſequens, & Alienum.* O Amuſſitatam ex Logices formulâ partitionem! fallor. O fœdam tuæ imperitiæ Logicæ partitudinem? Hæccíne enim omnia Logices flagitia, nulla alia prætereà? nulla? at vbi Mutilum, ſeu Mancum, vt rectè te vrget Vangnereck, a quum in rei alicuius tractatione pars primaria aut magni momenti prætermittitur? Hoc ſanè vitium neque Obſcurum, neque Ambiguum, neque vllum aliud ex cæteris, quæ tu enumerâſti, quiſquam iure dixerit, ſed pleriſque horum eo grauius, quo magis præcipuum, atque ad rem cognoſcendam magis neceſſarium illud eſt, quod in mutilâ, ſeu mancâ eiuſmodi tractatione omittitur. Cur id igitur tuâ illâ in diuiſione es prætergreſſus? tua nimirum Dialectices inſcitia ita iuſſit.

III. At quum aliquid non ſuo, ſed alieno loco, non antè, vt par eſt, ſed præpoſterè diſſeritur, nullàne rationis labes, aut ſaltem papula eſt? imò & vlcus, nec leue, commodeque vitium inordinatum appellari poteſt; b & tamen quinque illis à te paulò antè recenſitis minimè continetur, niſi Ordinis tanta ſit perturbatio, vt obſcuritatem quoque gignat; tum enim ad obſcurum ſimul pertinebit. Tu verò quod inordinatum eſt, Alienum ineptè nuncupas. Num enim res propria, quia ſuo non collocatur ordine, illico euadit aliena? Apage. Alienum quippe id dumtaxat propriè dicitur, quod aliò ſpectat, aut diuerſi generis eſt. Rurſum tu Alienum duplex in ijſdem tuis *Suppetijs* agnoſcens, genere nempe, ac loco; tum vtrumque vnâ definitione generatim complectens, ais eſſe id, quod

a *Lib. 1. Vindiciar. cap. 2. §. 3. & 5.*
b *Ex Wangnereckio loc. cit.*

quod *nec explicationi, nec probationi eſt accommodatum.* Quàm pueriliter? quàm ridiculè? An res quæcunque ſuam explicandi, aut probandi vim, quâ ſuo in genere, & loco potitur, in alieno ſtatim amittit? nngæ. An aurum clam ſurreptum, in manu furis pretij nullius extemplo fit? fabulæ. Quid quod tu ipſe falſæ tuæ definitionis immemor, tribus poſt verſibus fateris continuò, *Alienum loco eſſe eiuſdem quidem generis, & rem explicandi, aut probandi vim habere, tamen priùs, aut poſteriùs, non præſenti loco afferri debere?* Ergo neque Alienum loco, propriè alienum eſt, neque hæc tua definitio Alieno, ſed Falſo, atque Inconſequenti, vt vocas, conuenit. Quis enim adeò hebes, vel amuſus eſt, cui exploratum non ſit, propoſitionis falſæ in explicando vim, vitioſæ autem argumentationis in probando poteſtatem nullam penitùs eſſe?

IV. Verùm tua iſthæc diuiſio non ſolùm, quia duo vitia Mutilum, atque Inordinatum turpiter præterit, ſed etiam quia membra ipſa non rectè ſecernit, ſed alterum altero contra leges aptæ diuiſionis includit, monſtroſè claudicat. Quid enim? An non Obſcuro Ambiguum, Falſo Inconſequens continetur? Quis ambigat? Nihilo igitur egregia tua diuiſio concinnior, quàm hæc: *Viuentium genera ſunt quinque: Planta, Arbor, Animal, Homo, Brutum:* quæ in Logicâ riſum ſtomachumque vel tironum tardiſſimo haud dubiè moueat. Nam arbor ſpecies plantæ eſt, homo & brutum animalis: genus autem cum ſpecie numerum non facere, ſed illud hac comprehendi, iſtamque ei ſubiectam nemo Dialecticorum ignorat. Atqui ſimilem quoque Obſcuri, atque Ambigui rationem eſſe, vel ex Grammaticis, qui orationem ambiguam ſub obſcurâ, velut ſpeciem ſub genere collocant, perſpectum eſt. An verò, quod Ambiguum eſt, quiſquam Obſcurum eſſe neget? quî autem? Profectò

fectò ſi clarùm eſſet, ambiguum non eſſet. Ergo ambiguum claritate claret. Ergo obſcurum quoque. Neque officit tua Obſcuri, Ambiguique definitio, ac differentia, dum ita mones: *Obſcuritas porrò cauſſa eſt, vt planè non intelligatur, Ambiguitas verò, vt aliter, atque oportet, intelligatur.* Vt enim ita ſit, adhuc non tollitur, quin quod Ambiguum obſcurum pariter ſit, atque hoc ceu genus illo tanquam ſpecie comprehendatur. Omne igitur Ambiguum obſcurum eſt, quanquam non omne obſcurum ſimul etiam ambiguum, adeoque hoc ſub illo velut genere, non iuxta illud ponitur.

V. Tantundem pariter de Falſo quoque, & Inconſequenti ſtatuendum, Scioppi, eſt, quorum illud *in compoſitione, & diuiſione, ſiue in enuntiatione,* hoc *in argumentatione ſpectari* pronuntias. At enim Veritas, aut Falſitas non in Enuntiatione dumtaxat, ſed in argumentatione etiam, ſeu inconſequentiâ extat. Quippe vt enuntiatio, quæ, quod eſt, ait eſſe, aut quod non eſt, negat, vera eſt; ita & argumentatio, quæ efficit, aut colligit eſſe, vel non eſſe, quod ex antecedenti exprimitur, vera itidem eſt. Falſo è contrario, quæ ex antecedente elicit, quod minimè ex eo ſequitur. Quocirca & Conſequentiam Legitimam damus, prauam explodimus. Ergo veritas, cui aſſentimur; & falſitas, à quâ diſſentimus, hinc omnino emicant. Quin idipſum quoque vulgato Philoſophorum, ac Theologorum effato, quo veritas, conuenientia rei atque intelligentiæ; falſitas verò vtriuſque diſcordia dicitur, apertè vincitur. Quemadmodum autem enuntiatio, partis ſubiectæ ac attributæ connexui congruens, vera eſt; diſſonans, falſa; ſic argumentatio quadrans antecedentis, & conſequentis vinculo, vera itidem; repugnans, aut diſcrepans, falſa. Tam argumentatio igitur, quàm Enuntiatio veritatem, & fal-

ſitatem

ſtatem promiſcuè participant; & tam verum, quàm falſum, ceu genera duæ ſpecies inferiores, enuntiatio ſcilicet, & argumentatio reſpiciunt, quam vtramque generatim tum complectimur, quum verum falſumque non in ſimplici notione eſſe, ſed in compoſitione, & diuiſione aſſeueramus. Quæ eſt perſpicua Ariſtotelis *lib 3. de Anima, cap. 6* & 7. mens, vbi docet, verum, & falſum eſſe in *compoſitione quadam cognitionum.* Atqui hæc compoſitio non ſolùm in enunciatione, ſed in argumentatione quoque locum habet. Vt enim illa ex ſubiectæ, attributæque partis conceptu coagmentatur, ita hæc & antecedentis, & conſequentis notitiâ conflatur. Vnde diſucet planiſſimè, quàm inſcienter compoſitionem, & diuiſionem, iu quâ verum, & falſum exiſtit, ſoli enuntiationi addixeris. Quare tua vitiorum rationis diuiſio, & ſuperuacaneis redundat membris, & neceſſarijs deſtituitur, tuæ ignorantiæ Logicæ certum ac nobile documentum.

VI. Linquamus modò vitiorum Logices diuiſionem, Scioppi, eiuſdemque Logices, ſeu Rationis inſtrumenta exploremus. Quot tu hæc, & quæ eſſe exiſtimas? Duo, inquis in eâdem tuâ *Politices Pædiâ*, ſeu *Logicis Suppetijs.* Quænam iſta? *Inuentionem, & Diſpoſitionem.* Itáne? admodum. At hoc tuæ inſcitiæ Logicæ auctarium ſanè palmare eſt, ſed eo magis pudendum, quo tuiſmet verbis mox teipſum ibidem induis, dum articulatè decernis *Artis inſtrumenta* ea eſſe, *quorum adiumenta, ſiue ope præſtat opifex, quæ ſui ſunt officij:* dum ipſum artis officium illic denuntias, *eſſe opus extremum, quod ab artifice præſtari poteſt*, quodque ſi præſtat, non habet vltra, quod agat; alioqui extremum non eſſet: dum Logicæ officium eâdem in *Pædia* initio eſſe

ſtatuis,

ſtatuis, *dirigere, & rectificare mentis actiones, ſiue operationes:* inter quas *Inuentionem* quoque, & *Diſpoſitionem* à te numerari, ex vtriuſque definitione, quam eodem loco affers, compertum eſt. *Inuentio* enim, te iudice, *eſt ratio excogitandi argumenti ad quæſtionem tractandam: Diſpoſitio verò eſt apta inuentorum collocatio.* At quæ verba, quæ ſententiæ tibi, Scioppi, exciderunt? Non animaduertis hæc totidem eſſe laqueos, quibus teipſum illaqueas? Cedò. Quæ per artem diriguntur, & rectificantur (tuas voces ipſiſſimas, ne dolum vllum hîc à me dolari ſuſpiceris, de induſtriâ vſurpo) ſúntne eiuſdem artis inſtrumenta? Nullo modo. Nam quæ diriguntur, & rectificantur in Logicâ, ſunt mentis actiones, ſeu operationes, vt tu ipſe ſancis. At hæ eædem nullo pacto eiuſdem Logices inſtrumenta, quorum nimirum ope artifex Logicus dirigit, & rectificat operationes, vt tu quoque tradis, eſſe queunt. Id enim quod dirigitur, & rectificatur ab inſtrumento, cuius ope ab artifice dirigitur, & rectificatur, neceſſariò diſtinctum eſt, vt euidenter conſtat. Ergo Logices inſtrumenta ab operationibus mentis, quæ diriguntur, & rectificantur à Logico, ſecernuntur. Quis porrò neſcit, mentis operationes, quales inuentio quoque, & diſpoſitio ſunt, à Logicâ ex genuino, ac proprio officio, per ſua præcepta, quæ eiuſdem artis inſtrumenta ſunt, dirigi, & rectificari? Ergo Inuentio, & Diſpoſitio non ſunt Logicæ inſtrumenta, ſed ad eiuſdem materiam, & finem pertinent. Ergo tu rudis, & agreſtis es Logicus, qui in alia omnia diſcedens, Logices inſtrumenta Inuentionem, & Diſpoſitionem affirmas.

VII. Haudquaquam, inquis, ſed tu diuinator, & coniector peſſimus, qui mentem meam minimè aſſecutus, atque aliorſum trahens, hæc monſtra loqueris. Nam ego reapſe Inuentionis, & Diſpoſitionis

tionis nominibus nihil aliud, quàm ipſa inueniendi, & diſponendi præcepta, quæ Logices eſſe inſtrumenta extra controuerſiam eſt, deſignaui. Ingenioſè. Quis neget? At neque dum, Scioppi, e pedicis euadis. Nam vbi hinc exis, aliunde adhuc manifeſtò teneris. Quippe (vt omittam, tuum hunc loquendi modum valde eſſe inſolentem) inſtrumenta Logices ab ipſis eiuſdem Logices præceptis, quorum adiumento ipſa operationes mentis dirigit, & rectificat, atque ita officium ſuum præſtat, quod inſtrumenti cuiuſque artis proprium eſſe tu ipſe ſcribis, diuerſa non ſunt; ac proinde perperam omnino quatuor res in Logicâ, tanquam inter ſe diſtinctas, *Finem, Materiam*, ſeu Subiectum, vel Obiectum, *Officium*, & *Inſtrumenta* tuarum *Suppetiarum Logicarum* principio numeras: quandoquidem inſtrumenta, ſeu præcepta in Logicâ ab eiuſdem Logices officio minimè diſcrepant, ſed in id prorſus coaleſcunt. Nam officium Logicæ tu ipſe ais eſſe: *Dirigere, & rectificare mentis actiones.* At quid, quæſo, præcepta agunt, præſtantque, niſi quod eaſdem actiones dirigunt, & rectificant? Ergo tua inſcitia Logica, & hîc etiam in confeſſo eſt.

VIII. Aggrederis deinde partitionem Diſpoſitionis, quam in *Enuntiationem*, in *Argumentationem*, & *Methodum* diuidis. Sed heus tu, an ſatis vigilas, qui has ineptias funditas? Quàm impetitè enim tu animam generatim in plantam, brutum, & hominem, eo quòd tria ſint corporum viuentium genera, vegetans, ſentiens, intelligens, diſtribueres? Atqui ſicut anima non eſt planta, nec animal, nec homo, ſed horum forma naturalis; ita Diſpoſitio non eſt Enuntiatio, nec Argumentatio, aut Methodus; ſed iſtorum forma artificioſa, regulis Logicis conſentanea. Ergo flagitioſè rurſum hæc ipſa membra, Logice reclaman-

te, diſpeſcis; adeoque hîc dormitare videris, vt vel primorum principiorum memoriam omnem deleueris. An non enim te planè oblitum oſtendis, totum ſui parte maius eſſe, ideoque illud idem non eſſe, atque iſtam; ac propterea neque hanc de eo poſſe prædicari? Viden' iterum, quàm imperitè Logicen vulneres?

IX. Sed multo adhuc imperitiùs eandem affligis, quum inibi ſimplicem terminum, vt Dialectici appellant, ſeu vocem ſimplicem tu quæſtionem vocas. Sic enim admirabiliter philoſophatis. a *Qum - argumentum explicans collocatur cum quæſtione, vel themate ſimplici, vocatur enuntiatio, aut propoſitio, in qua thema ſimplex eſt id, quod de themate dicitur, vt ſi dicam:* Virtus eſt habitus: Virtus *eſt quæſtio, ſiue thema ſimplex,* habitus *eſt argumentum explicans. Quum verò argumentum collocatur cum themate coniuncto, dicitur argumentatio, vt ſi dicam:* Virtus eſt habitus, quum crebris actionibus acquiratur. O ineptias tuas, Scioppi, apinas! ô pucrilitatis intemperias! Nam quis vnquam Philoſophorum, vel Logicorum ſimplicem terminum, ſeu nudum, ſolumque vocabulum, quod neque probationem habet, neque interrogationem, quæſtionis nomine donauit? Nemo præter te, qui fallere, & falli ſæpenumero ſuetus, in hac quoque appellatione oſcitanter peccas. Aduertiſtíne aliquando animum, quid Ariſtoteles *lib.* 1. *Topicorum, cap.* 3. vbi quatuor genera attributorum recenſet, te, & geminos tibi, inſcitiâ & temeritate nobiles doceat? Naua paululum Summo Philoſopho operam. *Nemo nos*, inquit, *exiſtimet dicere, quod aliquid* (proprium videlicet, definitio, genus, accidens) *per ſe prolatum, propoſitio, aut problema ſit. Sed quòd ex his & problemata, & propoſitiones fiant.* An clariùs Peripateticorum princeps tuam Logices

a *In Pædia Politices.*

ſes hebetudinem poterat euerberare? An ita ſti-
pes & fungus es, vt hîc tam propoſitionem, quam
roblema pro quæſtione ab Ariſtotele accipi,
quamuis ipſo quærendi modo problema à pro-
oſitione diſtingui ibidem tradit) non cernas?
iſce igitur præceps, audaxque Grammatice,
Philoſophiæ Sole, thema ſimplex, ſeu terminum
mplicem non eſſe quæſtionem, ſed quæſtionem
x illo fieri. Nihilo feliciùs Argumentationem
efinis, aisque *eſſe, quum argumentum probans col-
catur cum themate coniunctо.* Nam quid, rogo,
thema coniunctum? an concluſio? ſed quis
a loquitur? an antecedens? ſed quis ita in-
ptijt? an ſumptio? ſed quis ita nugatur? an
ucumer? an pepo? an rhaphanus? ſed quis
ec, & alia tua deliria auribus excipit, qui Lo-
icis iſtis tuis affanijs ferulam non imprecetur?
uis œdipus tuam huiuſmodi finitionem adeò
nebricoſam percipiat?

X. At exitum non reperiet oratio, ſi cuncta
æ inſcientiæ Logicæ exempla percenſere ve-
m. Hæc pauca nihilominùs ex doctiſſimo Hen-
co VVangnereckio excerpta, fidem reliquo-
m, quæ hîc prætereo, locupletem facilè, opi-
or, facient. Præter quàm quod plurima quo-
ue alia tua in Dialecticam peccata abſona, ſto-
da, ridicula in meo Dentiſcalpio palàm de-
gam, ac penitùs tranſuerberabo. Verùm an-
quàm hinc abſcedo, quum tam multa, Sciop-
i, documenta de præceptrice Logicâ, quan-
uam inuitâ Mineruâ, enixus ſis, nec tam de-
ris, quàm peruerteris; bellè equidem curio-
s ſum, quo pacto tandem tu ipſe ea in vſum
euoces, cognoſcendi. Sed quid ago? quid ex-
cto? infinitis planè experimentis, vndique
tuorum librorum farragine exilientibus cin-

à *Lib.1, Vindiciar. cap. 1. §. 3.4.15.*

gor, obruorque. Quare vt tam confertam obſidionem commodè ſoluam, vnum tantummodò ex omnibus, ſed luculentum deligo.

XI. In tuâ *Anatomia, pag.* 28. & ſequentibus, Generalem Ieſuitarum Moderatorem Mutium Vitelleſcum ambitus reum agis, quòd totius Orbis arbitrium, ac dominatum occupare conetur. Immane omnino crimen Sed quo argumento id probas? Nam ego, & Ieſuitæ omnes inficiamur conſtantiſſimè, ſimulque in ſinu ridemus perliberaliter. Mora nulla eſt, inquis. Quod culpo, iam exculpo. An non enim in Societate Ieſu Magiſtri in Philoſophiæ, ac Theologiæ Gymnaſijs, domi commentata diſcipulis cunctis excipienda Patris Generalis ſeu permiſſu, ſeu iuſſu dictant? Non abnuo. Sed quorſum iſtuc? Ergo Pater Generalis (mox conſequentiam, neſcio, an tonitru, elicis, exprimisque) tali dictatione velut inſtrumento *ad vniuerſalem totius Orbis Monarchiam, latiſſimique Imperij Maieſtatem obtinendam* vtitur. Hîc enimuerò, Scioppi, hac tuâ inopinatâ conſecutione, tanquam cœli fragore perculſus, totus exhorreſco, pili mihi ſurriguntur, vox hæret faucibus, caligant oculi, nutant pedes, exanimis cado. Ecquis enim vniuerſo quoque è cœtu Peripateticorum non trepidet? quis Dialecticorum non expalleſcat? Ipſemet Ariſtoteles terga pariter vertet, fugâque ſibi conſulet. Viciſti. Generalis Ieſuitarum Præſes acutiſſimo tui enthymematis venabulo traiectus, tenetur. Actum eſt, perijt. Iam triumphum de hoſte debellato agere potes ampliſſimum, iam inſignis laureâ, vrbem inire, iam victor in Capitolium inuehi, iam templũ Iouis gratans, ouansque intrare. At tuq iſto in triumpho pro lætis acclamationibus riſum tibi propinant effuſiſſimum, quicunque rationis ſunt compotes, quòd rationis omne veſtigium ſuſtuleris. Nam extra iocum,

Scioppi,

Scioppi, quis, obſecro, Caprimulgus tam bardus id concluſionum genus è ſui capitis cucurbitâ, vt tu, extundat? O vos Conſultores, & Scriptores Politicos, qui de regnorum ſubigendorum ratione tam operosè diſputatis, potiſſimâ, omniumque facillimâ per leuem dictandi laborem ijſdem regnis potiendi turpiter omiſsâ, imprudentes, ac tardos! Vos verò Principes, vos Reges, vos Cæſares, quorſum ad veſtras prouincias dilatandas tot militum copias conſcribitis? quorſum tam multos, ac numeroſos exercitus cogitis? Erratis. Ponite gladios, ponite arma. Scioppius à Clarâ Valle iubet. Parendum eſt. Vertite nunc omnes tela in calamos, nitrati pulueris thecas in atramenti ſcriptorij pyxides, milites in diſcipulos; extemploque vniuerſum terrarum Orbem in veſtram poteſtatem non acriter præliando, ſed leniter dictando, non ſanguinem fundendo, ſed papyrum tantummodò denigrando, ita fatidico Scioppianæ Logices oraculo ſpondente, ac ludificante, redigetis. Exemplum poſcitis? præſto eſt. Ieſuitæ in Scholis Philoſophiæ, ac Theologiæ, ſuis diſcipulis, quæ ſecum meditati ſunt, Patris Generalis ſui conceſſu dictant. Ergo Pater Generalis hoc dictandi inſtrumentum, *ad vniuerſalem totius Orbis Monarchiam obtinendam*, adhibet. Ergo ſi vos quoque hoc vtamini, votis potiemini. Sic ſtatuit, ſic pollicetur, ſic mandat Scioppius, rerum Politicarum magnus hariolus, Logicæque artis ſummus myſtagogus. Sed quis hanc tuam, vecors Protee, ingenioſam conſequentiam audiens, non optimo iure hinc colligat, te ſtultorum omnium principatum maximopere ambire, propediemque conſecuturum? Hæc ſunt nempe myſteria, & prodigia è tuæ Logices medullis emedullata, quibus nihil inſanius vlli ludioni, aut morioni aliquando excidit.

XII. Atqui, Scioppi, non Ieſuitæ dumtaxat, ſed Dominicani quoque, Franciſcani, Carmelitæ, alijque Religioſi Ordines ſuis Magiſtris hodie quoque annuunt, teſte ipſomet Marianâ, quem in eâdem tuâ *Anatomiâ, pag.* 15. laudas, probasque, *vt ſuas Lectiones dictent.* Neque ſecus profani quoque Præceptores, qui in Academijs docent, priuatim domeſticos inter parietes dictare ſolent. Rogo nunc, quot oppida iſti omnes à tot ſeculis, quibus iſta dictandi conſuetudo apud eos perennat, quot vrbes, quot prouincias, quot regna inuaſerunt, ac tributa pendere coëgerunt? Nugæ. Ne ligulam quidem cuiuſquam attigerunt. At enim nugonum ter maxime, niſi tuæ Logices regulæ egregiè mentirentur, totum Orbem terrarum ab infinitâ prope iſta Dictatorum, vel dictantium multitudine iam pridem captum fuiſſe, infeſſumque, neceſſe omnino foret.

XIII. Quod porrò tuam Logices Pædiam Medicis, Iuriſconſultis, Practicisque Theologis conducibilem prædicas, Scioppi, nondum id Eugenio Lauandæ a perſuaſiſti, qui palàm, ſcitèque tuam ſtropham ita exenterat. *Mirare, quæſo, hominem, qui & Theologis præſcribat nouus Abderites, muribus & ranis præficiendus; Iuriſperitum non negârim, ſi præſertim de pinguibus agatur; nam qui diu in Heluetia latenter coxit, quia Patauij medicamentariam profiteri cœpit, horum gnarus ſit, oportet: ſi de legum tractandarum peritiâ exiſtimes, eius clientelæ ne rapum quidem tutò commiſeris.* Hactenus de tuâ Logices inſcitiâ.

XIV. Nunc quid in Rhetoricis poſſis, aut quæ tuæ facundiæ vis ſit, b qui *Latinæ* quoque *eloquentiæ Pædiam, cuius vſus erit, vt purè, eleganter, ornatè, & copiosè ſcribendi facultas paretur,* à te elucubratam

a *In Gramm. Pædico, pag.* 21.
b *In Pædia diuinar. & human. literar. pag.* 11.

cubratam ſcribis, explorare operæ pretium eſt. At ego, Scioppi, tuam omnem proſam eloquentiam, dicendíque vim oratoriam nullam prorſus eſſe, non ſanè magniloquentiâ, aut copioſâ longâque oratione, ſed Laconiſmo quàm breuiſſimo, quem mihi quoque tu ipſe in manum porrigis, liquidò vincam. Nam ex cunctis tuorum librorum quiſquilijs, quibus Editorum typos frequenter contaminâſti, quem mihi præbere, aut nominare potes, in quo germanæ eloquentiæ decus verè ſplendeſcat? quem? dic ſodes, quem? vnum ſaltem appella, & palmam illico lucrator. Quam vnquam tu orationem elaborâſti? quem panegyricum concinnâſti? quid operis, in quo ſuadelam propitiam habuiſſe videaris, edidiſti? nihil penitùs. In famoſis tuis Codicibus vbique ſanè maledicendi procacitas, vbique mentiendi libido, vbique calumniandi impudentia mephitim Lectori inhalat. Hæc tua natiua eloquentia eſt, hæc tua genuina facultas, hæc tua Hæretica facundia, quâ incredibiliter excellis. Cæterùm reginam illam fori, atque templorum, illam animorum dominatricem, illam populorum domitricem eloquentiam, ne per ſomnium quidem vidiſti. Fallor. Oculos in eam conieciſti. At te ipſa auerſata eſt. Illam tibi conciliare ſtuduiſti. Recuſauit. Ad te multis blandimentis pellicere adortus es. Reiecit. Labore improbo, ſummáque contentione expugnare, atque ad te pertrahere conatus es. Cum ſtomacho exploſit. Quare quum ſpes eius tibi demerendæ & comparandæ prorſus decollâſſet, patientiâ in iram verſâ, illam ludibrio habere, traducere, execrari cœpiſti, vulpis Æſopicæ ingenium præclarè æmulatus, quæ quod vnguibus inuncare nequit, gloriabunda deſpicit.

XV. At tu reclamas quàm maximè, mecumque de iniuriâ tibi factâ implacabiliter expoſtulas,

quòd hanc probroſæ repulſæ notam nullo teſte, nullâ tabulâ, nullo chirogtapho tibi audeam inurere. Egóne, Scioppi, ſine vllâ fide quicquam affingam tibi? nulla mihi ad probandum, quod exprobraui, tabula ſuppetit? *Diſputatio de Rhetoricis Exercitationibus*, tua ſe eſſe pugillaria vociferatur. Nullum chirographum ad manum eſt? In eâ quot verba numerantur, totidem tua ſunt chirographa. Nullus teſtis in promptu? Tu ipſe hîc teſtis oculatus omni exceptione maior es. Nam in eodem libello ita diſertè pronuntias: a *In oratione polienda multoq; cum labore dimetienda occupari, effœminatum, minimeq; maturi iudicij viro dignum videri.* At quid, inconſulte Grammatice, blateras? Facultas purè, eleganter, ornatè, & copioſè ſcribendi, quam tuæ Pædiæ Latinæ eloquentiæ vſu parari tradis, nullóne laboris impendio, nullâ orationis piturâ, nullâ rhytmorum curâ creatur? ſolutè ac negligenter agentibus contingit? oſcitantibus, atque indormientibus obuenit? indiligentibus, incurioſis, ac ſupinis per otium, & ſegnitiem ingeritur? O amentiam! elegantia, & ornatus dictionis, ſine quo non exiſtit eloquentia, vltro ac ſponte ſuâ è calamo fluit? ſine numerorum concinnitudine effloreſcit? ſine reconditis, exquiſitisque ſententijs niteſcit? ô ineptias! & lepôres iſti ac lumina ſine ſtudio, ſine cultu, ſine commentatione, ſine ſedulitate, ſine accuratione ex inerti, & feſtinato ſtylo de ſubito emicabunt? ô inſaniam? Nihilominùs polire ac dimetiri diligenter orationem, hominis otioſi, mollis, atque effœminati negotium eſſe tu arbitraris. O ſtuporem! ô delirium! Quid ergo (malum!) *Pædiam Latinæ eloquentiæ de facultate purè, eleganter, ornatè, & copioſè ſcribendi* tu ipſe fabricas? vt viros effœmines? vt emollias animos? vt virtutem enerues? vt ſapientiæ

a *Pag.* 17.

pientiæ articulos omnes malaciſſes ? Flagitium nequiſſimum. At non tam rei ipſius, in quâ nullum peccatum eſt, quàm peruerſæ mentis, & conſilij. Cur verò oratio expolita, multoque labore dimenſa, effœminatum hominem tibi Stoicorum ductori maximo ſapit ? nempe quia ſermonem tuum expolire neſcis; incultum, agreſtem, ſquallidum, inamœnum, pœdore obſitum, velis nolis, vſurpare cogeris. Hæc genuina cauſſa. Tetigi acu punctum. Obmuteſce. Quo pacto autem, quum eloquentiam ignores, tamque inteſtinas cum eâ exerceas ſimultates, hanc alios tu doceas, Latinæque eloquentiæ Pædiam cunctis pollicearis ? Et putas tu Lectores omnes adeò bardos, vt hanc tuæ non eloquentiæ, ſed loquentiæ, non Pædiam, ſed Sycophantiam non odorentur?

XVI. Eugenium certè Lauandam *a* non fefelliſti, qui tuam iſtam Pædiam egregiè ita interpretatur : *Per eloquentiam Lector, intellige hoc loco* loquentiam, *cuius facultatem ipſe ſibi toto vitæ tempore naturæ ductu parauit: præcipuè verò in libellis exercuit, verboſè, inſcitè, calumnioſè, veteratoriè, ſeruili ingenio, impurè, impudicè, copioſiſſimis abſque delectu mendacijs citra verecundiam, & religionem. Hinc Epiſtola amici indigetat* Mediaſtinum, *&* Bacularium. *In eundem rectè vſurpaueris illud Probi, ſeu Salluſtij :* Satis loquentiæ, ſaqientiæ parum. *Qua de cauſſa viri ſapientes in Romanis coronis Scioppium* Locutuleium *dixerunt, hoc eſt, in verba proiectum, blateronem, & loquacem, cuius lingua, vt cum Gellio loquamur* (lib. 1. cap. 15.) tam prodiga infreniſque eſt, vt tæterrima colluuione verborum fluat ſemper, & æſtuet.

XVII. Vt verò aliquid paulo lenius, Scioppi, ego de te enuntiem, cui obluctari non poſſis; profectò tuâ dicendi vi, & quacunque facundiâ, quanquam multorum vrbes vidiſti, & mores no-

a In Gramm. Pædico, pag. 23.

ſti, nemini tamen mortalium adhuc perſuaſiſti, vt monet ſapienter idem Lauanda, *a* te eſſe virum probum. Obſtant enim omnes huiuſce Lydij Teſſeræ, & Verrucæ, quæ te bipedum improbiſſimum demonſtrant. Ex quibus, quanta tua Rhetorices & Eloquentiæ quoque non minùs, quàm Logices inſcientia ſit, nemo tam inſcius modò eſt, quin facilè colligat, ſecumque cauſſatius reputet.

a *In Gramm. Pædico, pag* 21.

§. III.

Scioppij in Phyſicis, Metaphyſicis, atque Ethicis hebetudo.

I. Quum Phyſices, & Metaphyſices diſciplinas, Scioppi, nomino, infeſtiſſima tibi nomina nomino, & nihilominùs pro tuâ quidlibet audendi & comminiſcendi inueteratâ conſuetudine, *Pædiam Phyſicæ, & Metaphyſicæ* tu venditas, *cuius*, inquis, *a vſui erit, vt Logicâ & Rhetoricâ Pædia imbuti vno anno Phyſicam, & Metaphyſicam ſic addiſcant, vt rerum ſcientiâ longè omnes illos ſuperent, qui trienne Philoſophiæ curriculum apud Semitarios illos ſapientiæ inſtitores confecerunt: etſi de nonnullis otioſis quæſtionibus, quarum nullus extra ſcholas vſus eſt, non æquè altercari & vociferari poterunt.*

II. At ego ſine vllâ altercatione aio placidiſſimè, ac veriſſimè, te hac tuâ promercali *Pædiâ* vano expoſitâ, non philoſophari, ſed paraſitari. Sed ne fortè id tibi acriùs inaceſcat, age Scioppi, calculos exhibe. Rationes putemus. Ecce in Logicis imperitiſſimè allucinatus es, & vel à ianuâ, vt ex documentis paulò antè expenſis paret, aberrâſti: & in Phyſices, & Metaphyſices adyta te penetrabis? Ducem te alijs præſtabis, qui

a *In Pædia human. & diuin. liter. pag.* 10.

qui in limine Philoſophiæ, vtroque claudus pede ingenij, & iudicij caput ſolo afflixiſti? qui huiuſmodi diſciplinarum operta nunquam indagâſti? qui hiſce in ſtudijs nullum veſtigium feciſti! qui ad arcanorum vtriuſque iſtius ſcientiæ acumina & ſubtilitates mentis aciè rimandas permeandasque tam idoneum te ſemper oſtendiſti, quàm vecors rudensque Apuleij aſellus ad lyram? Sed Philoſophiam quid ego memoro? Grammaticam tuam, Mercuriumque bilinguem; fide tuâ ſanctè oppigneratâ, Latinæ linguæ quum intelligentiam, tum rationes intra vertentem annum à diſcipulis, eiuſdem Grammaticæ, & Mercurij ope, atque vſu, nullo negotio fore addiſcendas, iam ab anno CIↃIↃCXXVIII. publicaſti. Quis, rogo, quod pollicitus tam liberaliter es, non fallaciter expertus eſt? omnes omnino. Fucum feciſti, impoſuiſti, ludificâſti, meras offucias obtruſiſti. Nunquam promiſſis tuis fides extitit. Tua omnia nugamenta tam multis intra tot annos tentamentis explorata, nullo vnquam vſu comprobata, nullo documento ſpectata; tua Grammatica nunquam excuſa, perpetuis damnata tenebris, ab omnibus Magiſtris, quotquot eius periculum fecerunt, in malam crucem iuſſa faceſſere, ludibrioque ſemper habita. Adeò ſcatet erroribus, adeò flagitijs referta eſt. An ergo qui vel in Grammaticis crepundijs tam pueriliter delirâſti, Scioppi, inuoluta Philoſophiæ myſteria ſollerter, medullitusque enucleabis? docebis, quæ non didiciſti? ediſſeres, quæ neſcis? fidem, quam in Grammaticâ, & in Logica circulatorijs fefelliſti præſtigijs, in Phyſicis, & Metaphyſicis, mentiendi tam exercitatus artifex, religiosè ſeruabis? Actum profectò de fide, actum de totâ Philoſophiâ eſt, ſi Lector fidem tibi Thraſoni tam verſicolori habet.

III. Ne porrò habeat; non ego ſolus, ſed Eugenius quoque Lauanda *a* mecum bellè ita intercedit: *Experto crede. Scioppius quinquaginta prope annis iam cerebrum fatigat, & tantùm Phyſicè, & Metaphyſicè ſapit, quantum Sorex Æſopius de molendinaria. Hic fortè ingreſſus in molendinum, quum puluere farina caudam inſperſus, iterum ad ſocios rediiſſet,* Eia, *inquit,* molitor ſum, docebo vos artem, vitam poſthac ducendi, non in foraminibus, ſed in farinarijs: *vt porrò felem prope ſenſit, curſu concito proreptus, cum farina artem excuſſit. Fabula ſignificat, Scioppium leuiſſimo ſcientiarum puluere inſperſum, iactare ſe in tuto magnificè apud ſui ſimiles; ſi periclitandum ſit, farinam euaneſcere. Tirones ſemitarij in plerisque libris Scioppianis deprehendunt, vix rite Syllogiſmum formari, ne dum rectè quidpiam concludi: quod ex Principiorum ignorantia procedit. Hoc ſi in Phyſicis, quid in abſtractis à ſenſu? in Metaphyſicis, inquam, ad qua conſiderانda nunquam aſſurgit, qui inter portas indocto calle pergens ceſpitare conſueuit. Ab hoc homine quis Phyſica, & Metaphyſica inſtitutionem requirat? non quidquid farinâ inſperſum eſt, ad molendinum ſpectat: & meritò Paulus Iuriſconſultus negat, aſinam molendinariam eâ appellatione contineri.*

IV. At qui in Phyſicis, & Metaphyſicis tam abſurdè operam ludis, Scioppi; minùs inſubidè fortaſſe Ethica vtpote non adeò abſtruſa tractabis. Tu quidem certè animum minimè deſpondes, ſed criſtas impotenter erigis, ſpecioſoque huiuſmodi titulo maximè paratragœdias: *a Pædia Ethica, ſeu Moralis Philoſophiæ: cuius vſus erit magis ad rectè & beatè viuendum, quàm ad ingenioſè & expeditè de moribus diſputandum.*

V. Verùm aquam, mihi crede, Scioppi, tundis in mortario. Nam ſutelæ tuæ, ac præſtigiæ cui iam ignotæ? circumforaneæ tuæ pollicitationes, cui non

a *In Pædia human. & diuin. liter pag. 11.*

non compertæ? Quum Æthiops ſuum exuet nigrorem, atrámue cutem, tum verba dare, os ſublinere, circumducere, ſycophantari tu deſines. Negásne? ſed fruſtra. Non longè abeo. Si aliàs vnquam inſcitiæ, ac dementiæ litâſti, in Ethicâ profectò, vel ſolitaurilibus, aut hecatombe ei litas quàm maximè. Nolo cunctos tuos Codices, in quibus pleraque de moribus garriuiſti, in præſens excutere. Solum tuum Logicarum Suppetiarum perexiguum libellum ad rectæ diſciplinæ normam exigo, nec totum, ne longior euadat oratio, ſed carptim dumtaxat libatum, prout vſus erit.

VI. In moralibus ſanè columen præcipuum eſt cuiuſuis actionis officium. At quàm inargutè abſoneque id tu diſcriminas, dum officium, quo *affectuum regimen*, ſeu *quomodo vitioſos animi affectus medicari, vel moderari oporteat*, explicatur, *officium internum*; officium vero, quod *regulas actionum tradit*, quodqne *Deum & homines ſpectat*, *externum* nuncupas? Quo enim, rogo, nomine hoc tu externum vocas? an quia Deus, & homines extra nos ſunt? Incallidè. Ex te enim ſcitor. Quum Deum ex toto, atque omnibus modis, proximum autem, ſicut noſipſos, diligimus, nónne officij noſtri partes explemus? Extra controuerſiam eſt. At quid magis homini internum, quàm amor? quàm quidquid in animo agitur? quàm ipſemet Deus? Deinde pericula quoque, & Diuitiæ nónne extra hominem pariter ſunt? fateri cogeris. Et tamen iſtarum cupiditatem, illorumque timorem cohibere, ac moderari, officium externum, ne tu quidem autumas, etſi id, quò refertur, foris ſit. Ergo diſcrimen à te ſomniatum inane eſt.

VII. Sed quàm malè officia diuidis, tam inſcienter Ethicorum morali Philoſophiæ eandem facis. *Ethica*, inquis, *a ſeu moralis Philoſophia, qua*

a *In Suppetijs loc. cit.*

ars bene viuendi *definitur*. At quo tu ex libro Ariſtotelis, quo ex loco, quâ ex plagulâ Scientiam Moralem, Ethicæ nomine ab ipſo inſignitam docere potes? volue, reuolue, quære, ſcrutare latebras omnes, rimam huius appellationis in eo nullam offendes. Cæterùm Ethica, ſi quâ eiuſdem Ariſtotelis reuerentia tibi reliqua eſt, Politices pars dumtaxat ponitur; Politice autem præter Ethicam, vniuerſam etiam Philoſophiam Moralem, vt eruditè diſertiſſimus VVangnereckius *a* reuincit, complectitur, quod te planè fugit. Sed ne id porrò ignores, aduerte, ſis, animum. Nam quorſum, quæſo, Philoſophus initio Ethicorum ad Nicomachum, in quibus de Morali diſputat Philoſophiâ, Politicam ſe tractare, nullâ alterius ſcientiæ mentione iniectâ, articulatè profitetur? quorſum *lib.* 1. ibidem *cap.* 3. ſummum bonum, ſiue finem vltimum, tanquam materiam propriam eidem Politicæ aſſerit, reliquas verò ſcientias illi velut principi ſubijcit? quorſum inibi enumeratis præcipuis ſcientijs à Politicâ diuerſis, Ethicam omnino præterit, niſi vt hanc extra Politiæ ditionem minimè verſari, ſed iſtius eſſe partem, Politicam verò eandem prorſus ac Moralem Philoſophiam manifeſtò prodat? Quid quod *lib.* 10. Ethicorum, *cap.* 9. & libris Politicorum doctrinam de ferendis Legibus, & de Republicâ explicat, & de eâdem doctrinâ ibidem, non vt de nouâ ſcientiâ, ſed de eius, quam in Ethicorum libris expoſuit, parte diſertè præfatur.

VIII. Quàm perſpicuè etiam hoc ipſum ex tribus viuendi generibus, quæ tum *lib.* 1. Ethicorum, *cap.* 5. tum *lib.* 1. Eudemiorum *cap.* 1. & 2. recenſet, elicitur? *Quum ad vitam beatam*, inquit eo *cap* 2. *ordinata ſint tria, quæ priùs dicta ſunt, velut potiſſima bona, Virtus, & Sapientia, & Voluptas: videmus*

a *Lib.* 1. *Vindic. Politicarum*, *cap.* 5. §. 6.

mus eſſe vitas, quas cuncti ſui compotes agere eligunt, Politicam, Philoſophiam, Voluptuariam. Ex his Philoſophus expetit Sapientiam, & contemplationem veritatis, Politicus actiones honeſtas (hæc enim ſunt, quæ à virtute proueniunt) Voluptuarius verò voluptatem corporis. Cernis hîc, vt virtus, actionesque virtutis ad Politicen tantùm, & Políticos, nec ad aliam vllam facultatem, ex Ariſtotelis ſententiâ pertineant, ideoq; nullum aliud virtuti genus viuendi, quàm Politicum, ab eodem Philoſopho tributum ſit? At meridianâ luce clariùs *lib.* 1. Magnorum Moralim, *cap.* 1. huic etiam ſcito idem Philoſophus ita adſtipulatur: *Quia conſtituimus dicere de moribus, primum conſiderandum eſt, cuiuſnam facultatis pars, ſit mos. Vt igitur breuiter dicam, videtur non alterius, quàm Politicæ pars eſſe. Non enim poteſt in Politicis quidquam effici, niſi quis qualis ſit: qualem autem dico probum. Probum verò eſſe, eſt virtutem habere. Oportet igitur eum qui Politica geret, moribus probum eſſe. Quare pars eſt, vti videtur, & Principium Politicæ Tractatio de Moribus. Totam verò appellationem rectè videtur habere hæc Tractatio, non Moralem,* ſeu Ethicam, *ſed Politicam.* An planiùs Ariſtoteles, alioqui non vbique planiſſimus, hîc loqui poteſt? Viden', vt Philoſophia Moralis ex eiuſdem placito nulla alia ſit, quàm Politica? viden', vt Ethica Politicæ pars cenſeatur? viden, vt Ethica non ſecus ad Politicam, quàm diſſertatio de terminis, vt aiunt, ſimplicibus, & de enuntiatione ad Logicam ſpectet? viden', vt doctrina de Legibus, & de Republica, ſicut diſquiſitio, & ſanctio de Syllogiſmo, & demonſtratione eſt Logices pars principalis, ita Politices primaria pars ſit, huiusque nomen veluti per antonomaſiam retineat? Ineptè igitur, ac perturbatè Ethicam, ac Moralem Philoſophiam eandem eſſe pronuntias, & quæ valde diſparantur, perperam imperiteque confundis.

Nam,

Nam, vt egregiè te premit VVangnereckius, non tantùm Ariſtotelis opinatione, ſed etiam documento, quemadmodum ars quædam bene viuendi priuatim eſt, quæ per antonomaſiam Ethica dicitur; ita alia ars bene viuendi publicè eſt, quam Politicam appellamus. At verò vniuerſa morum ſcientia, vel facultas, quæ Philoſophia Moralis, & Politica quoque nuncupatur, tanquam genus Ethicam, Politicamque particularem, veluti ſpecies ſuo ambitu continet: ac proinde inſcitè, ac peruersè ſpeciem generi, Ethicam Philoſophiæ Morali eandem aſſeueras.

IX. Hinc tam ruinoſo fundamento ſemel iacto, haud mirum, ſi parietes tam lapſabundos inædificas, improbeque tradis, non eſſe Politici muneris, hominum animos ab impotentiſſimâ dominatione, ſeu Tyrannide aucupandâ abducere. *Ex his,* ais, a *facile eſt intellectu, quàm ſit Ethicæ proprium, & à Politica alienum, quod Cenſores iſti à Politicis tractari poſtulant. Nam deterrere hominum animos ab affectanda, vel tuendâ Tyrannide, ad partem Ethicæ Paraeneticam, ſeu Præceptiuam pertinet; Tyrannidis verò Turpitudinem deſcribere ad partem dogmaticam, cuius eſt de honeſto & turpi diſputare, quæ ſunt forma, ac veluti anima virtutis, & vitij.* Imò verò, Scioppi, ex his multo pronius eſt, intelligere, te hîc nihil intelligere, ſed planè deſipere. Túne enim à ſcientiâ alienum reputes, quod ad ſcientiæ partem ſpectat? non eris, credo, adeò vecors, vt vecordiam hanc tibi patiaris excidere. At deterrere hominum animos ab affectandâ Tyrannide, huiusque turpitudinem deſcribere Ethicæ præcipuum ſeu à naturâ, ſeu ab humanâ inſtitutione datum eſſe, tu ipſe in tuis *Suppetijs*, vt modò retuli. Hæc porrò Ethica Politicæ pars, auctore Ariſtotele, vt oſtendi, eſt. Quî igitur à Politicâ munus

a *In Suppetijs loc. cit.*

munus deterrendi homines à Tyrannide affectandâ, huiuſque turpitudinem deſcribendi alienum ſit? Scilicet. Niſi fortè pari amentiâ ſtatuas, quod in libris Perihermenias à Philoſopho explanatur, à Logicâ eſſe alienum. Quin Ariſtoteles Ethicam Politicæ ita addicit, vt illam huius appellatione comprehenſam velit, & duplici quidem ex cauſsâ; tum quia homo naturâ ciuile animal eſt, vt *lib.1. Politic. cap.2.* & alibi ſæpe docet; cui conſequens eſt mores humanos, & pleraſque virtutes ad ciuilem ſocietatem referri, atque in hac exerceri, ac perfici; tum quia ſine Legibus, & Repub. non facilè mores ad virtutem formari, neque vitia coërceri poſſunt, vt *lib.10. Ethicorum, cap. 9.* animaduertit.

X. Sed tuæ Ethicæ imperitiæ ac ſtupiditatis longè fœdior adhuc labes, Scioppi, eſt, quum ex attributo quæſtionis conſtare vis, ad quam iſta ſcientiam attingat. Memoro tibi tua, quæ exarâſti, verba; hæc ſunt enim ipſiſſima: *a Vt à Methodi Magiſtris docemur, omnis quæſtio, aut diſputatio eius artis propria eſt, cuius fuerit Prædicatum, ſiue Attributum, vt hæc quæſtio,* Sítne Auaritia liberalitati contraria? *non eſt Ethica, ſed Dialectica. Nam quid ſit contrarium, ex Dialectica diſcitur, quamuis ſubiecta ſint Ethica. Docet autem Dialectica eſſe contraria illa,* quæ ſub eodem genere poſita plurimum diſsident. Et vnde tu hæc tuæ ignorantiæ commenta hauſiſti? à Methodi Magiſtris? Methodi, inquis? imò diſtortionis, allucinationis, errationis. Quis enim ita delirauit vnquam, vt te adeò flagitioſè, non tam imbueret, quàm infatuaret? Nemo, niſi tu ipſe, aut tui ſimiles, qui earum rerum, quas nunquam, aut nonniſi vitioſè didicerunt, magiſterium temerè ſibi arrogant. Quid? ea quæſtio, *Sítne Auaritia Liberalitati contraria?* te arbitro, in Dialecticæ cenſu

eſt?

a *In Suppetijs loc.cit.*

eſt? Quid ergo huic facies: *An, & cur Caro aduerſetur ſpiritui, atque huic contraria ſit?* de quâ Apoſtolus ad Galatas 6. alibique diſputat? Dialecticæ quoque eodem philoſophandi acumine mancipes, ſtatuasque, Dialectici eſſe, modum cauſſasque rebellionis, quam præ originali piaculo experimur, ediſſertare, neceſſe eſt; quo ſcito nihil inſcitius. Quid huic; *An Deus ſit trinus, & vnus?* quid huic: *An Sacramenta ſint ſeptem?* quid huic; *An partes Pœnitentiæ tres?* eâdem ratiocinandi fatuitate ad Arithmeticam has & ſimiles, quia huiuſmodi cuncta attributa numero ſint comitata; numerus autem materia arithmeticæ ſit, amandare cogêris; quâ dementiâ nihil dementius. Quid denique huic: *An eſſe æternum, immenſum, infinitum, omnipotentem, ſit Deo proprium?* eâdem delirandi temeritate non Theologo, ſed Logico, quia is proprij naturam exponit, definiendam adiudicabis. Quâ ſtoliditate nihil ſtolidius. Tua igitur opinio, Scioppi, quæſtionem ei adſcribens arti, è quâ illius attributum ducitur, & omnibus inopinata, & falſa omnino eſt. Nam tametſi, vbi attributum pluribus ſcientijs commune eſt, adeoque & communium ſcientiarum effatis ſtabiliendum eſt, eiuſdem attributi explicatio, & definitio ab aliquâ facultate frequenter petitur, atque ad quæſtionem, aut concluſionem alterius ſcientiæ diſceptandam, vel probandam tanquam proloquium, ſeu enuntiatum deſtinatur; non proptereà tamen quæſtio, aut concluſio huiuſmodi in communis ſcientiæ iugo ſedet, ſed particularis veſtigijs inſiſtit. Abſque hoc enim foret, quorſum Ariſtoteles *lib.* 1. *Poſter cap.* 8. effata communia à proprijs ſecreuiſſet, ſi quæſtio, aut concluſio, quæ communi attributo, atque à communi vel ſuperiori ſcientiâ explanato gaudet, non ad hanc, ſed ad inferiorem, ſeu ſingularem, cuius

pars

pars ſubiecta propria eſt, ſpectaret? Hinc Ethicus contrariorum definitionem à Logicâ quidem, ſeu à Metaphyſicâ, vbi de iis Ariſtoteles *lib.* 10. copiosè agit, mutuam ſumit, quâ aſſumptâ, virtutem vitio, & liberalitatem auaritiæ eſſe contrariam, ex virtutis, & vitij; liberalitatis, & auaritiæ, horumque proprietatibus demonſtrat; & tamen iſtorum diſquiſitionem non in Logicam, ſed in Ethicam cadere, in confeſſo eſt, eademque norma ad cætera quoque porrigitur.

XI. Parili prorſus allucinatione, & virtutis mediocritatem ad Logicam, vel Metaphyſicam, Scioppi, reijcis. Quid muſſas? nónne hoc tuum chirographum omnino eſt? *Similiter quæſtio hæc,* a Sitne virtus mediocritas, *ſiue*, in medio duorum vitiorum poſita? *rectiùs in Logica, aut Metaphyſica, quàm in Ethica tractatur.* Quo modo id probas? Sollertiſſimè. *Ex Metaphyſicis* enim *diſcimus*, inquis, vnum vni tantùm eſſe contrarium. Ariſtotelis 10. Metaph. 4. *verba ſunt:* Planum eſt, fieri non poſſe, vt vni plura ſint contraria. In quam ſententiam vbi nonnulla alia coëgiſti, demum ita colligis: *Igitur Metaphyſicæ doctrinæ conſentaneum eſt, virtutem inter duo vitia nequaquam eſſe poſitam. Aliter duo ei vitia eſſent contraria, quum ſemper virtus, & vitium ſint contraria.* Quorum omnium neceſſariò conſequens eſt, vt ſi Ethicus nihilominùs de virtutis mediocritate diſceptet, falcem in meſſem alienam, te iudice, mittat, atque aliena pertractet.

XII. At ego te non mediocriter iſtâ opinionis inſolentiâ delirare, & iure pertendo, & nullo negotio ex noſtro VVangnereckio euinco. Quanquā enim effatum Metaphyſicum no ignoro: *a In omni re continua, & quæ partes habet, & plus minus, & æquale reperiri, idq; ſecundùm rem, vel quod ad nos æquale verè*

a *In Suppetijs loc. cit.*

b *Loc. cit* §. 14.

verò eſſe medium inter exceſſum, & defectum: tamen diſquirere, an virtus in medio, ſeu mediocritate ſita ſit, non Metaphyſici, neque Logici, vt tu ſomnias, ſed Ethici, qui virtutem ſpectat, vtique intereſt. Hinc Ariſtoteles *lib. 2. Ethic. cap. 6.* & deinceps, etſi hoc eodem Metaphyſices principio maximè nititur, nihilominùs in virtutis mediocritate, vitiorum verò exuperantiâ, defectuque generatim oſtendendo, ſingillatim autem in conſequentibus libris patefaciendo totus eſt. An ergo ab Ethico inſtituto alienum tu iudicas, quod Philoſophus maximâ librorum Ethicorum parte, tantâq; animi deſtinatione perſequitur? Caue, ne tu potiùs ab omni iudicij rectâ trutinâ alienus meritò exiſtimeris. An in iiſdem libris aliena plerumque caſtra eundem Ariſtotelem occupâſſe criminaberis? ſed cuncti Philoſophi mendacij te & calumniæ extemplo damnabunt. Vnde tuæ Ethicæ imperitiæ capreolus, vtcunque eum inuoluas, palàm euoluitur.

XIII. Quo verò tu œſtro percitus, virtutem duo inter vitia collocatam, duoque vitia ei contraria eſſe inficiaris? Quæro ex te, num auctoritas & ratio quicquam ponderis apud te habet? admodum. Atqui Ariſtoteles vtrâque te in terram penitùs arietat. Quo enim pacto virtutem eo *cap. 2.* definit? *Habitum* ſcilicet, *quo eligimus mediocritatem, quod ad nos, à ratione determinatam, prout prudens determinauerit.* Mediocritas autem, in quo verſatur? *Inter duo vitia*, inquit, *conſiſtit, vnum quidem in exceſſu, alterum in defectu ſitum.* Quam ſententiam pluribus argumentis ibi confirmat, & ſingulis quoque virtutibus moralibus *cap. 7.* eiuſdem *lib. 2.* diſertim aptat; tum earundem explicationem operosè, præſertim *lib. 3.* & 4. *Ethicorum* inculcat. In eandem & D. Thomas tam in horum librorum Commentarijs, quàm 1. 2 *quæſt. 64. art. 1.* manibus

manibus & pedibus tranſit, eoque potiſſimùm illam roborat, quòd humanarum actionum norma & regula ſit recta ratio. *Bonum autem*, ait, *cuiuſlibet menſurati & regulati conſiſtit in hoc, quod conformetur ſua regula, ſicut bonum in artificiatis eſt, vt ſequatur regulam artis. Malum autem per conſequens in huiuſmodi eſt per hoc, quod aliquid diſcordat à ſua regula, vel menſurâ. Quod quidem contingit per hoc, quod deficit ab ea. Sicut manifeſtè apparet in omnibus regulatis, & menſuratis; & ideò patet, quod bonum virtutis moralis conſiſtit in adæquatione ad menſuram rationis. Manifeſtum eſt autem, quod inter exceſſum, & defectum medium eſt æqualitas; ſiue conformitas. Vnde manifeſtè apparet, quod virtus moralis in medio conſiſtit.* Hæc ſanctiſſimus, & ſapientiſſimus Doctor.

XIV. Quis porrò Philoſophorum, Scioppi, quis Theologorum ab hac tam exploratâ, communiquè doctrinâ diſcedit? nemo prorſus, nemo. Tu ſolus, non Philoſophus, nec Theologus, nec Grammatiſta, & rabula obſtrepere inconſultò, ac temerè auſus es, cuius Voluſianas chartas, tam apertæ veritati oggannientes tamdiu fuiſſe toleratas, non immeritò miratur diſertiſſimus VVangnereckius.*a* At enim *vni non eſſe, niſi vnum contrarium*, iam tibi, & cæteris ex Ariſtotele, alijſque Philoſophis, tum etiam ex ſacris literis perſuaſum clamas. Audio. Sed quorſum iſtuc? quid hinc exprimis? quid conficis? quum de vno tantùm eodemque reſpectu ſermo eſt, ei pronuntiato locum eſſe, *contrarium vni non eſſe, niſi vnum*, quod tamen nihil prohibet, quin eidem plura contraria diuerſo reſpectu eſſe poſſint; virtuti nimirum duo vitia, vnum reſpectu exuperationis, alterum reſpectu defectûs, vt S. Thomas 1.2 *quæſt* 71. *art.* 1 ad 1. obſeruat. Vel certè, ſi hæc interpretatio minùs tibi arridet: huiuſmodi effatum Ariſtoteleum non ad omnia, &

a *Loc. cit.* §. 15. qualia-

qualiacunque contraria, ſed ad ſola contraria perfecta neceſſariò referendum eſſe, quemadmodum ex eodem *lib.* 10. *Metaphyſ. cap.* 5. *tex.* 14. perſpicuè conſtat, vbi Philoſophus tuam incogitantiam ita non obſcurè redarguit: *Quum autem multipliciter dicantur contraria, ſic ea ſequitur, quod perfectum eſt, ſicut eis competit eſſe contraria. His autem poſitis manifeſtum eſt, quod non contingit vni plura contraria eſſe: neque enim vltimo vlterius eſt aliquid, neque vnius diſtantia plura ſunt, quàm duo extrema. Et vniuerſim, ſi contrarietas eſt differentia, differentia autem duorum eſt, ergo & ipſa perfecta. Sed neceſſe eſt etiam alias definitiones contrariorum veras eſſe.* Sic Ariſtoteles. Neque hoc dumtaxat loco alia contrariorum diſcrimina, ſed libro etiam 5. *Metaphyſ cap.* 10. *Tex.* 15. diſtinctè enumerat, aitque, *Contraria dici & ea, quæ ſimul eidem ineſſe non poſſunt, quum genere differant; & quæ plurimum differunt ex ijs, quæ ſunt eiuſdem generis; & quæ plurimum differunt ex ys, quæ ſub eandem potentiam cadunt; & quorum differentia eſt maxima, aut ſimpliciter, aut ſecundùm ſpeciem.* Etſi verò duo vitia à virtute non plurimum ſub eodem genere diſtent, rectè tamen ei contraria alijs modis dicuntur, quia vt boni malique genus commune non habent, ita eidem ſimul ineſſe non poſſunt. Quocirca idem Philoſophus tum *lib.* 2. Ethic. *cap* 8. tum alibi ſæpe monet, *Habitus extremos & medio habitui, & ſibi contrarios eſſe, & medium extremis: maiorem item eſſe extremorum inter ſe, quàm eum medio, repugnantiam; longiùs enim à ſe mutuò, quàm à medio, diſtare.*

XV. Ex quibus ita concluſis, quàm indoctus ignaruſque rerum Ethicarum, Scioppi, ſis, ſpecimen ſanè luculentum, quod tibi, & Lectoribus do, præſto eſt. At mox alia inſuper documenta eiuſdem tuæ inſcitiæ in apertum proferam.

§. IV.

§. IV.

Aliæ Scioppianæ in Moralibus inſcitiæ documenta.

I. Quanquam quæ modò expendi, tuam Ethices imperitiam ſatis delineant, iuuat tamen hîc pleroſque alios eiuſdem colores intueri. De auaritiâ & liberalitate noua monſtra paris, quæ tuomet penicillo graphicè ſic expingis: a *Iam verò Auaritiam Ethicus ſub alio genere ponit, ſub alio liberalitatem. Nam liberalitas eſt ſub habitu alienandi, ſeu largiendi, Auaritia ſub habitu non alienandi, ſed acquirendi, aut conſeruandi. Liberalitati ergo contrario nomine opponitur effuſio, Auaritiæ parcimonia. Quum enim liberalitas & effuſio ſint ſub eodem genere, ſub habitu nempe largiendi, plurimum inter ſe diſsident, quoniam illa honeſta eſt, hæc verò turpis. Similiter Auaritia & Parcimonia ſub eodem habitu non largiendi, ſed retinendi plurimum inter ſe diſsident. Nam parcus non dat, ſed retinet, quia turpe eſt dare, honeſtum verò retinere. Auarus autem retinet, etiam vbi turpe eſt retinere, honeſtum verò largiri.*

II. Hîc enimuerò, Scioppi, non auarè, nec parcè, ſed liberaliter, & profusè Lectorem tuæ ignorantiæ ſpectaculò recreas. Quod ne inficieris, cedò mihi, quid princeps Ethicorum Ariſtoteles, quem in doctrinâ morali anteſignanum Philoſophi, ac Theologi venerantur, hac de re ſtatuit? quid decernit? a vnam eſſe virtutem, & duo vitia huic oppoſita, vt vidimus. Sic vnam liberalitatem *lib* 4. *Ethic. cap* 1. & duo vitia, auaritiam, & prodigalitatem circa communem vſum pecuniarum agnoſcit, quorum genus aliud eſſe non poteſt, quàm habitus pecunijs promiſcuè vtens, quem

a *In Suppetijs loc cit.*
b *Ex Wangnereckio loc. cit. §. 12.*

quem proximè licet diuidere in eum, qui rectè pecunijs vtitur, neque à liberalitate diuerſus eſt; & in oppoſitum, qui pecunijs abutitur. Porrò quum hic duplici ſcopulo vel ſuperlationis, vel defectus expoſitus ſit, in duo alia vitia infimæ ſpeciei, nempe in Prodigalitatem, quæ in dando excedit; & in Auaritiam, quæ deficit, iterum diuiditur. Quære nunc tu in Ariſtotele, vbi circa communem pecuniarum vſum, præter liberalitatem, prodigalitatem, & auaritiam, aliam virtutem, vitiumque conſtituat. Nuſpiam reperies. Quid igitur tu comminiſceris tam inſolenter, habitumque alienandi ab habitu acquirendi diſpeſcens, ſub illo Liberalitatem, & Prodigalitatem, ſub hoc Auaritiam, & Parcimoniam collocas? An non te huiuſce futilitatis pudet? an non Philoſophum tibi refragantem animaduertis? an non habitum alienandi, ſeu largiendi ab habitu acquirendi, ſeu conſeruandi diſtinctum eidem Philoſopho planè incompertum cernis? Quàm enim enucleatè *lib. 4. Ethic. cap 1.* eiuſdem habitus docet eſſe, dare, & accipere, ſiue acquirere? quàm diſertè vtrumque Liberalitati, etſi illud magis, quàm iſtud, aſcribit? quàm apertè hîc ſuam mentem verbis minimè dubijs ediſſerit? Age, recito tibi ſyllabatim ſingula: *At enim vſus diuitiarum in ſumptibus, & expenſis conſiſtere videmus: acceptio verò & cuſtodia magis ad poſſeſſionem pertinet. Quocirca liberalis potiùs eſt dare, quibus oportet, quàm accipere, vnde oportet, aut non accipere, vnde non oportet* Neque verò rerum cuſtodiam, ſiue conſeruationem liberali interdicit Ariſtoteles, quin potiùs illam huic manifeſtè paulò pòſt ibidem ita tribuit: *Neque ſua negliget, qui vult inde alijs opem ferre. Neque quibuſuis dabit, vt poſſit dare, quibus oportet, & quando, & vbi honeſtum eſt.* Quam vtramque partem in vitijs quoque oppoſitis mox hac ratione explicat: *Prodigalitas igi-*

tur

tur dando & non accipiendo excedit, accipiendo deficit. Illiberalitas (ſiue auaritia) *dando quidem deficit, ſed accipiendo excedit.* Quam inuito igitur ac repugnante Philoſopho, Scioppi, liberalitatem habitu alienando includis, & ab acquirendi habitu excludis? Vnus idemque genere dandi, & accipiendi habitus eſt, quem enumeratæ tres illæ ſpecies, Liberalitas, Prodigalitas, Auaritia quadantenus ſingulæ participant, quod hactenus ignorâſti. Nam ne prodigalitatem quidem quicquam prohibet, quin & ipſa accipiat, & ſua conſeruet, etſi non accipiat, vti oportet, & quantum oportet; neque ſua conſeruet, vti oportet. Auaritia pariter dat, licèt non accipiat, vti oportet; quod minimè vſque adhuc es aſſecutus.

III. Iam quid tandem ex his, Scioppi, neceſſariò cogitur? quid? nec Parcimoniam à liberalitate eſſe diuerſam, quod tu pro tuâ fabulandi lubidine confingere non dubitâſti. Quam enim aliam virtutem, præter liberalitatem, Ariſtoteles tum *lib.4. Ethic cap 1.* & 2. tum *lib 2. cap. 7.* circa communem pecuniarum vſum commemorat? nullam penitùs. Ariſtotelis verò ſententiæ ſubſcribit Diuus Thomas ibi in Commentario, & 2.2. *quæſt.* 117. 118. 119. 1.4.135. nec non omnis prorſus quum Philoſophorum, tum Theologorum natio adſtipulatur: & ratio quoque præualida ſuffragatur. Nam liberalitas pecuniarum vſui, qui, niſi quis det, quibus, & quæ, & quando oportet, reſque ſuas ita curet, vt habeat, vnde det, rectus non eſt, prudenter moderatur; adeoque retinet quoque, quum retinere honeſtum eſt. Ergo tua, Scioppi, Parcimonia ſuperuacanea eſt; vel certè nonniſi partem aliquam, officiumque liberalitatis præſtat. Quæ ſanè virtus inde nomen ſuum, teſte D. Thomâ 2.2. *quæſt.* 177. *art.* 1. nacta præipuè videtur, quòd liberalis dando, & accipiendo, ac retinendo, animum

ſuum ab omni pecuniarum inordinato affectu liberum oſtendit, etſi ei multo antiquius ſit dare, magisque id ipſamet liberalitas, & liberalis nomenclatura præ ſe ferat. Vnde ſat iam perſpectum, quàm tu his in literis hoſpes, quàm infans ſis.

IV. Aude nunc aliquod aliud, dignum tuâ temeritate portentum. Negas rotundè Auaritiam liberalitati eſſe contrariam, quia *oppoſita*, inquis, *a diſcimus ex Dialectica dici ſecundùm idem, & ad idem, & eodem tempore, ac loco. - Auaritia autem non eſt defectus, neque oppoſitum liberalitati, quoniam reuera non circa idem internum, ſeu* formale, *vt ſic dicam, obiectum verſantur. Nam formale, & internum liberalitatis officium eſt alienare rem familiarem: Auaritia verò non alienare, ſed retinere.* At tuæ inſcitiæ genuinum, Scioppi, officium eſt, prodigialiter etiam, quæ obuia, & conſpicua ſunt, allucinari. Quid ais? *Oppoſita ſecundùm idem, ad idem, & eodem tempore, & loco dici?* Quis id in dubium reuocat? Quid tum poſteà? progredere. Num idcirco illud quoque, in quo ea opponuntur ſibi, mutuaſque exercent inimicitias, idem prorſus iiſdem eſt, nihilque intercedit diſcriminis? Hóccine te docet tua Dialectica? hoc tu ex Philoſophiâ diſcis? ô te fungum, & cucurbitam, ſi ita exiſtimas! Imò verò neque idem eſſe oppoſitis debet illud, nec poteſt, in quo hæc ei aduerſantur, ſed illa ab illo diſtincta omnino ſint, neceſſe eſt. Sic quippe album, & nigrum contraria appellantur, quia ab eodem, vt vocant, *ſubiecto* vnà ac ſimul minimè tolerantur. At ipſorum eſſentia, ratione cuius non poſſunt ſimul conſiſtere, neceſſariò diuerſa eſt, non ſolum inter ſe, ſed etiam ab eodem *ſubiecto*, vt liquet. Haud ſecus igitur Auarítia quoque, & liberalitas, eandem genere materiam, diuitias nimirum, ſeu pecunias, iſtarumque vſum, non autem eandem

ſpecie;

a *In Suppetiis loc. cit.*

ſpecie: nam hæc moderatè dat, & moderatè accipit, illa dando deficit, & accipiendo excedit, quemadmodum ſuprà ex Ariſtotele notaui. Quorum conſequens neceſſariò eſt, & obiectum formale, vt aiunt, eſſe diuerſum, & *formalitatem* obiecti (ita enim cum Philoſophis loqui cogimur) in *formalitatem* habitus, & actuum redundare, neque vnam ab alterâ ſecerni, aut abiungi poſſe: Habitus namque, & actus ſuam ab obiectis eſſentiam ſibi, vt compertum eſt, arceſſunt. Quare actuum contrariorum obiectum genere idem planè eſſe opus eſt, vt eodem genere ijdem actus contineri; ſpecie autem differre, vt contrarij eſſe poſſint.

V. At continuò tu intercedis, monesque: a *Ex euentu tamen, ſeu per accidens Liberalitatem, & Auaritiam contraria dici poſſe, quoniam ipſa eorum obiecta, alienare, & non alienare inter ſe pugnant.* Sed inauſpicatò, ſed inconſultò. Quid enim? an non paulò antè alienare, liberalitatis formale obiectum, non alienare verò auaritiæ (quanquam falsò, temerèque, vt reuici) ſtatuiſti? Tergiuerſari non potes. Ergo contrarietas illa, quam huiuſmodi habitus inde ſortiuntur, non per accidens, vt tu blateras, ſed per ſe omnino ijſdem habitus congruat, neceſſe eſt, quandoquidem eſſentiam ſuam tales habitus, quatenus contrarij, ſuis ab obiectis petunt, ſibique aſciſcunt. Fruſtra igitur tuæ inſcitiæ, ſuppetias quæſito hoc diuerticulo aduenis.

VI. Quid præthereà? Ethicam tuam doctrinam hoc perabſurdo decreto claudis: b *Eodem modo per accidens vitium in medio duarum virtutum ſpectari, velut alterius nimium ſiue exceſſum, alterius parum ſeu defectum; ſic auaritiam & effuſionem itidem inter liberalitatem, & parcimoniam mediam eſſe.* At quibus

a *In Suppetijs loc. cit.* b *In Suppetijs loc. cit.*

bus tibi cum hominibus, quum has affanias ingeris, rem eſſe autumas? a cum bubulcis? cum opilionibus? cum ſuarijs? Quibus enim alijs eas tu allinas? Ab iſtis diſcedito. Operam certè ludes. Nam luculenter paulò antè docui, Parcimoniam vel à liberalitate non eſſe diſtinctam, vel certè huius eſſe partem; ac proinde nullum vitium inter vtramque eſſe poſſe, manifeſtum eſt. Vt omittam tuum hoc pſephiſma cum Ariſtotele, qui *lib* 2. Ethic. *cap.* 6. palàm decernit, *Nullo modo in exceſſu, & defectu eſſe medìocritatem, neque in medioeritate exceſſum*, apertè pugnare. Exuperantia enim & defectus extrema ſunt: extrema autem eſſe eadem, ac medium, aut in medio eſſe poſita, impoſſibile omnino eſt, eademque ratio de vitijs quoque, quæ in ſuperlatione, defectuque verſantur, cenſenda, adeoque & tua hæc veternoſa oſcitatio prorſus exibilanda eſt.

VII. Eſtne aliquid amplius? flagitium immane, infandum, incredibile. Turpem *Apadeuſia* dicam pleriſque Politicorum Cenſoribus ipſo ſtatim tuarum *Suppetiarum* initio immeritò inſcienterque ſcribis, quod ſcuticâ dignum piaculum ſanè eſt. At quàm enormi auctu id creſcit, quum in tuæ imperitiæ patrocinium, Ariſtotelem etiam *lib.* 1. *Ethic. Eudem cap.* 1. temerè hoc pacto vocas: *Ibi duo quadam inuenies, qua non in illorum magis temporum aquales, quàm in homines atatu noſtra dicta videantur* Audio. Quænam iſta? *Primum ais*, inquis, *quibuſdam, qui de Politicis rebus diſſerant, non parum ſape vſu venire, vt in medium afferant*, ἀλλοτρίȣς λόγȣς τῆς πραγματείας, ϰ̀ ϰενȣ̀ς, *id eſt*, rationes à negotio propoſito alienas, atque inanes. Quodnam alterum? *Deinde contingere non rarò* (actutum ſubdis) *vt homines vſu periti, & in rebus agendis*

a Ex *Wangnereckio loc. cit.* §. 16.

agendis verſati ab alijs diſputando vincantur, qui artem ipſam Ciuilem, ſiue Politicam didicerunt. Vtriuſque verò rei cauſſam, eorum, qui vincuntur, aut aliena efferunt, Apædeuſia aſſignat, quæ quid ſit, totidem verbis mox declarat. Ἀπαιδευσία ἐστὶ περὶ ἕκαστον πρᾶγμα, τὸ μὴ δύνασθαι κρίνειν τούς τε οἰκείους λόγους τοῦ πράγματος, καὶ τοὺς ἀλλοτρίους. *Id eſt,* Ignoratio Pædiæ eſt, non poſſe iudicare in vnaquaque re, quæ rationes propriæ, quæ alienæ afferantur. Sed quorſum hæc? *Atque hinc* (extemplo colligis) *intelligi poteſt, vt quis rectè de Politicis diſſerat, nequaquam ſatis eſſe, ſi vel multo ſtudio, vel hominum rerumq; vſu Politicam didicerit, ſed hoc ampliùs requiri, vt ſit* πεπαιδευμένος, *ſiue Pædia inſtructus.*

VIII. At ego, Scioppi, non te Pædiæ compotem, ſed mentis impotem, ac rudem Pædagogum arbitror, qui inſcitiam tuam etiam mendacio auges, auctamque multo plauſibiliorem, ac vendibiliorem opinaris. Quid enim eo *cap. 6.* Ariſtoteles vrget? quos nominatim perſtringit? num Politicos ſpeciatim, vt tu hariolaris? nihil minus. Quos ergo? Philoſophos illos vniuersè carpit, meritoque increpat, qui *vt Philoſophi videantur, quum nihil ſciunt, nihil dicere, ſed debito modo ſæpe neſciunt: rationes alienas à re propoſitâ, & inanes afferentes.* Qui germaniſſimus horum verborum, quæ illic leguntur, ſenſus eſt. Εἰσὶ γάρ τινες, οἳ διὰ τὸ δοκεῖν φιλοσόφου εἶναι, τὸ μηδὲν λέγειν, ἀλλὰ μετὰ τρόπου, πολλάκις λανθάνουσι, λέγοντες ἀλλοτρίους λόγους τῆς πραγματείας, καὶ κενούς. Hæc porrò quàm peruerſè tu interpretaris? quàm prauè torques? quàm improbè, quæ eodem

loco Philoſophus tradit, perturbas? Quid abnuis? recitentur hîc, quæ ibi ſubijcit Ariſtoteles. Τοῦτο δὲ ποιοῦσιν, ὁτὲ μὲν δι᾽ ἄγνοιαν, ὁτὲ δι᾽ ἀλαζονείαν. ὑφ᾽ ὧν ἁλίσκεσθαι συμβαίνει καὶ τοὺς ἐμπείρους, δυναμένους πράττειν, ὑπὸ τούτων, τῶν μήτ᾽ ἐχόντων, μήτε δυναμένων διάνοιαν ἀρχιτεκτονικὴν, ἢ πρακτικήν. πάσχουσι δὲ τοῦτο δι᾽ ἀπαιδευσίαν. Nunc redde tu iſta Latinè fide omnino incorruptâ. Quid pigraris? properare propera. At iam te præuertit Henricus VVangnereckius, *a* atque hoc labore ſubleuauit, eiuſmodi verbis ita præclarè verſis: *Ia verò faciunt, aliquando quidem ex inſcitia, aliquando ex ſuperbia Quibus vinci contingit etiam expertos, & ad agendum idoneos ab hu, qui nec præditi ſunt, nec valent intelligentiâ architectonicâ, aut practicâ. Patiuntur verò id propter imperitiam.*

IX. Sciſcitor iam ego ex te, Scioppi. Quinam hoc loco ab Ariſtotele Apædeuſiæ arguuntur? quinam? effare. An *qui multo ſtudio, vel rerum, hominumq́; vſu Politiam, aut aliam ſcientiam didicerunt,* vt tu ipſe ſcribis? minimè gentium. Sed hæc mera tua fabula eſt, mera fraus, mera ſycophantia. Quinam igitur? illi nimirum, qui Philoſophici aucupes nominis, rationes alienas, & inanes, proprijs, & ſolidis deſtituti, imperitè, aut arroganter cumulant, quumq́ue tacendum eſſet, loquuntur, quemadmodum ex verbis ipſis perſpicuum eſt. Neque ait Philoſophus illos ab iſtis diſputando vinci, vt tu inconſideratè comminiſceris, ſed ignorantiâ; hac appoſitâ circumſtantiâ, denuntians ſcilicet, eos non rationibus, ſed clamoribus, non doctrinæ pondere, ſed iniquis ardelionum

a *Loc. cit. §. 11.*

delionum iſtorum iudicijs expugnari, obruiq́ue, à quibus viri illi docti & periti calumniâ frequenter non ob ſuam, ſed ipſorum Apædeuſiam, & imperitiam onerentur. Quæ enim alioqui ratio efficit, aut ſuadet, hos, qui vſum cum multo rerum, hominumq́ue ſtudio coniunxerunt, ab illis reapſe ſuperari, qui intelligentiâ architectonicâ, aut practicâ, Ariſtotele teſte, neque præditi ſunt, neque valent: quum ſi iſti ante eos forent, alterutro iſtos valere neceſſe omnino eſſet? Non es, mihi crede, Scioppi, non tanti es, vt tui gratiâ animum inducamus, Ariſtotelem tam ſibi, quàm veritati aduerſari. Illud potiùs vtrique, hoc eſt Ariſtoteli, & veritati dandum, vt eiuſmodi interpretes, ſeu potiùs rabulas, qui inſanè oblatrando primas auferunt, imperitis, vel arrogantibus Philoſophis accenſeamus.

X. At quo rapior, Scioppi? Interſiſto. Hæc tuæ in moralibus inſcitiæ monumenta, quanquam tam multa, tam fœda, tam pudenda, præter pleraque alia à VVangnereckio eruta, & ſimul diruta, ex vno tamen, vt dixi, tenuiq́ue tuæ Pædiæ Politicæ, ſeu Logicarum Suppetiarum libello dumtaxat libata ſunt. Quid ſi iam reliquos tuos Codices omnes, rationis obruſsâ exploraremus? quid ſi pari lance trutinaremur? quid ſi accuratè, ſollerteque cenſeremus? quàm magna, quàm immanis, quàm incredibilis tuæ imperitiæ Ethicæ vis vndique in oculis, & calamum incurreret, & vel infatigabilem manum delaſſaret? I nunc ſuperciliose, ac ventoſe Grammatice, deq́ue moralium rerum cognitione laureolam in muſtaceo quærito. Ito, & tuam inſcitiam ſemel recognoſcito, hac vnâ tuæ imperitiæ notitiâ haud parum de pingui tuâ ignoratione detracturus. Quam in notitiam vt porrò tu venias, Eugenio Lauandæ oracula certa

fundenti aures diligenter præbe. *O beatum*, inquit, *a Scioppium, & Doctorem Philoſophiæ Moralis de cœlo lapſum! hic Aſotus ex Ariſtippi ſcholâ mores docebit? ad rectè beatèq; viuendum facem mortalibus præferet? & quiſnam? Homo ex vitiorum colluuione factus ad probra, calumnias, mendacia, & quidquid ſceleſtum eſſe poteſt: qui Deo, Religione, & conſcientiâ poſthabitis, iuriſiurandi ſacramento affirmare auſit de viris Religioſis, nullius vnquam ſceleris compertis, quæ ipſe nefanda pluſquàm nefariè confinxit? Scioppius Philoſophiam Moralem doceat? Gnoſticus rectè & beatè viuendi præcepta tradat? Noueris, Scioppi, aliud eſſe adulterare monetam, aliud mores: Diogenes Sinopenſis ad Philoſophos confugere potuit, bonus Ethicus nunquam fuit.*

a *In Gramm. Pædic. pag. 24.*

§. V.

Scioppij in Politicis, ac rebus ſacris deliramenta.

I. Politices nomine hîc, Scioppi, non vniuerſam Philoſophiam Moralem, exemplo Ariſtotelis paulò antè oſtenſo, deſigno; ſed ſingularem eius dumtaxat partem, quæ de Legibus, & de Repub. differit, intelligo, vt nunc vulgo vtimur. Non eſt verò, cur verearis, ne tuas Macchiauellicæ ſectæ, adipatæque imperitiæ enormes ſtrumas, quas *par.* 2. huiuſce *cap.* 13. 14. & 15. iam excidi, hoc loco denuò repetam; aut, ne hîc eorum omnium, quæ iſto in genere peccâſti plurima, pœnas à te modò exigam. Quî enim poſſim; ni breuis ſermocinatio in immane volumen neceſſariò excreſcat? Quo labore etſi Henricus VVangnereckius, Vindicijs Politicis elucubratis, luciq́ue commiſſis, luculenter defunctus eſt, tuamq́ue rerum Politicarum inſcientiam, & ſtupiditatem in apertum planiſſimè

mè retulit; nihilominùs nondum tuum iſtud Augiæ ſtabulum totum repurgauit, cunctiſque immunditijs, quæ cæteros tuos Codices paſſim turpant, penitùs liberauit. Ego, ne nouam ordiar Iliadem tuarum ſordium, neúe ſtylum per alienam cenſuram iam in te actam otioſè circumducam, ſatis in præſentiâ ad id, quod conſtituo, exiſtimo, vel vnico documento, ſed palmario, quàm nobilis, & acutus Ciuilis doctrinæ faber, aut potiùs coriarius ſis, patefacere.

II. Age Scioppi: ſcalprum, dolabram, ſubulam, vel cultrum ſutorium in Politices materiam adigito. De hac tradis diſertè tuis in *Suppetijs Logicis* ab Ariſtotele, & D. Thomâ *quum abſolutè, tum comparatè agi. Abſolutè quidem, dum demonſtrant, Politici eſſe, non tantùm de optimâ, ſed etiam de qualicunque Reipub. formâ quamuis deteriori, & vitioſâ pracipere. Comparate autem, dum Politici, plus de vitioſis, quàm de rectis, & laudabilibus Reipub. formis laborandum eſſe affirmant. Quod nihil eſt aliud dicere, quàm Tyrannidem, caterasq; vitioſas formas eſſe artis Politica obiectum, & quidem magis proprium, quàm regnum, aliasq; rectas, & laudabiles formas.*

III. His paucis, Scioppi, verbis quot tu flagitia cumulas? Probi ſanè Politici formas non tantùm legitimas, ſed vitioſæ etiam Reipub. abſolutè explicant. Nullus dubito. Sed num propterea de vtriſque, pari eodemque modo etiam præcipiunt? haudquaquam; ſed de illâ vt amplectendâ; de hac verò vt fugiendâ, vel emendandâ diſceptant. Quod conſilium an tibi arrideat, ego equidem animi pendeo. Quid enim? probas? improbus ergo tu, qui Pſeudopoliticos ſcelerum non vitandorum, ſed faciendorum auctores, ſuaſoreſque propugnandos ſuſcipis. Improbas? ergo tu rurſum improbus, qui id tibi improbari minimè indicâſti; adeoque meditatæ ac nefariæ ambiguita-

tis meritò ſuſpectus es. Ita nequiter iuxtaque imperitè abſolutam de Repub. tractationem perturbas, aut peruertis.

IV. Quid iam de comparatâ quiſquam ſibi polliceatur, vel à te expectet? Quàm fallaciter, falſoque tua commenta, & intemperias viris celeberrimis imponis? Ariſtoteles, & S. Thomas, quum aiunt Politico a non plus de vitioſis, quàm de rectis Reipublicæ formis laborandum eſſe, quid ſibi volunt? quid ſciſcunt? an plus operæ vitioſis explicandis, inſtituendis, tuendiſque impendendum eſſe? apage. Imò auerſandis, abrogandis, vel retractandis. Eâ quippe curâ corruptarum Rerumpublicarum exponendarum, legitimæ minimè indigent, aut certè ſi quâ vitij labe inquinantur, totum id leuiore ſpongiâ, vel manu aboletur. Hoc porrò quum ita ſe habeat, num idcirco Ariſtoteles, & D. Thomas vitioſas formas eſſe Politicæ artis magis proprium *obiectum*, quàm regnum, aliaſque rectas & laudabiles formas, decernunt? decernunt autem? & tu affingere id his veritatis Duumviris, non erubeſcis, quod ne in mentem quidem ſijs venire potuit? Quid? nònne Philoſophus tum *lib* 1. *Ethic. cap.* 1 tum ſæpe alibi articulatè docet, *Artem omnem, omnemq́ diſciplinam*; *actionem item, atque electionem bonum aliquod*, tanquam finem, & *obiectum* ſuum proprium *appetere?* Extra controuerſiam eſt. Malum igitur extra obiectum artis, & diſciplinæ eſt. Ambigere non licet. At quid, obſecro, in Politicâ arte, mali inſtar eſt, artiſque vel ſcientiæ error habetur, niſi praua ipſa Reipublicæ forma, non minùs, quàm Barbariſmus, & Solœciſmus in Grammaticâ, Sophiſma in Dialecticâ, monſtrum in naturâ, peccatum in Theologiâ? Quo pacto igitur vitioſa forma Reipublicæ, finis Politicæ, *obiectumq́ue*

a *Ex Wangnereckio lib.* 1. *Vindic. Polit. cap.* 4. §. 36

*uſitatam*que proprium eſſe queat, quum hæc rectam formam tantùm reſpiciat, deprauatam autem auerſetur? Hinc diſce, nugiuende Grammatice; diſce ſequiores Reipublicæ formas, *obiectum* tantummodò conſiderationis, ſiue contemplationis, perinde ac vitia, & errores in alijs artibus; non autem actionis, ſeu operationis Politicæ dici poſſe, quandoquidem à regulis artis Politicæ deſciſcunt. Quum verò ſcientiæ practicæ, & artes ad actionem præcipuè referantur, illud ſine dubio earum obiectum magis proprium, quod ipſæ docent facere, quàm quod fugere, eſſe palàm eſt; etſi vtrumque etiam ſpectent: ideoque in practicis quoque eandem oppoſitorum eſſe ſcientiam omnes conſentiant.

V. Verùm quàm inuitâ, & reflante omni arte Politicâ, de comparatâ Politices tractatione ſermonem inſtitueris, ſatis ad id locorum, Scioppi, expendimus. Sed num felicioribus auſpicijs Ariſtotelis, ac D.Thomæ diſputationẽ de officio veri Politici ex *lib.4. Politic. cap.*1. in ijſdem tuis *Suppetijs* Logicis commemorâſti? Videamus. Ais rotundè eundem Philoſophum, Theologumque, *quàm Plato illud officij cuſtodierit, operosè demonſtrare.* Atqui ego minimè operosè demonſtro, te inſignitè mentiri, aut certè minimùm, nullum vernalium allucitarum tibi parem eſſe. Nego enim ab Ariſtotele Platonem eo loco appellari, nego à S.Thomâ Platonem ibidem nominari, nego eum ab alterutro vel tacitè oppugnari. Nam quos illic, quæſo, Philoſophus, cuius placitis ſubſcribit D.Thomas, redarguit, niſi eos, qui de optimâ ſolùm Repub. tractant, quosque idem Ariſtoteles pronuntiat, *rectè quidem dicere, ſed à rebus vtilibus aberrare?* Inter hos verò num Platonem numerat? ſcilicet. Num cenſet? nugæ. Num cenſere poteſt? nullo modo. Quippini? quia illius Rempub.

non optimam, ſed vitioſam *lib.* 2. *Polit cap.* 1. 2. & 4. oſtendit. Ergo is inter eos, quos rectè de optimâ Repub. diſputâſſe hîc *lib.* 4. *Polit. cap.* 1. prædicat, quum tot ipſius errores illic recitet, ac ſtrenuè refellat, iure exiſtimari non poteſt. At tu imperitiam tuam fraude quoque amplificas. Nam quæ ipſe Ariſtoteles numero plurali ita effert: ϗ οἱ τ' ἄλλα λέγουσι καλῶς, τῶν δέ γε χρησίμων διαμαρτάνουσιν, ac ſyncerè fideliterque hoc pacto vertenda ſunt: *Etiamſi cætera præclarè dicant, à rebus tamen vtilibus aberrant*, tu ſingulari, vt in Platonem enuntiata perſuadeas, interpretaris, ac pro *dicant*, *dicat*; pro *aberrant*, *aberras*, ſubſtituis, quæ tua & inſcitia, & ſtropha comperta eſt.

VI. Haud abſimili temeritate, atque ignorantiâ in ijſdem *Suppetijs Logicis* iubes Politicum Reſpublicas ex hypotheſi, nempe vitioſas, conſeruare, apertè ferens, *Medicum quamuis valetudinem, etiam deterrimam noſſe, & reſtituere, ac conſeruare debere.* Sed næ tu, Scioppi, & Medico, & helleboro ſummopere indiges, qui inſaniam tam vecordem inſanis. Aliud enim eſt, locutuleie princeps, tenere, quibus modis Tyrannis aut febris, vel quicunque morbus conſeruetur; aliud hæc conſeruare & alere. Illud præſtantis Politici, ac Medici eſt; iſtud flagitioſi hominis vel amentis. Elige tu, quod vis, aut, ſi mauis, vtrumque fatere.

VII. Sed mittamus iam, Scioppi, Politica, quorum imperitiam tuam hîc delibâſſe ſat eſt, nec attinet longiore oratione eam exagitare, quum Henricus VVangnereckius, vt innui, ſuis *Politicis Vindicijs*, illam toti Orbi ſpectandam iam pridem dederit. Iuuat nunc, ſi pateris, in ſacra penetralia intrare. Fortaſſe in his, qui in Grammaticâ, in Logicâ, in Rhetoricâ, in Phyſicâ, & Metaphyſicâ,

in Ethicâ, atque Politicâ tam pueriliter, tam ineptè, tam inſcitè, tam abſonè delirâſti, Stoica tua Philoſophia lucrificam aliquam faculam tibi auibus melioribus allucebit. Sed quæ tam excors, & multibiba anus fabellam hánc adeò monſtroſam ſibi adlini ſinat? Nihilominùs, ne fortè te inauditum, indictâque cauſsâ damnari, iure expoſtulare mecum queas, periculum anteà mirificæ tuæ ſapientiæ faciamus.

VIII. Scio te non ignorare, ab erudito Auctore Caueæ Turturis, qui libri titulus eſt, de honoribus viro Religioſo fugiendis ita ſcriptum, *pag.* 102. *Monachum veteres perinde ab Epiſcopo, vt à fœmina oculos auertere iuſſerùnt, quod æquè ambitionis illecebræ fugiendæ ſint.* Nunc ex te, Scioppi, morum Cenſor maxime, quid hoc de ſcito maiorum ſentias, candidè quæro. Quid videtur? quid reris? In tuis *Arcanis, Opuſculo* 3 *cap.* 5. *num.* 6. ſententiam tuam minimè arcanam voluiſti, vbi hoc ipſum eiuſdem Scriptoris effatum, ceu paradoxum contra omnium opinionem, dementiæque plenum carpis, traducis, exibilas. At nihilo planè obſcurior tua quoque imperitia, tua petulantia, tua nequitia indidem emicat. Quid baccharis? quid furis? aureum de ambitione à Monachis cauendâ documentum paulò antè commemoratũ, priſcorumque Patrum ſuffragijs commendatum eleuare, velut paradoxum ridere, tanquam delirium explodere tu audes? ô impudens audaciæ columen! itáne Scioppi, paradoxum, deliriumque ridendum eſt, quod ipſemet Chriſtus Dominus ſuomet exemplo, *a* quum eorum oculis, qui honoribus illum mactare ſtatuerant, ſeſe ſubduxit, tanquam diuinæ ſapientiæ monumentum æternum conſecrauit? paradoxum, & delirium, quod S. Ambroſius, S. Gregorius Magnus, B. Pe-

a Io. 6.

trus Damiani, Cæleſtinus Pontifex, Gregorius Nazianzenus, compluresque alij Viri Sanctiſſimi, Chriſti Domini inſiſtentes veſtigia, oblatasque infulas idcirco conſtanter repudiantes, frequentârunt? paradoxum, & delirium, quod ipſa vniuerſa Eccleſia, Chriſti ſponſa, in Romano Breuiario præcipuis laudibus exornat, atque hoc nomine ſanctum Stanislaum Nonis Maij, S. Vbaldum XVII. Kal. Iunij, ſanctum Norbertum VII. Idus eiuſdem menſis, ſanctum Bernardum XIII. Kal. Septembris, ſanctum Brunonem pridie Non. Octobris, ſanctum Philippum Nerium VII. Kal. Iunij in cœlum tollit? paradoxum, & delirium, quod Ioannes Caſſianus *lib* 11 *Inſtit. cap.* 16. communi veterum Patrum Sanctione decretum, fixumque memorat, prædicat, atque his totidem verbis explicat? *Quapropter hæc eſt antiquitus Patrum permanens nunc vſque ſententia, Monachum fugere debere mulieres, & Epiſcopos. Neuter enim ſinit eum, quem ſemel ſuæ familiaritati deuinxerit, vel quieti cellulæ vlterius operam dare, vel diuinæ theoriæ per ſanctarum rerum intuitum puriſſimis oculis inhærere.* Hæc verò, Scioppi, iam tu audis, cernisque, & inſcitiæ tuæ pudore non conficeris? Hunc ipſum Caſſiani locum Auctor Caueæ Turturis ad marginem expreſſè appellauit. Dic nunc ſodes, quum in eundem Auctorem calamum ſtrinxiſti, illúmne vidiſti locum, ac perpendiſti? Minimè. Ergo ignauus, inſciensque, quod planè neſcis, allatras. Maximè? ergo bardus, & malignus, & improbus, qui quod antiquorum Patrum chirographo laudatum, obſignatumque intueris, vituperare, conuellere, & conſputare non dubitas. Hoc enimuerò tuæ ignorantiæ, ac nequitiæ paradoxum, & delirium genuinum vtique, & tæterrimum eſt.

IX. Nihilominùs iactas tu nauiter, Scioppi, *diurnam, & nocturnam ſacræ Scripturæ lectionem, vt*

ſis perfectus, & ad omne opus bonum inſtructus a Sed quid tandem commodi, aut fructus ex tam aſſiduâ diuinorum librorum librorum volutatione in rem tuam hactenus conuertiſti, quantosque in interiore Philoſophiâ proceſſus effeciſti? inquirendi nunc equidem, atque excolubrandi ſum perCuriofus. Dic Scioppi, dic, quid compendij inde, vel emolumenti feciſti? Quid hæres? quid trepidas? excrea, quod celare non potes. Nam ego iam non tralatitiâ operâ ſuprà *par.* 2. huius *Lydÿ, cap.* 17. demonſtraui, te in ſacris literis contaminandis, mutilandis, deprauandis, corrumpendis, truncandis, peruertendisque nemini facilè eſſe ſecundum. Hæc tua germana laus, hæc tua prærogatiua, hæc frugum optima, atque vberrima, quam ex ipſis percepiſti. Præterquàm quod tam multiplices tuæ Hæreſis Teſſeræ, ac Verrucæ hactenus recenſitæ, nec non famoſi tui libri publico decreto notati, erroresque collecti, qui ad Sacræ Congregationis Romanæ puteal hodie etiamnum ſeruantur, quid aliud, niſi tuam ſacrarum literarum, ac rerum imperitiam, fraudes, ac dehoneſtamenta produnt, loquuntur, teſtificantur? Nec immeritò addit Lauanda, *a Legere, & non intelligere, eſſe negligere; nec quicquam frequentius apud Acatholicos, etiam opifices, quàm ſacra Scriptura ſententias memoriter, vel inter pocula blaterare, & nihil ad rem garrire.* Quam enim concinnè, aut ſollerter loca diuini diplomatis enodes, tractesque, ex notis quum Foreri, tum aliorum Catholicorum, qui palàm vincunt, paradoxa tam abſona, atque à mente Spiritûs Sancti adeò aliena, à te ita crebrò propinari, vt nullus coquus de figuris Geometricis turpiùs, ac temulentiùs ratiocinari poſſit, abundè perſpectum eſt.

X. Quod

a *In Pædia human. & diuin. liter pag.* 28.
b *In Gramm. Pædico, pag.* 65.

X. Quod ſi fortè, Scioppi, hunc Solem vel mero meridie lucere tu negas, tuam ego infrunitam pertinaciam vel vnico frangam exemplo. Te percontor, Myſtarum ſceleſtiſſime, quibus tu cauſſis inualetudinem corporis, dolores, tentationes, commotiunculas, morbos omnes acceptos refers? Quæſtione, inquis, opus non eſt. *Quis enim dubitet*, vt in meæ Pædiæ Politices admonitione ad Lectorem dilucidè ſcripſi, *quin morborum omnium cauſſa ſint peccata?* At ego, mi Circulator, non ſolùm dubito, ſed omnino pernego, teque inſcitè admodum, turpiterque deſipere aio præcisè, & nullo negotio etiam conuinco. Nam, vt hominum ſcelera morborum carnificinâ diuinitus, interdum, aut ſæpenumero quoque cruciari, & puniri, Catholicis omnibus, qui diuina chirographa vel leuiter inſpexerunt, exploratum eſt; ita ex æquo planè falſum, morbos omnes à peccatis creari. Quoties enim morbi aliunde, quàm à flagitijs oriuntur? quoties ab aëris inclementiâ, quoties à corporis ipſius prauâ conſtitutione, quoties ab aliorum morboſorum contagione proficiſcuntur? quoties à Deo ipſo, ſine vllâ ægri culpâ incutiuntur? Cæcatur Tobias. An huius cæcitatem tu criminis alicuius pediſequam cenſes? At te mendacij ſacer Hiſtoricus Tobiæ 2. luculenter ita coarguit: *Hanc autem tentationem ideò permiſit Dominus euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob. Nam quum ab infantia ſua, ſemper Deum timuerit. & mandata eius cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei.* Purulentâ ſanie taboque circumfluit Iobus. Num hunc etiam, alicuius ſceleris pœnas, extabeſcendo luere autumas? At te ſupinæ inſcitiæ manifeſtum docent ſacroſanctæ tabulæ, Iob. 1. vbi *vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo* nuncupatur. Nonnemo ex Iudæis antequàm lucem cer-

nat,

nat, lumina amittit oculorum, à cæco matris vtero cæcus in Orbem ingreditur. An hunc pariter, vel ſaltem huius parentes in alicuius delicti multam detrudis? At te prorſus cæcutire, ipſemet Orbis conditor, aſſertorque apertè denuntiat, feriò teſtatus: a *Neque hunc peccauiſſe, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo* Vnde, tanquam ex vngue leonem æſtimare, & quanta tua ſit in ſacris literis hebetudo, colligere procliue cuique eſt.

XI, Non propterea tamen tu deſpondes animum, ſed neſcio, quæ adhuc miracula de tuæ Theologiæ arcanis, reapſe meras oculorum auriumque præſtigias, magnidicis verbis canis, *Padiamq; Theologia Caterthomatica* ſpondes, *cuius*, ais, b *vſus erit in dirigenda ac perficienda conſcientia, & vita, eſtq; reuera*, inquis, *ars ſeruandi animas Summorum Pontificum, Regum, & Principum, Epiſcoporum, & Cardinalium, Monachorum, & Clericorum, Regularium, & Secularium, Zelotarum quorumcunque ſine eorum, qui Spirituales & Deuoti inueniri poſtulant.* Ne plura, quæſo, Scioppi, ne plura. Nam tuis hiſce ſuffimentis ad nares admotis, iam ſternuo adeò contentè, ac vehementer, vt quaſſu ipſo penè dirumpar. Quis enim tam firmo ſit capite, vt ad portenta tam inſolentia, atque improuiſa non concutiatur? Eras tu iam dudum in Agyrtarum turbâ facilè primarius, eoque te circulatorem ego non ſemel iure vocaui, & ſalutaui. At te in doctorem, in medicum, in inſtitutorem Summorum Pontificum, Regum, Principum, & tot Capitum repentinò migrâſſe, planè ignorabam, nec vllus, opinor, diuinâſſet. Quid enim? Homo profanus es, & inter profanos ſcordalus. Nihilominùs de aliorum conſcientiâ, & vitâ dirigendâ, & perficiendâ diſputas. Et quiſquam riſum teneat? Grammaticus petulcus es. Tamen negotia animarum Pontificum,

a *Ionan.9.* b *In Padiahuman.ac diuin.liter.pag.11.*

cum, Regum, & Principum agis. Et quis cachinnis temperet? Ex Hæreticorum luſtris ereptâ ſti, Catholicæ Eccleſiæ fucum inſignitè feciſti, & pergis facere. Attamen ſanctimoniæ magiſterium profiteris, & Epiſcoporum, *Cardinalium*, Monachorum, Clericorum, *Regularium*, & *Secularium* æternæ ſaluti à te egregiè conſultum gloriaris. Et quis ſupploſione pedum te non obturbet? Pietate denique, & ſpiritu Dei cares; tuarum ſcilicet appetitionum perditum mancipium, intemperiarum fœdum ludibrium. Nihilominùs operam tuam viris *deuotis*, & *ſpiritualibus* effingendis locas. Quis te non exibilet? quis non execretur?

XII. Eſt porrò nodus, Scioppi, in tuâ iſtâ Theologiâ ſanè inenodabilis, quòd qui de cæterarum animarum ſalute tam anxius es, tuam penitùs negligis, imò perimis. Mentiris, obtrectas, calumniaris, cuiuſuis facinoris ac ſceleris audendi permiſsâ tibi licentiâ, baccharis, animamque tuam effrænatè prodigis, Orcoque deuoues, ac ſi illam vnâ cum corpore extingui prorſus arbitrareris, alienarum tamen animarum ſeruandi mirè ſollicitus. O ſcurram perridiculum! iſne rectus, & legitimus caritatis ordo eſt, quem tu in tuâ Theologiâ laudas, ac ſequeris? quippini? At quid facies, Scioppi, Lactantio Firmiano *a* reclamanti, ac monenti, non poſſe excuſationem, virtuti terga vertentium amputari, *niſi vt is, qui docet, faciat, quæ docet, & ſit quaſi prauius, & manum porrigat ſecuturo?* Nihil ego Lactantium, ais, moror, qui in alia omnia diſcedo, nec facio, quæ doceo, ſed quæ doceo probè, vitâ improbâ dedoceo. Præclara Theologia. Quid reſpondebis Theophylacto, qui tibi Auctor eſt, *b* vt *potens ſis primùm in opere, deinde & verbi ſollicitudinem habeas?* Quid ego hunc curo,

a *Lib.4. Inſtit cap.24.* b *In ea verba*, Propheta potens in opere, & ſermone; *Lucæ 24.*

curo, qui aliter ſentio, & ſollicitudine alienæ ſalutis maximè vrgeor, meæ autem ne tangor quidem! eximia Theologia. Quomodo occurres D. Ambroſio *a* palàm ſciſcitanti, *quòd in altitudine virtutum conſiſtere debet, qui docet iuſtitiam; verborumq́; ſuorum ſit exemplum, vt magis opere doceat, quàm ſermone?* Nihil refert. Diuerſus ego abeo, qui in vitiorum cœno iaceo, & tamen honeſtatem alijs vendito, prauisque exemplis, & moribus, quod verbis aio, ſtatim abrogo. Aurea Theologia. Quo pacto obſiſtes Magno Gregorio *b* pronuntianti; *Illam vocem libentiùs auditorum corda penetrare, quam dicentis vita commendat, quia quod loquendo imperat, oſtendendo adiuuat, vt fiat?* Hæc pariter ego ſus deque fero, qui voces meas vitâ meâ innoxiâ non commendo, ſed nequitiâ dedecoro, neque quod ſuadeo, adiuuo, vt fiat; ſed ne fiat, prohibeo. Palmaris Theologia.

XIII. Sed quouſque tandem, Scioppi, tuas iſtas ſycophantias patior? quamdiu triſulcum Apoſtoli *c* fulmen, quod rectà te ferit, differo? Itáne *qui alium doces, teipſum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum mœcharis? qui abominaris idola, ſacrilegium facis?* Quod enim furtnm grauius, quàm plurimorum innocentiſſimorum virorum, ipſorum Summorum Capitum, & Moderatorum tum Eccleſię Chriſti, tum Reipub. profanæ, Pontificum, Cæſarum, Epiſcoporum, Principum, Religioſorum, Sacerdotum, & Clericorum famam, atque exiſtimationem ſubducere, rapere, obterere? Tu ſubduxiſti, rapuiſti, obtriuiſti. *d* Quod mœchimonium execrabilius, quàm cœleſte temerare diploma, quàm Hæreticos errores cum Catholicâ doctrinâ coagmentare, omnia ſacra, & profana miſcere, ac perturbare?

Tu

a *In Luc cap.6.* Stetit in loco campeſtri.
b *Part.2.Paſtor.cap.3.* c *Rom.2.* d *Suprà par.3.cap.5.*

Tu temerâſti, coagmentâſti, perturbâſti: *a* Quod ſacrilegium horribilius, quàm Diuos de cœlo deijcere, *b* Heroas ſanctiſſimos à Christi Vicario ritè conſecratos polluto ore inceſtare, totam Eccleſiam Catholicam, in diuinis honoribus mortali imbecillitati feliciter victrici aſſerendis, errori obnoxiam aſſeuerare? Tu ipſe deiecisti, *c* aſſeuerâſti, inceſtâſti, quemadmodum anteà ſingillatim, cumulateque probaui. Quocirca tua hæc Theologia, non præclara, ſed inſana; non eximia, ſed exitioſa; non aurea, ſed lutea; non palmaris, ſed pernicialis omnino eſt. Et quibus, obſecro, rebus ſynceram Theologiam tu calleas, qui antehac, quum in Clericorum Seminario hîc Mediolani ageres, neque dum totas habenas amentiæ laxâſſes, te illius imperitum apertè faſſus es, eamque à viris Religioſis addiſcendam eſſe, ſeriò, ac liberè edixiſti, quemadmodum vir grauiſſimus, ac fide digniſſimus, qui in eodem Seminario tum vnà tecum diuerſabatur, mihi non ſemel affirmatiſſimè teſtificatus eſt?

XIV. At ego, Scioppi, tam exaggerato tuæ inſcitiæ Theologicæ fimeto euerrendo iam oppidò laſſus ſum, imparque operi, fatiſco planè, ac ſuccumbo, adeoque Eugenij Lauandæ auxiliari manu prorſus indigeo. Eia Vir Clariſſime, tempori ſubuenta mihi, Suppetias affer, acturum aduola. Præſto ſum, inquit. *d Deo laus. Gaſpar Scioppius ex Grammatico-politico Pater Spiritualis factus eſt. Nihil amplius Myſtica Theologia valeat Hierotheus, nihil Dionyſius Areopagita Scioppius* Caſus Conſcientiæ *profitetur, Catechiſmum docet. Magnus profectò & mirabilis Zelus docere alios ſeruare animas ſuas, de ſua verò ſeruandâ parum eſſe ſollicitum.* Verùm *vt Scioppius hanc*, quam erga aliorum animas ſeruandas mentitur,

a *Part. 2 cap. 17. & 15.* b *Ibid cap 6. & 7.*
c *Ibid cap. 5.* d *In Gramm. Padico, pag. 37.*

titur, pietatem mihi ſuadeat, multa, quæ impiè dixit, ſcripſit, fecit, retractet, oportet, & palinodiam canat. Alioqui verebor lupum ouibus verba facientem, etſi paſtoritiâ penulâ contectum; & legi tentatorem Chriſti Eremitico habitu, qui non erat, ſimulantem. Spiritum non ſapit, qui opera carnis facit, iras, rixas, contentiones, diſſenſiones, æmulationes, odia, & id genus, adulando, ſuſurrando, clanculariè fodicando, decipiendo, verſipelli nequitiâ omnia miſcendo, ſuſcitat, & fouet. Quibus omnibus quum ſordeat Scioppius, in huius animum, ſpiritum Sapientiæ quiſquam ingreſſurum credat? huius fidei, & pietati Se Summi Pontifices, Reges, & Principes, Epiſcopi, & Cardinales, omnes denique cuiuſcunque ſtatus, & conditionis homines committant? actum ſit de Eccleſia, ſi huc deueniatur. Sed animaduerto, quid cogites, Lector; hominem nempe nauci tantum ſibi arrogare, quantum ſanctiſſimi, peritiſſimiq́; conſcientiæ tractandæ magiſtri promittere vix auſint; huic tanta illuſtratio mentis, tam ſupra numerum excellens? niſi fortaſſe ex doctrina Macchiauellica ad Euangelicæ veritatis normam directione. Væ Principibus, qui hunc magiſtrum, & animæ directorem adſciſcunt, procul dubio in foueam præcipitantibus. Hæc Lauanda ex tripode; cui non minùs tu, quàm ego, gratias habere debemus immortales; tu, quòd oracula tam explicata, & comperta fuderit, tibiq́ue gratificatus ſit; ego, quòd mihi laboranti tempeſtiuè, ac ita ſtrenuè opitulatus ſit.

XV. Nunc ſi quid Catorthomaticæ tuæ Theologiæ tibi ſuperat, enuntia, Scioppi, præproperè. Reſtat, inquis, a *Ars artium, & Scientia ſcientiarum, conſeruandi animam Summi Pontificis, opus ab Vrbano VIII. lectum, probatum, & laudatum.* Hîc ego attonitus hæreo. Adeò enim hiſce Pontificij nominis, atque auctoritatis, iudicij, atque approbationis fulgetris meos perſtrinxiſti oculos, linguamq́ue,

a *In Pædia human. & diuin. liter pag. 19.*

guamque & calamum penitùs ſideràſti, vt mutire, vel hiſcere ampliùs nec audeam, nec poſſim. Sed euge factum bellè; Idem Lauanda a vltro operam addit, meamque vicem egregiè ita repræſentat: *Conſuetudo eſt quibuſdam adulandi: cuius comes mendacium, ſtimulus egeſtas: qua tamen ſubinde palliat ſtulta quadam præſumptio, præfidens ſui. Quanquam Scioppium excuſet garrulitas illa circulatoria, quâ ex vſu circumforanei, ſolitus eſt ſuis electuarÿs petitum ſibi obolum ad panem lucrandum conciliare. Ita quippe ieiunus eſt is liber, vt à quouis mendico ſtipem ſuis cantiunculis fœnerante, ſimile quid impetrare queas: vt rectè dixerit, ex Pontificÿs Camerarÿs vnus aliquis, tam aptè ſedere illi nomen* Artis Artium, & Scientiæ Scientiarum, *quàm ſi quis lappam Regem florum, noctuam Reginam auium, Suem Imperatorem quadrupedum vocet. Quod* verò *Vrbanus Pontifex id libri legerit* (ſi tamen legit; quis enim mendaci & periuro, etiam iurato credat?) *humanitatis fuit, obtrudentem non repellere. Quod probârit, & laudârit* (de quo æquè dubium eſt) *officioſè fecit. Neque enim decebat Pontificem dicere*, Sus Mineruam; *quod tamen alÿ dixêre: ſed prudentia fuit diſſimulare, vel ſi Scioppius centonatus fuiſſet* (*ex quorum ſanè turbâ videbatur eſſe*) *libellum pro eleemoſyna porrecturus, alioqui à Satellitibus, &* Admiſſionali Pontificio *non admittendus, vtpote homuncio fuſcus, furuus, minax, & tætro aſpectu, niſi poſteà ex quibuſdam ridiculis patuiſſet, lepidum caput eſſe, vt quem Principes poſt menſas adhibere poſſent.* Hucuſque Lauanda, aquam exanimi affundens in tempore.

XVI. Scioppi, narro tibi. Equidem reſpiraui, Statimque cupido ingens in me inceſſit Gordiani nodi explicandi, cur tantus Pontifex Vrbanus VIII. ſi tam nobilis excellensque conſcientiæ, & ſalutis procurandæ moderator es, te à ſe dimiſeris:

dimiſit

a *Loc cit.*

dimiſit tamen; nec vltra quæro. Nôſti,cur Romà auolaueris. Et mirum profectò eſt, quum te Pontificum, Cæſarum, *Cardinalium*, Epiſcoporum, ac Principum magiſtrum iactes, à nullo iſtorum te diutilè tolerari potuiſſe; quumq̃ue in pleriſque Principum Aulis iuſculum de ollis, & cacabis tam ſæpe linxeris, vnde iuriſperitus quidem, ſed iurulentus, iureconſultus nunquam, repentè euaſiſti; nuſpiam te longiore inueruallo apud illos hærere, aut ſubſiſtere, multo minus perennare potuiſſe, ſed profugum ſemper, ſemper errabundum, vertere ſolum fuiſſe coactum. Scilicet te non conſcientiæ, aut ſalutis rectorem, ſed nequitiæ atque exitij magiſtrum prudentiſſimi quique odorati ſunt: adeoque te procul habere meritò ſtuduerunt.

XVII. At tu rurſum *Funiculum triplicem, ſeu perirculoſum Antiſtitum, & Sacerdotum Statum* ingeris, *a rationemq̃, ſeruandi animas Cardinalium, Epiſcoporum, & Clericorum* inſcribis. *Opus Romæ à nonnullis Cardinalibus lectum, laudatum, & deſcriptum.* Sed iterum iure optimo tuis hiſce ſtrophis intercedit Lauanda, *b* memoratq̃ue abs te factum id etiam *precariò, & obtrudendo* (ſi tamen factum, & tu ſolens more tuo non mentiris) *vnde quod legerint, dignationis fuit, qui vel ſupplices reorum, ne dum pauperum, libellos legere conſueuerunt. Quod deſcribi voluerint (ſi non fallis) caritatis fuit, ne quod tibi darent, eleemoſyna potiùs nomine, quàm meriti qualiſcunque pretio conferre viderentur, licèt alioqui tuis inteſtinis conſultum vellent.* Cæterùm opus hoc tuum, cuicuimodi ſit, quin ijſdem flagitijs, quibus & reliqua huius farinæ hactenus recenſita, præſcateat, quis ambigat? ſatis id ex ijs, quæ modò in tuam non artem, ſed fraudem, ſeruandi animam Summi Pontificis deprompta ſunt, pateſcit.

XVIII.

a *Loc. cit pag.* 10. b *Loc. cit.*

XVIII. At ego incredibili curioſitate titillor, Scioppi, cognoſcendi, cur tam præclara opera, quæ tu venditas, à Pontifice Maximo, atque ab Eminentiſſimis *Cardinalibus* probata, & laudata, dudum à te abſoluta, tot annos luci inuideas, neque ea in publicum exire patiaris: quum tamen tot alios nequiſſimos, & noxioſiſſimos Codices intereà temporis, diuino humanoque iure contempto, iuris imperitiſſimus extruſeris? Quid cauſſæ eſt? quid moram facis? Nempe metuis, ne tuæ propudioſæ doctrinæ, ineptiæ, doli, mendacia, corruptelę detegantur, meritoque fuſtuario à cunctis veritatis vindicibus excipiantur, Orbique terrarum palàm fiat, huiuſmodi tuas quiſquilias à Summo Pontifice, ac Purpuratis Patribus non fuiſſe probatas, nec laudatas, ſed cum ſtomacho reiectas, & vituperatas. Diſce igitur, diſce, memoriæque etiam, atque etiam manda, te rerum ſacrarum, Theologiæ vtriuſque, diuinarumque literarum eſſe imperitiſſimum, nihiloque Politicarum ſanctionum intelligentiorem, quod hic euincendum ſuprà propoſui.

§. VI.

Scioppianæ ignorantiæ, atque inſcitiæ coronis.

I. Volebam, Scioppi, receptui canere, atque ex hac tuæ imperitiæ pugnâ dudum pugnatâ, iam victoriâ potitus, excedere. At quia in tuarum Pædiarum fine nouum bellum indicis, *a* cogis planè me prælium redintegrare. Quid obducis? quid garris? Ariſtotelis verba ex *lib* 3. *Politic. cap.* 7. vel 11. non ſine iactantiæ intolerabilis ſuffitu ità recitas: *Inueniuntur quidam omnium ferè artium Pædiâ præditi, quibus tam concedimus indicare de artibus*

a *In Pædia human & diuin. liter pag.* 12.

tibus quàm ijs, qui earum tenent ſententiam. Sed quorſum iſthæc? vt te omnium doctrinarum promum condum eruditi omnes intelligant, ſuſcipiant, admirentur. Huc tuas iſtas ſutelas collineas, huc is, huc properas, quo nimirum rectè de omnibus iudicare, non ſecus, ac ſi omnium ſcientiâ ornatus fores, tametſi reapſe minimè ſis, vulgo cenſearis.

II. At tua iſta affectata prærogatiua, Scioppi, non tuæ præſtantiæ additamentum, ſed tuæ ſycophantiæ auctarium; non tuæ doctrinæ corona, ſed tuæ inſcientiæ coronis eſt. Quid enim tu ex laudato iam Ariſtotelis loco extundis? quid exprimis? omnium diſciplinarum *encyclopædiam*, vt vocant, pletiſque à Philoſopho ita tributam, vt etiamſi rerum omnium ſcientiam non habeant, de omnibus tamen iudicent? hanc ipſiſſimam. Ain' tu iſtam? admodum. Atqui ego ſine fuco & fallaciâ pronuntio diſertiſſimè, te palàm falli, ac fallere, Græcumque Philoſophum à te *a* Latinienſi Grammatico, & Pædagogo minimè intellectum. Nam vbi, quæſo, toto eo capite VII. *Pædia* meminit Ariſtoteles? nuſpiam. Vbi hanc vocem vſurpat? nuſquam. Sed participio πεπαιδευμένος pro eo, qui vſu peritus eſt, atque à puero expertus, vtitur. Verùm tibi ad *pedantariam* facto (ignoſcant mihi, obſecro, Latinæ aures hanc Italici vocabuli licentiam) *Pædia* in delicijs valde eſt, in ore ſemper, & calamo. Sed mitto de nomine ipſo tibi litem intendere. Quid illic agit Philoſophus? num quæſtionem vllam ſuo definit calculo? nihil minùs, ſed tentabundus, & diſputantis more vtramque eius partem verſat, quod tu pro tuâ allucinandi, ſtertendique conſuetudine neutiquam obſeruâſti. Quid porrò controuerſiæ ibi proponit? quid enucleat? an peritiam aliquam tam longè latèque pertinen-

Cc

a *Ex Lauanda in Gramm. Pædic pag.* 41.

pertinentem, vt cunctas omnino artes peruagetur, nulliſque terminis circumſcribatur, aut anguſtetur? minimè gentium. Minimè? inquis. Ita. Minimè gentium; atque vt iurgandi omnem anſam tibi præcidam, en tibi ipſamet Ariſtotelis verba: *Sed habet dubitationem huiuſmodi ordinatio Reipublicæ.* Audin', *dubitationem?* animaduerte, quam prætereras, & de tuâ oſcitatione ne dubita. Pergit Philoſophus: *Primùm quia videretur eiuſdem eſſe hominis ſcire iudicare, quis rectè medelam attulit, qui ipſe ſciat etiam mederi, ac ſanitatem ægrotantibus afferre. Hic autem eſt medicus: eodem modo de alijs facultatibus, & artibus. Vt enim medicum rationem ſuæ medelæ apud alios medicos reddere oportet, ita & alios apud ſimiles. Medicus autem eſt & ille, qui agit, & ille qui præcipit, & oſtendit, & tertio loco ille, qui à puerstia expertus eſt circa artem. Sunt enim quidam tales in cunctis (vt ita dixerim) artibus. Tribuimus verò iudicium non minùs expertis, quàm ſcientibus.* Hæc Ariſtoteles.

III. Iam quàm toto penè cœlo, Scioppi, hæc à delirio, quod tanto imponis Philoſopho, diſtant? quâ de re hîc Peripateticorum Coryphæus loquitur? an de ijs, qui de omnibus artibus iudicium ferre queunt, vel vt tu comminiſceris, omnium ferè artium pædiâ præditi ſunt? apage. Nihil ipſi de his vnquam in mentem venit; & nec ille, ſi ita, vt tu fabularis, ſanxiſſet, vnà tecum ridiculè ineptiuiſſet. Quid enim abſurdius, aut amentius? At de vnaquâque artè ſecundùm ſui naturam ſpectatâ manifeſtò differit, ſtatuitque in cunctis artibus ſingillatim reperiri nonnullos, qui experientiâ magiſtrâ iudicare poſſunt, etſi cauſſas indagare, vel enucleare minimè didicerint. Quod verò aliqui præter experientiam, & iudicium, quo in ſingulari & certâ arte præſtant, de cunctis alijs quoque artibus iudicandi facultatem nacti ſint,

nihil

nihil innuit Philoſophus, nihil ſomniat, merumque tuum mendacium eſt.

IV. Tantum autem, Scioppi, abeſt, vt huiuſmodi ludificatione omnium artium, ſcientiarumque peritiam, quemadmodum conatus es, tibi vindicaueris, vt ne vnius quidem facultatis ex duodecim generibus, quæ in tuâ literarum *Pædiâ* enumeras, vſum tibi, niſi perturbatam, atque indigeſtam Grammatices notitiam, iure arrogare poſſis. Quippe hanc dumtaxat à puero, & ex triuio; cæteras verò neque doctrinâ, neque vſu es aſſecutus. *Vnum fortè ſit*, vt catè coniectat Lauanda, a *quod Grammaticum* tuum *cerebrum turbauit. Nam quum circumforaneus factus in medicinis faciendis verſeris, & in Ariſtotele, loco citato exemplum doctrinæ à medico ſubÿci legeris; exiſtimâſti, ſicut circulatores medicamentarÿ megalia, & Pancreſtia, omnia mentiendo pollicentur; ita te hoc ipſo, quòd medicinam faceres, omnem aliarum artium peritiam adeptum. Sed nihil minùs. Sufficiat modò* tibi *eſſe Grammaticum, & in Ariſtotelis gratiam aliqua ex parte etiam Medicum, ne ſemper Circulator audias. Nam vt paulò antè vidimus ex eodem Ariſtotele, Medicus etiam eſt is, qui alio præſcribente medicinam facit, & is, qui docet, quod vtrumque præſtas, Scioppi.* At *non poſſum, quin hoc loco indicem præclarum in arte medendi ſpecimen, quod prope Curiam in Monaſterio Fabarienſi ante aliquot annos edidiſti.* Eò tum *veniſti, & reperiſti Abbatem S. R I. Principem omni humanitate humaniorem, & ſuo candido pectore alios metientem. Huic garrulitate circulatoriâ, omnia ſumma perſuaſiſti, atq; etiam porrexiſti hauriendam tantam Antimonÿ copiam, vt animam non omnino exhalâſſe ſtatim Principem, in miraculis habitum fuerit. Nunquam tamen poſteà conualeſcere potuit; donec ſuperiore anno, ipſo die Pentecoſtes vitam finÿt. Ita non ſolùm Religioſi illius Cœnobÿ, ſed* &

a *Loc. cit.*

& ipſemet Dominus Abbas, antequàm moreretur, palàm teſtatus fuit. Cui medicæ artis experimento à te capto multa alia ſimilia, nihiloque feliciora in cæteris quoque artibus, ac ſcientijs à te frequentari ſolita, facilè, ſi per otium liceret, vinci poſſet.

V. Verùm orationis opera, Scioppi, hîc mihi demum compendifacienda eſt. Ex tam multis enim, varijsque tuæ inſcitiæ documentis, quæ ad id locorum non plena quidem manu dedi, ſed, parcâ admodum, ne meſſis alioqui infinita calamum obrueret, ſcribendique, & criminandi exitu prohiberet, ad ſpecimen dumtaxat libaui, cuiuis rerum non inepto æſtimatori abunde liquere iam arbitror, quàm muſtulenta, & pinguis tua imperitia & Grammatices, & Rhetoricæ, & Dialecticæ, & Philoſophiæ, & Theologiæ, & Politices, Ethicæque, nec non & reliquarum diſciplinarum ſit, tametſi tu cunctarum patrimonium, & cenſum tuo in pectore, cerebroque conditum cerebroſus, atque ambitioſus agyrtes inaniter, ac ſtolidè glorieris. I nunc homo trium literarum, ventoſumque caput, & doctiſſimos quoſque, diſertiſſimosque Viros imperitiæ arceſſito, præſertim è noſtrâ Societate. Aude iam, Pædagoge deſpicatiſſime, cum noſtri Ordinis primarijs Luminaribus Bellarmino, Toleto, Suario, Valentiâ, Maldonato, Gretſero, Perpiniano, quos tu ipſe olim, nondum adeò infatuatus, ceu magna virorum nomina amanda, & colenda in tuo *Scaligero Hypobolymaeo* a diſtinctè confeſſus es, componere; aude te his, & ſimilibus æquare; aude etiam anteferre. Dignæ profectò ranâ voces, quibus pro ſtrenâ cœnum, pro congiario paludem deberi compertum eſt. At coaxa, vt lubet, obſtrigillato, vt placet, iam fruſtra omnino es. Nam ex tam multiplici tuâ ignorantiâ immanis

a *Pag* 247.

nis Verruca tuæ Hæreſis dudum nata, adeò monſtroſè extuberat, vt nullo illam fuco iam queas oblinere, nullâ laruâ oculis intuentiũ ſubducere.

Cap. VIII.

Verruca octaua Scioppianæ Hæreſis, inconſulta dictorum, ac ſententiarum inconſtantia, & repugnantia.

I. Hæretici, vbi à veritatis tramite ſemel delirârunt, Scioppi, cæcis mentis ſemel inuoluti tenebris, in obuias quaſque errorum foueas ita ruunt præcipites, tamque rapido temeritatis turbine auferuntur, & circumuoluuntur, vt ne in ipſis quidem erroribus, mendacijs, & calumnijs veſtigia ſatis firma ponant, ac figant, quin ſubinde vacillent, non rarò à ſe diſſentiant, ſæpenumero ſecum ipſi dimicent. *Atqui par erat,* quemadmodum Magnus Nazianzenus obſeruatè notat, *a vt, vel quod accuſant, non facerent; vel quod faciunt, non accuſarent: ſi ſaltem ſibijpſis conſtare proponerent, ac non & ſua, & Aduerſariorum dogmata commemorare. Talis nimirum eſt vecordia: & ſecum ipſa, & cum veritate pugnat: vt nec in ſeipſos reuolui, ſentiant, nec erubeſcant.*

II. Te ego iam priſcâ fide, interrogo, Scioppi, an huiuſmodi leuitatis, atque inconſtantiæ arundo, Hæreſis certa proles, & Verruca, tuo ex capite, tuâ è linguâ, & calamo aliquando pullulârit? Nihil ab hac labe mihi, inquis, poſſum metuere, qui Stoicum me profiteor, cui de ſuo ſtatu, vel Phalaridis tauro non demigrare, ſed in ſententiâ perſtare, ludus eſt. Atqui ego te, Scioppi, non Stoi-

 cum,

a *Epiſt. 1. ad Cledonium.*

cum, ſed Vertumnum, & Proteum eſſe, qui animum demutes, mentisque colores atque imagines pro tuâ lubentiâ induas, exuasque, tam perſpicuè oſtendàm, quàm ebrij hominis greſſus titubare indubium eſt. Vidiſtíne vnquam, Cenſor maxime, Bacchi, & Cereris ſtipendiarios, appotos probè, vinoque madentes, vbi è propinâ domum, ſenſibus adhuc mero victis, remigrare volunt, aut potiùs coguntur, incertis pedibus viam capeſſere, tranſuerſos ferri, lapſabundos incedere, angiportorum parietibus vtrinque reciprocari? O quàm turpiter (vtinam etiam non tam frequenter) vt ingenioſus Poëta meritò ridet, an luget? a

Pallidus horror occupat ora,
Errat curſu gradus incerto.
Colla labaſcunt, crura tremiſcunt,
Corporis pariter, mentis & impos,
Latice quiſquis madet Iacchi.

Adijce paulum his oculos, & mentiar, niſi his ipſis *nutat cum facie terra*, vt D. Ambroſij totidem verba b tibi hîc reddam, *ſubitò eadem erigi, & inclinari videtur, &, quaſi vertatur, timentes, in faciem ruunt, & ſolum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus ſibi videntur includi.*

III. Quis, inquis, ſolitudinis tam pertinax incola, ab omni hominum cœtu, conuictuque abiunctus adeò eſt, vt in iſtiuſmodi monſtra interdum non inciderit? Spectaui ſæpius cum indignatione, & ſtomacho, vituperaui admodum, ſemper execratus ſum. Sed quorſum fluunt iſta? quo ſerpunt? caue, ne temulentiam intempeſtiuè hîc lineans, ſugillansque, temeto hilariùs indulſiſſe, neque dum crapulam edormiſſe, videaris. Intempeſtiuè, ain' tu? Imò verò ſi vnquam aliàs appoſitè,

a *Marius Bettinus in Rubeno Act. 2. Salt. 1. Cant. 1.*
b *Libro de Elia, & ieiunio, cap. 19.*

ſitè, ſi vnquam concinnè, ſi vnquam accommodatè verba de te feci, nunc equidem ebrietatis mentionem tui vnius gratiâ quàm aptiſſimè inieci, nihilque huiuſmodi tempeſtiuitate tempeſtiuius. Nam teipſum, Scioppi, te inquam, non alium, quum hominem ebrioſum modò expinxi, non obſcurè, neque de nihilo deſignaui. Quis enim vino, ſomnoque merſus magis nutabundis veſtigijs iactatur, quàm tu ſententiarum tuarum, dictorum, factorumque diſſidijs, quibus tui libri, præſertim famoſi, paſſim obnoxij ſunt, mutuoque inter ſe pugnant, tam fœdè, ac tam ſæpe agitatus? Inſpexiſtíne vnquam teipſum, quæ tibi cutis ſit, qui color? contemplatúſne aliquando es, quæ ſint tui vultûs lineamenta, quæ ſpecies, quæ forma? excuſſiſtíne, quid verborum tuo ex ore, calamoque ſubinde exciderit? Atqui ego iam tibi ſpeculum tam læue, tam nobile, tam nitidum conflo, vt ſimul à tuis oculis conſuletur, illico te ebrium, non ſanè Maſſico, aut Opimiano potum, ſed odij, ſed furoris, ſed amentiæ Falerno madentem in eo ſis deprehenſurus: actutumque parebit, vtri inſanum ſinciput ſit, tibíne, an mihi. Non te demoror. Experiamur.

IV. An non tum in *Actione Perduellionis*, tum in *Anatomia*, *pag.* 3. fateris; *Corruptelam Societatis nonniſi ad paucos pertinere, maximamq́; partem Ieſuitarum*, vt addis *pag.* 99. *eſſe innocentem?* Extra controuerſiam eſt. Quid ergo tam in eâdem *Anatomia*, quàm in cæteris tuis Satyris omnem ſummo conatu moues lapidem, vt Lectori perſuadeas, Ieſuitas omnes vniuersè criminoſos, turpiterque deſertæ, & violatæ Regulæ reos pronuntiari poſſe? quid in eâdem pariter *Anatomia, pag* 4. tuam fraudem, & perfidiam agnoſcens, de teipſo ita ſcribis? *Quæ nonniſi paucorum culpa eſt, eius reliquos, nullo ſuo merito, participes facere videor, quum*

qua delinquuntur, ita γενικῶς vel vniuersè à Ieſuitis deſignata inſimulo. Hæc inter ſe quomodo congruunt? tam bellè, ac mulier formoſa supernè deſinens in piſcem. Quid mirum? odij in Ieſuitas vino temulentus es; mentis & calami tui dicta conſtare ſibi non poſſunt. Pergo.

V. Nónne in tuis *Arcanis Societatis Ieſu, pag* 81. ſtatuis? *Principes, qui Ieſuitis vtuntur Confeſſarijs, religioni non habere, monaſteria vexare, ſpoliare, exactionibus grauare, ab illis decimas exigere ad belli impenſas*, &c. *quòd credant Ieſuitis, magnas opes eſſe cauſſas corruptæ monaſticæ diſciplinæ*, &c. *vt ideò haud multo optabilior ſit Monachorum ſub talibus Principibus conditio, quàm ſub Principibus Proteſtantium*, hoc eſt, Hæreticorum; diffiteri non potes. Hîc ego non quæram, Scioppi, quàm immanis hæc non tantùm in Ieſuitas, ſed complures etiam Principes calumnia ſit, quàm nequiter à te ſine vllâ probatione confiſta, quàm nefariè ſine vllâ religione vulgata: vt omittam, ſi cuncta delinquentium ſcelera ex tuâ arguendi normâ, conſcientiarum ipſorum in arcanâ Confeſſione arbitris quoque hærent, notamque inurunt, de ipſorum innocentiâ actum penitùs eſſe, omnesque fore perditos, ſiquidem piacularis confeſſionis materia remota, nonniſi ipſa flagitia eſſe poſſunt, quæ ijdem relaxant: quâ criminatione nihil mendacius, nihil iniquius. At illud ego in præſentiâ vrgeo dumtaxat; quo pacto hoc conuicium à te in Ieſuitas iactum cum egregio elogio, quo eoſdem Ieſuitas in tuâ *Eccleſiaſtica Aſtrologia, cap* 1 *pag*. 5. exornas, cohæreat? Quàm articulatè enim hîc teſtaris: *Societatis Ieſu Patres hoc vno meliùs, quàm vllâ re aliâ, Cæſari ac patriæ conſuluiſſe, quòd Auctores S. Cæſ. Maieſtati fuerint, veteres Religioſorum hominum Ordines omni gratiâ complectendi, & in Germania ab eorum inſtauratione, calamitatum publicarum medicinam. &*

ſeculi felicitatem expectandi. Scioppi, quid loqueris? an veteres Religioſorum hominum Ordines omni gratiâ complecti, cuius Auctores Cæſari Ieſuitas fuiſſe hîc narras, idem omnino putas, ac eorum *monaſteria vexare, ſpoliare, exactionibus grauare*, vt alibi in *Arcanis* cauillaris? quis niſi temulentus ita inſaniat? Quî rurſum hæc tua obtrectatio cum eâ laude, quam in eâdem *Aſtrologia, cap. 20. pag.* 84. eidem Cæſari tribuis, concinit, dum hunc mirificè effers, quia *vniuerſis omnibus planum fecerit, ſe ſuoſq; in monaſteriorum negotio nil decreuiſſe, niſi quod ad iuſtitiæ, & conſcientiæ præſcriptum examuſſim conuenerit?* Et tu ad iuſtitiæ, & conſcientiæ præſcriptum decernere, tantundem valere autumas, ac *monaſteria vexare, ſpoliare, exactionibus grauare*? ô ebrioſi ructus! Perge.

VI. An non in *Anatomiâ, pag.* 3. diſertè prædicas: *Minimè vulgare tuum eſſe in Societatem promeritum, quum hac eius Anatome inſtitutum eius ab omni reprehenſione vindices?* Rurſumque *pag.* 15. *Societatem primigeniam à S. Ignatio conditam, & ab Apoſtolica Sede probatam eſſe, cuius inſtitutum nemo Catholicus, ſiue propter Apoſtolicæ Sedis approbationem, ſiue propter Conditoris pietatem, non magnopere commendare poſſit, quin Socijs ex Regula præſcripto viuentibus, libenter illa Apoſtoli verba impertiatur, 1. Cor. 1.* Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in Societatem Filij eius Ieſu? Nemo poteſt ambigere. At quàm importunâ capitis vertigine circumactus, in eâdem *Anatomia* hoc ipſum Societatis Ieſu Inſtitutum, cuius te vindicem ſpondes, manifeſtò iugulas? Si enim id ab omni reprehenſione, vt præ te fers, vindicas, cur ibi *pag.* 17. *Tabul.* 11. §. *Interni: Societatis primigeniæ*, quam S. Ignatius inſtituit, *Eunomiæ vitium*, & *Nomotheſiæ defectum* obiectas? cur S. Ignatio ibidem, & *pag.* 32. imperitiam, & ignorantiam rerum ſcitu neceſſariarum exprobras? cur vnà cum Pſeudo-

Marianâ Inſtitutum Societatis *tribulationibus*, *& offendiculis obnoxium* eſſe, eâdem paginâ clamitas? cur infrà *pag.* 30. cum eodem Momo affirmas, in *Inſtituto non pauca fuiſſe mutata propter euidentiam inconuenientium, quæ inde ſequebantur?* Cur inibi, eodem calumniatore nixus, S. Ignatium præcipitantiæ in condendis Regulis accuſas? cur eum viam, *quam calcauerunt viri iniqui*, ingreſſum eſſe, eodem loco pronuntias? cur *pag* 43. eidem Pſeudo-Marianæ aſſeueranti, *Societatis Leges, & Conſtitutiones à Canonibus, & iure communi plurimum diſſentire; nihilq́; in Societate firmum, ac ſtabile eſſe*; ſubſcribis? Eſtne hoc, Scioppi, *Societatis Inſtitutum ab omni reprehenſione*, vt apertè ais, *vindicare?* hoc, ipſum *ob Sedis Apoſtolicæ approbationem, & Conditoris pietatem*, vt explicatè memoras, *magnoperè commendare?* hæc illa Societas, cui ea Pauli ſententia conueniat, *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in Societatem Filij eius Ieſu?* Illa, quam *Eccleſiæ Chriſti plus, quàm Hæreticos, nocere*, in tuâ *Aſtrologia*, *cap.* 19 *pag* 61. mentiris? illa, quam *Latronum*, & *Sicariorum* Societatem in *Anatomia, pag* 40 vociferaris? Deſinant, Scioppi, Dialectici, deſinant de diſparatis, ſeu, vt nunc loquuntur, de *contradictorijs*, vel contrarijs differere, ſi hæc diſparata, & contraria non ſunt. Cæterùm quia tanta veritatis vis eſt, vt tibi hanc confeſſionem extorſerit, *neminem Catholicum non magnopere commendare Societatis Inſtitutum*, te profectò, Scioppi, qui idem Inſtitutum non ſolùm minimè commendâſti, ſed contrà hoſtiliter, & crudeliter inſectatus es, & porrò inſectari quotidie acerbiùs pergis, te, inquam, non Catholicum, ſed Hæreticum, vel tuo etiam ipſiuſmet ore renuntiatum, & conuictum eſſe, neceſſe eſt. Perge.

VII. Quo raptus turbine, in *Anatomia, pag.* 31. Pſeudo-Marianæ aſſentiens, expoſtulas: *Valde paucos in Societate euadere literatos, nullos eſſe in ea Excellentes*

cellentes Concionatores, nullos Eccleſiaſticarum rerum, nullos humaniorum literarum peritos? At quàm de ſubito id, quod hîc temulenter vomis, infrà in eâdem *Anatomia, pag.* 40. alacriter ſurſum ſorbes, cum eodem Pſeudo-Marianâ palàm decernens: *In Societate longè plurimos eſſe prudentiâ, literis, ac virtute praſtantes:* tum *pag* 34. cauillans: *Generalem, & tres, aut quatuor Ieſuitas in vnaquaque Prouincia vniuerſum Societatis regimen ſibi vendicare, neque reliquos in partem admittere, etiamſi ſint grauiſſima, & doctiſſima perſona totius Eccleſia Catholica?* Sed quî tandem, Scioppi? vbînam ſunt in Societate hæ tot perſonæ grauiſſimæ, & doctiſſimæ, vbi longè plurimi prudentiâ, literis, & virtute præſtantes, vt hîc ſancis, ſi nulli ſint in eâ Excellentes Concionatores, ſi pauci literati, ſi nulli rerum Eccleſiaſticarum, vel humaniorum literarum periti, vt inibi fabularis? cernis, quàm aduerſis, longiſque cornibus hæc mutuò ſeſe incurſent? Nequaquam. Quid mirum? ebriacus odio, oculos habes exoculatos.

VIII. Hinc in eâdem *Anatomia, pag* 33. §. *Quidam.* edicis planiſſimè vnà cum Pſeudo-Marianâ, *vnicum remedium eſſe, ad ſeruandam ſententiarum concordiam in docenda Theologia, & Philoſophia, ſi docentibus vnus certus Auctor praſcribatur, quem diſcipulis explanent, vt ab eo diſcedere non audeant: periculum enim eſſe, ne ſe ingenia pracipitent, niſi eis libertas iſta ad ſuas, ac nouas opiniones penitùs adimatur.* Intelligo, Scioppi, opinionem tuam, video conſilium. Sanumúe, an ſecus, hîc ſus deque fero, contentus id à Forero noſtro in *Anatomia, Sect* 8 probè iam eſſe excuſſum. At hoc dumtaxat titillat curioſitatem meam, quamdiu huiuſmodi placitum tibi ſit placiturum. Non poſtulo à te mentis in eo ſtabilitatem, longis temporum interuallis exploratam; non expecto permanſionem luſtra

iam ſuperantem, non peto conſtantiam in annos excurrentem: ſed vt in eodem *Anatomiæ* libello tantùm tibi ipſi conſentias; ne eadem, quæ ſciſcis, abroges; ne turpiter à te deſciſcas, hoc iure optimo à te exigo, hoc meritò cupio, hoc medullitus flagito. Sed fruſtra. Id impetrare abs te nefas. Nam haud ita multò pòſt, *pag* 15. & 36. ibidem exaduerſum omnino, eidem Pſeudo-Marianæ adſtipulans, rotundè criminaris Claudium Aquauiuam Generalem noſtri Ordinis Præſidem, eumque imprudentiæ accuſas, *quòd Theologis quaſdam certas ſententias, quas in Theologia amplecti deberent, præſcribere conatus ſit: & cauſſam huius erroris fuiſſe, quod minimè intellexerit, quæ ſit natura humani ingenij; quamq; ardua res ſit, imperium in hominum doctorum animos ſibi arrogare.* Scioppi, expergiſcere. Veternum excute. Quàm flagitioſum eſt tuum iſtud verborum duellum? ſi enim humani ingenij libertas frænum huiuſmodi imperij minimè patitur, quid tu Societatis noſtræ Doctores vni dumtaxat Auctori, vnique ſententiæ eſſe mancipandos pertendis? Quid tua conſilia in vtramque partem tam inconſultè reciprocas? Quam vberem virgindemiam tuâ iſtâ deſultoriâ leuitate commereris? At ignoſco; memor, temulentos in eodem veſtigio diu hærere non poſſe.

IX. Tu verò faceſſe hinc curriculo, ac tuis in *Arcanis, pag.* 37. Ieſuitas ab Aulis eapropter arcendos eructa: *Quia ſint homines de ſchola, pædagogiciq; loci, ac iudicij, qui facilè aberrent, & allucinentur in dandis Conſilijs Politicis, & Oeconomicis; vnde omnis rei malè geſtæ in ipſos culpa imponi ſoleat.* At quàm perſpicuè hæc à te in eodem Codice *pag.* 45. contradicuntur, dum ais: *In contrahendis rebus maioris paulò momenti, inq; nuptiarum conciliaturis nihil felicius, niſi Ieſuitis proxenetis tranſigi?* Dum addis: *Pontificem Paulum V. in curá rei familiaris, ſine con-*

ſtabilienda,

ſtabilienda, ſiue locupletanda, Ieſuitarum Procuratore vſum eſſe? dum *pag* 46. Ieſuitas tales fateris, *Qui aurum & argentum cumulare ſciant?* dum *pag.* 56. eoſdem Ieſuitas eo eſſe ingenio refers, vt *minimè incallidi, momenta & articulos omnes commoditatis teneant?* Scioppi, euigila. Vbi eſt acumen tuum? Itáne tu *homines de ſchola, pædagogiciq́ loci, & iudicij,* ad danda Conſilia Politica, atque Oeconomica ineptos iure appellaueris, quos tu ipſe *in contrahendis rebus maioris momenti* tam felices prædicas? quos nôſſe *aurum & argentum cumulare* ſcribis? quos *momenta omnia commoditatis tenere* aſſeueras? Quàm pulchrè iſta ſibi reſpondent? nempe vt humida ſiccis, calida frigidis. Neque tamen hæc eò ego collineo, vt Ieſuitas ob Scientiam, ſeu Politicam, ſeu Oeconomicam commendari velim, quos multo magis conari par eſt, vt cū D. Paulo. a *Sciant Ieſum, & hunc Crucifixum,* quàm vt artem coaceruandi opes, hoc eſt, *volatica ludibria temporum, & lucrum luteum,* vt eas vocat S. Auguſtinus, teneant: ſed vt tantùm oſtendam, quàm tua, quæ in Ieſuitas è tuæ maledicentiæ pharetrâ contorques, tela, imbecilla, quàm inualida, quàm obtuſa ſint.

X. I nunc, Scioppi, i, ac tuis in *Arcanis, pag.* 80. illud Laymanni Ieſuitæ ſcitum rabioſè lacera; *Hæreticos mandatis, minis, ac pœnis reduci debere: & hunc eſſe optimum eos ad fidem Catholicam conuertendi modum.* I, atque in tuâ *Aſtrologia, cap.* 10 *pag.* 38. *Miniſtros Satanæ, Pſeudo-Apoſtolos, & ſubdolos operarios,* voca, qui armis, & violentiâ Hæreticos ad Chriſti Eccleſiam compellendos docent. I, atque in eodem libello, *cap.* 16 *pag.* 59. clama eos, qui ita ſentiant, ac ſuadeant, non *cum Paſtore Chriſto oues colligere, ſed cum lupis rapere.* At quis tibi credat, Scioppi, quum his locis tam impudenter, ac palàm mentiaris, teq́ue ipſum mendacij, tuamet verba

a 1. *Corinth.* 2. b *Lib.* 5. *Confeſſ. cap.* 11.

apertè coarguant ? quis manifeſtam eorum pugnam non intuetur, quum in tuo *Hypobolimæo pag.* 321. ſtatuis: *Hæreticos centum plagis, vt Salomon loquitur, hoc eſt, pœnis, & incommodis terreri, & ad maiorem ſalutis ſuæ curam, & ad inueſtigationem veritatis excitari, atque impelli debere?* quum paulò pòſt ibidem *pag.*322. enuntias, *Nullius magis, quàm ipſorummet Hæreticorum intereſſe, vt quàm primum exorti fuerint, de medio tollantur?* quum *pag.* proximâ 323. vociferaris, eoſdem Hæreticos *ignominiâ, opprobrio, accuſatione, morte denique afficiendos, non ſolum vt ne alijs noceant, quod fieri oportet, ſi viuant, propter contagionis, vt dixi, periculum, & quia lupi quum ſint, rapiunt, & diſpergunt oues, minimeq́; gregi parcentes, conantur, quod Poeta dicit:* Multas illuſtres animas præmittere ad Orcum? Quis magnum diſſidium non animaduertit, quũ illic *pag.*329. pérſonas, *Sanctos Patres odiſſe, & fugere Hæreticos iuſsiſſe; S. Auguſtinũ teſtari, experimentis ſe probâſſe, multis prodeſſe, cogi ad fidem: Conſtitutionibus Imperatorijs, & Legibus de Hæreticis vltimo ſupplicio afficiendis; plenum eſſe titulum Codicis de Hæreticis; has Leges à SS. Patribus laude digniſsimas fuiſſe iudicatas?* quum inibi *pag.*331. & ſeq. memoras à S. Leone, *Epiſt.*91 ad *Turibium, cap.* 1. *palàm fuiſſe ſupplicium Priſcilliani probatum; eundẽ Leonem planè, & diſertè affirmare, Leges, quæ corporali ſupplicio, & enſe non ſolum Auctores errorum Hæreticos ſed etiam pertinaciores, & importuniores eorũ diſcipulos proſequũtur, prodeſſe, & adiumento eſſe Eccleſiæ?* Quis confeſſam diſcordiam non videt, ſimulq́; non ridet, quum in tuo *Eccleſiaſtico, cap.*107. decernis; *Theologorũ diſputationes infructuoſas eſſe, neq; Hæreticos, aut eorũ diſcipulos ad verũ conuertere, niſi magiſtratus ſeculares latis Legibus, & pœnarũ terrore obedientiã Epiſcopis debitam ſanciant, & peſtilente, ſiue Hæretico multato, ſtultos eius diſcipulos ſapientiores reddant.* Quis denique hæc, & plura alia, quæ iam ſuprà *part.*2. *cap* 7. *nũ.*9. recenſui, legat, & conferat, qui te adeò diſſentanea, atq;

aduerſa

aduerſa flare ſimul, ac reflare non comperiatur? At quàm oppidò improuidà tua procacitas eſt, qui eam doctrinam, quam tu ipſe tuis in libris tot annos contentioſiſſimè propugnâſti, quamque Legibus quà ſacris, quà profanis congruentem iam anteà capite illo 7. demonſtraui, & cunctis alijs Religioſis familijs communem Forerus in *Antimelandro par.2.cap.5. num.22.* probat, Ieſuitis vitio vertere, & quidem ſolis, non dubitas?

XI. Sed tu nihilominùs nauiter frontem perfricas, iterumque tuâ in *Aſtrologia, cap 4. pag.15.* Ieſuitas traducis, quòd *ſaturati, diuites facti, & regnantes, animaq; ſua ſuaues, eam ieiunio, abſtinentijs, vigilijs, cucullo, amictu aſpero, horrido, & contempto affligere caueant.* At quàm ſycophantiosè? quàm petulanter? Ego verò inſulſam hanc, fatuamque tuam criminationem, quam à Forero noſtro in *Proteo, Animaduerſ 4. pag 348.* & deinceps egregiè euerberatam ſcio, nihil in præſens moror: Te dumtaxat tuo in *Eccleſiaſtico, pag.55.* tecum ridiculè rixantem, digladiantemque ſpectare pauliſper iuuat. *Haud vidi* (inquis) *magis* obedientes, *quàm Ieſuitas; quum obedientia demum illud ſit, quo plerique Societatis eius Inſtitutum præ cæteris Religioſorum, ac Monachorum Sodalitatibus alioquin adamantes, ab eius ingreſſu abſterreri ſolent, eamq; rem lippi & tonſores nôrunt, neque ipſe Rex Angliæ neſcit, ſi quis Ieſuita ſiue à Pontifice, ſiue à Prapoſito in Angliam proficiſci iubeatur, eum ex voto, quo ſe ad parendum obſtrinxit, ac velut Sacramento dicto auctorauit, confeſtim illinc ad paratam ſibi crucem, mortemq; perſpicuam abiturum* Huc iam, Scioppi, propera, huc aduola. Si lippi, & tonſores, vt hîc enucleatè affirmas, nôrunt, tam multos à Societatis noſtræ ingreſſu præ obedientiæ duriſſimâ conditione, quæ accipienda neceſſariò eſt, abſterreri; nónne tu quouis lippo luſcitioſior, & quauis tonſorum cucurbitulâ obtuſior, qui Ieſuitarum vitam ceu

ſuauem,

ſuauem, omniſque auſteritatis expertem adunco ſuſpendis naſo? Si enim obedientia *maxima virtus eſt*; ſi *mater, & origo virtutum aliarum*; ſi *ſola cæteras menti inſerit, inſertaſq́; cuſtodit*, quemadmodum communi veterum Patrum decreto ſancitum Forerus loco iam laudato, compluresque alij patefaciunt, & ego quoque in meis *Vindicijs, cap.* 14. § 7. *num.* 103. notaui; ſi in Societate adeò difficilis, atque ardua, vt plerique ob eam conſternati, animum deſpondeant, quem tamen aliarum Religionum cilicio, cucullo, ſilentio, vigilijs, amictui aſpero, alijſque incommodis, ac pœnis alacriter vorandis parem fortaſſe gerunt; quî, rogo, Societatis Inſtitutum, velut delicatum, ac mollius ſugillare potes? Si Obedientiæ votum, quod omnium auſteriſſimum eſt, in eâ quàm maximè florere tu ipſe teſtaris, virtusque huiuſmodi reliquarum quoque genitrix, & parens eſt, quomodo hæc etiam abſtinentiam, precandi ſtudium, ieiunium, carnis cruciamenta, cæteraſque animi dotes non procreabit? Et te tot diſſenſionum, quas tecum ipſe ſeris, pudor nullus adhuc ſubit?

XII. Periclitemur iam tuæ *Aſtrologia, cap.* 12. 13. & 14. Quid in his, Scioppi, moliris? quò is? totus in eo es, vt probes, ad frugiferam Euangelij ſementem faciendam nullos eſſe aptiores, quàm qui totam vitam ſuam contemplationi deputant, quique Mariæ exemplo ad pedes Domini, vt narrat Lucas 7. ſeſſitantes, *cum ipſo vnum fieri* ſtudent, *quod Chriſto longè gratius accidat, quàm quicunque labor, ipſius, & proximorum cauſâ ſuſceptus*; qualem & Martha exercuit, quando *ſatagebat circa frequens miniſterium, & turbabatur erga plurima.* Quâ de re iam anteà *part.* 2. *cap.* 12. & alibi non ieiunè actum eſt. Nunc inſuper abs te quæro, Scioppi. Manebúntne tibi ſemel placita in hac tua *Aſtrologia*, neque vlla in huiuſmodi pſephiſmatis litura erit?

Scilicet,

Scilicet. Infrà *cap.10 pag.74.* tui planè oblitus, vel impos mentis, quod priùs effutiueras, inducis prorſus, ac reuocas, præciſè ſciſcens: *Nemini rectiùs, quàm illis, qui hoſpitalitatu legibus obligati ſunt, prouinciam Euangelij Hæreticis, & Gentilibus prædicandi mandari.* Heus tu! Quàm inconditos hîc proflas rhonchos? Cedò ſis. Hoſpitalitas cui operam ſuam, officiumque præſtat, Marthæ, an Mariæ? Marthæ vtique, nec quiſquam eodem temporis articulo vtrique ſimul vacare poteſt. Qui autem viciſſim Mariæ, & Marthæ ſeruit, is non ſoli contemplationi deuotus ſanè eſt, quum inter hoſpitalitatem, ac rerum diuinarum commentationem plurimum diſconuenire perſpectum ſit: neque facile intellectu eſt, quomodo qui ſe hoſpitalitatis etiam Legibus obſtrinxit, is totam vitam ſuam contemplationi deputaſſe verè dici poſſit. At hæc tuæ mentis deliria ſunt, ſed à te, qui tuum opinioſiſſimum caput in vtriuſque partis parietem impingis, manare nouum non eſt.

XIII. Nihilo ſaniùs in tuâ *Politices Pædia* inſanis, ſine circuitione docens: *Ioſia quidem, S. Ludouico, alijsq́ ſpectatiſſimæ pietatis Regibus, non aliam ob cauſſam parum proſperè plura eueniſſe.* Prô facinus indignum! ô decretum fanaticum! Mitto id falſum eſſe, quum exempla infortunati euentus, quæ pijs Regibus infeſta fuerunt, ſi piè iſti ſe geſſerunt, rara ſint, & maioribus compenſata bonis, vt obſeruat VVangnereckius, a hanc inſanā tuam amentiam validè compeſcens. Sed age. Tu ipſe hoc tuum ſcitum inſcitum ſtricto tui ſtyli mucrone tranſuerberá. Non faciam. Non facies? minimè. Atqui vel inuitus. Quis me coget? ego, tuorúmmet verborum acinace euaginato. Quid enim? In eodem Politices libello quàm clarè, vnaque quàm turpiter, ipsâmet Lectoris admonitione, tibi

a *In Vindicijs Polit. lib.2.cap.3.§.7.*

tibi ita refragaris? *Qui pius eſt, Deo reddit debitum, adeoq; iuſtus eſt, & vir bonus, vnde aliorum erga illum exiſtit amor; & quum Deus ſit iuſtus, abeſſe non poteſt, quin Principem ſui amantem, & reuerentem redamet, & aduersùs inimicos tueatur: vnde eum ab hominibus reſpectari, coliq; contingit.* At quàm magis adhuc dilucidè, multoque inflatiùs in tuo *Belli Sacri Claſsico* claſſicum aduersùs teipſum in *Politices Padia* his verbis canis? *a Denique ſi bene calculum ponimus, nullum ex omni memoria exemplum commemorari poteſt hominis bello ſuperati, qui iuſtam cauſſam Deo ſolo fretus, & corde perfecto in eum credens tueretur.* Dic modò, Scioppi, quid eſt in contraria caſtra Punicâ fide trànsfugere, ſi hoc non eſt? quid palles? obriguiſti. Salua res eſt.

XIV. Prome iam, ſi quid prætereà reconditi in arcâ habes. Imò in eâdem, inquis, *Politices Padiâ,* ſollerter animaduerto, & *Opinionem, ſeu famam pietatis conſeruare imperium, ſicut pietas ſeruat animam. Ac propterea, ſicut in acroaſi Theologicâ Princeps, vt animã ſeruet, iubetur eſſe verè pius, item in Politica Schola, vt ſtatum ſeruet, docetur exiſtimari pius.* Agnoſco tuæ nequitiæ pilum, Scioppi. Agnoſco placitum non minùs falſum, quàm flagitioſum, à VVangnereckio *b* tam probè pinſitum, obtritumque, vt à me nullum hìc fuſtuariũ inſuper tibi metuendum ſit. At quod *ſtatum opinione pietatis*, non autem verâ pietate conſeruari hoc loco tradas, ac proinde addas quoque, *etiamſi* Princeps *reuera pius ſit*, ſi tamen *impius credatur*, odio & contemptui futurum; prætermittere non poſſum, quin tuis verbis ex eodem Politices libello penitùs elidam. Quid? in ipſâmet Lectoris admonitione nónne expreſsè in anteceſſum ita denuntias? *Politicus pietatem ante omnia Principi commendabit quoniam ea hominũ animos illi reddat propitios, vt eum ament, tum reuereantur, quibus duabus*

a *Cap.* 17. b *Loc. cit. lib.* 2. *cap.* 4. §. 7.

duabus rebus imperium conſeruari palam eſt. Conce-do, inquis. Sed pietatem hîc non veram, ſed fucatam, ſeu quæ ſolâ opinione, vel famâ conſtat, intelligendam facilè, qui ſapit, cernit. Imò te ineptè deſipere, & manifeſtò mentiri, tuamet, quæ ibi proximè ſubdis, verba huiuſmodi omnino vincunt; *Abeſſe non poteſt, quin Deus, quum iuſtus ſit, Principem ſui amantem, & reuerentem redamet, & aduersùs inimicos tueatur, vnde eum ab hominibus reſpectari coliq́; contingit.* Quæ & paulò antè protuli, ſed hîc neceſſariò tibi rurſum ingero, vt ineluctabilem tuæ improbitatis repugnantiam perſpicias. Quæro enim. Deus quem redamat, ac defendit? an qui pietatis tantùm opinione perſonatus eſt? Neutiquam, nefaſq́ue immane, id cogitare. Quem ergo? qui verâ pietate præſtat, vereq́ue pius, & iuſtus eſt. Idcircò tu quoque in eâdem Lectoris admonitione deſtinatò ſancis: *Pietatem, quum ingentes ad conſeruandũ Statum vires habeat, omnino à Politico præcipi debere, & ab eodem ante omnia Principi commendare* oportere. Egregiè. Quid ergo (malum!) paulò poſt veræ pietati detrahis, quod ſimulatæ tribuis, vt hęc *Statum ſeruet*, illa autem minimè, ſed potiùs affligat? quid garris, *in Theologia, Catechiſmo, Ethicâ ſimilia præcipi debere, non in Politica*; quũ paulò antè Lectorem monueris, *Pietatem à Politico præcipi debere?* & *ante omnia Principi commendari?* Eſtne, Scioppi, vllus Euripus ita fluens, ac refluens, vt tua dicta, quà eunt, mox redeunt; quà currunt, ſtatim recurrunt; quà vadunt, extemplo redeunt? *Præcipi debere pietatem à Politico*, & *non debere*, tibi paria ſunt, qui ebrius amentiâ, ratiocinandi, ac rectâ incedendi lege ſolutus es.

XV. Eâdem verò licentiâ aliud Politicum effatum in eodem *Politices* Codicillo ita venditas: *Sicut quorundam vitiorum opinio nihil aut nocet, aut diſconducit ſaluti Principatus, ſimiliter quarundam virtutum opinio nihil prodeſt, ſed potiùs obeſt.* Quæ-

nam porrò hæ virtutes minimè vtiles, quarum exiſtimatio nocet, ſunt? Apud paucos verſus infrà nominatim hoc pacto indicas: *Itaque ſi Politicus præcipit, liberalitatis, & clementiæ famam Principi nocere, nihil pro temporum conditione dixit falſi.* At iſta quomodo ijs, quæ ibidem proximè anteà ſcribis, congruunt? *Si Princeps,* ais, *ſit impius, auarus, crudelis; habeatur autem pro pio, liberali, & clemente, ſine dubio ſubditi eum amabunt, & reſpectabunt, ſeu reuerebuntur.* Vide iam, Scioppi, quî te tam impeditis è pedicis expedias. Quarundam virtutum opinio, Principatûs ſaluti, te auctore, obeſt: huiuſmodi conditionis liberalitas & clementia eſt, quarum fama Principi nocet. Et nihilominus ſi is habeatur pro liberali, & clemente, ſubditi eum amabunt, & reſpectabunt, *quibus duabus rebus imperium conſeruari,* vt paulò antè retuli, tu ipſe pronuntias. Ergo opinio liberalitatis, & clementiæ Principi nocet, & non nocet. Conator laqueum hunc tuæ circulatoriæ inconſtantiæ explicare, & eris mihi magnus Agyrtes.

XVI. Interim caue alios caſſes, in quos te induo. In *humanarum & diuinarum literarum Pædia, pag.* 24. magnificè ſanè te prædicas: *Voto paupertatis adſtrictum, quantum ad Regum, Principumq́; liberalitatem attinet. Vouiſſe enim te nihil vnquam ab eis nec congiarÿ, ſiue muneris, aut doni, nec ſtipendÿ, aut penſionis accepturum.* At quibus præſtigijs te è viſco, aut euerriculo extricabis, qui inibi *pag.* 25. *contemptum paupertatis* refers, *cuius ſpecimen dederis in* Conſilio Regio, *quo libro Carthuſianorum iura, & bona contra Regis Hiſpaniæ miniſtros ita tutatus ſis, vt proptereà plus* XII *aureorum millibus fraudatus fueris, tametſi Rex ſe tibi menſtruam octoginta aureorum penſionem conſtituiſſe affirmet?* Quæſo te, Scioppi, quid hominis, aut potiùs monſtri es? Vbi tua mens? vbi intelligentia? vbi memoria? vbi mica

ſalis?

ſalis? in cucumere? in lebete? in cácabo? Quo enim modo votum tuum paupertatis cum paupertatis contemptu concinit? quomodo qui nihil vnquam à Regibus vllo titulo, nec ſtipendij, nec penſionis te accepturum vouiſti, ſtatim narras octoginta aureorum menſtruam penſionem à Rege Hiſpaniæ tibi conſtitutam, nec à te repudiatam? quomodo te pluſquàm duodecim millibus aureorum idcirco fraudatum conquereris? Compone tu iſta diſſidia, vel tuo Mercurio bilingui ad tibi opitulandum euocato. Sed fruſtra. Ita tui indecorè immemor es, ſemperque mendax, vt ſapienter Lauanda. *a*

XVII. Poſtremò, quânam linguæ calamique effrænatione in noſtrum Ordinem contumelias, & calumnias plenis modijs ſine modo effuderis, duodecim, & ampliùs famoſis libellis omni conuiciorum impudentiâ refertiſſimis, vniuerſo Orbi iam dudum planum feciſti, quorum tenue aliquod ſpecimen ego quoque tum in hoc *Lydio*, tum in meis *Vindicijs* Lectori dedi. At è diuerſo quàm præclara, quàm illuſtria, quàm luculenta elogia in noſtri pariter Ordinis laudem, vt in ijſdem *Vindicijs* meis *cap* 14 §.7. è tuis verbis ſyllabatim recitatis oſtendi, edidiſti, quibus omnes omnino calumnias nobis ſtructas perimis, tibique calumniatoris mendaciſſimi labem aſpergis? Plura alia diſparata, diſſentanea, & contraria tuis è Codicibus excerpunt tum Forerus, tum VVangnereckius libris ſæpe laudatis, quibus ego alium ingentem cumulum in meâ *Nouaculâ cap.* 25. adiungo.

XVIII. Ex quâ verſipelli tuâ naturâ, Scioppi, meritò colligo, nullum eſſe, vt ſuprà innui, & iam probaui, Chameleontem tam varium, nullum Proteum tam inſtabilem, nullum Vertumnum tam verſatilem, quem tu perpetuâ æſtuans vertigine,

a *In Gramm. Padico, pag.* 55.

gine, non ſolùm adæques, ſed etiam ſuperes. Nempe vt Thraſones, menſarum vmbræ, aſſeclæque, linguam gulę ac palato fœnerantes, quibuſuis iocis, atque mendacijs vel vnius oboli, boliúe abiectiſſimo lucello fœdè proſtituunt; ita prorſus tu, deſertâ ſemel Catholicâ Religione, arreptâque Hæreſi, ad incitas demum redactus, nullam mentiendi, calumniandi, oblatrandi, diſcrepantia, & ſecum pugnantia blaterandi conditionem, quanquam turpiſſimam, quò aliquid obſonij, vel argenti à cunctis, qui mimis, Satyris, ludiſque oblectantur, eblandiaris, recuſandam exiſtimas. At quæ, rogo, Hæretici ſpiritus verruca certior, aut maior, quàm ad gratiæ, vel auri quemcunque quęſticulum non patrium ſolum dumtaxat, ſed ipſam quoque fidem, linguam, & calamum in dies pro variâ cupiditate perpetuò vertere?

Cap. IX.

Verruca nona Scioppianæ Hæreſis, verſuta Catholicæ Religionis ſimulatio.

I. Eprompſis ad id locorum tot tantiſque multiplicis tuæ Hæreſis Teſſeris, ac Verrucis, in priſtinam amentiam Hæreticam te, Scioppi, qui ab Hæreticis ortus parentibus, ad Catholicorum cœtum migrâſti, poſteà relapſum, perſpicuè validèque, ni me fallis opinio, hactenus demonſtraui. Quid ſi nunc te ex eâdem Hæreſi, quanquam Romanæ Eccleſiæ te aggregatum ſimulâſti, Catholicique viri perſonam complures annos induiſti, & etiamnum ſubdolè mentiris, nunquã tamen verè, ac ſynceriter elapſum oſtendo? Hîc tu, ſat ſcio, elatè obſtrepes, ringéris, fremes, tumultuaberis. Sed fruſtra, quum ſtrictis argumen-

argumentorum gladijs, tuo iugulo vndique iam immineam.

II. Nam primò, quòd Hæreſim maternis ab vberibus ſuxeris, huiusque malitiam deinde non leuibus vitiati adhuc animi veſtigijs olere ſemper viſus ſis; an tu indicium leue tuæ perfidiæ nunquam à te ex animo expectoratæ arbitraberis? Haud quaquam ſanè hoc loco illos omnes, qui lucem ab Hæreticis parentibus hauſerunt, orthodoxâque religione poſteriùs ſunt initiati, in ſuſpicionem mali doli, ac nequitiæ, generatim ego adductos velim; quibus auitos errores, vbi medullitus reſipuerunt, nullumque eorum ſurculum ſibi exinde hærere, nec repullulare paſſi ſunt, minimè eſſe fraudi, neque obeſſe, in confeſſo apud omnes eſt. At quum Eccleſiæ Catholicæ recèns adiuncti, ita ſe gerunt, vt *Curios ſimulent, & Bacchanalia viuant*; quum virus malè ſanæ doctrinæ ijs, quibuſcum agunt, inhalant; quum mentis corruptæ inſignia identidem produnt; tum enimuerò Hæretica proſapia, graui admodum præiudicio veteris ſectæ adhuc adamatæ, & retentæ illos vrget, ac premit. Ita quippe & Medici quoque, vbi quempiam eodem morbi genere, quo eius parentes, ſæpius corripi animaduertunt, vitium illico in ſemine, & contagionem agnoſcunt, firmæque ſpem valetudinis inciſam prorſus intelligunt.

III. Iam ſi animi tui pulſum, veluti arteriarum percuſſum, ac repercuſſum exploro, Scioppi, mirum profectò eſt, quàm eum inæqualem, quàm citatum, quàm lentum, quàm formicantem reperiam. Quid enim tam multa tuæ Hęreſis documenta, quæ huc vſque dedi, aliud ſunt, quàm quædam febrientis, ac delirantis mentis tuæ micantes venæ? In morbo ſcilicet es, errorum tabe exederis, pus Hæreticum frequenter excreas; ac proinde tuæ ſtirpis non oblitus, Hæreſim te olim vnà

cùm lacte imbibiſſe, nec non à *Prædicantium*, vt vocant, tribu te eſſe oriundum, vt in meis *Vindicijs*, *cap.* 8. ex Forero docui, neque inde pedem vnquam germanâ fide, ac ſine fallaciâ te extuliſſe, nullo negotio cuius indicas, omninoque perſuades; vt diuinum Ezechielis oraculum ad amuſſim tibi planè conueniat: *a Radix tua, & generatio tua de Terra Chanaan: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa: Et quando nata es, in diebus ortus tui non eſt præciſus vmbilicus tuus.* Nam tot errorum flagitia, quæ ore calamoque admiſiſti, quàm luculenter teſtificantur, Hæreſim, quam vnà cum vitali ſpiritu ex patrio more libâſti, adhuc tibi in animo inſculptam? quàm palàm faciunt, quum olim in Romanæ Eccleſiæ album relatus, nouam auſpicari vitam viſus es, priſtinæ perfidiæ vmbilicum tibi non fuiſſe præciſum? quàm apertè vincunt, infectam illam morbidamque impietatis radicem imis ſemper præcordijs tibi inſediſſe, multijuges eius fibras nunquam penitùs auulſas, virides adhuc, & luxuriantes capreolos etiamnum perennare?

IV. Quid inteſtinum, atque implacabile iſtud odium, quo in Ieſuitas ſemper arſiſti, quid noſtræ Societatis inexplebilis inſectatio, cui, tot famoſis libellis contra nos peruulgatis tam cumulatè litauiſti, incertóne aut imbecillo eſt argumento, te ab Hæreticorum inſaniâ, quòd idem in nos odiũ, quo ipſi flagrant nimiopere, non ſolùm minimè reſtrinxeris, neque fregeris, ſed multo etiam magis inflammâris, nunquam penitùs diſceſſiſſe? Quamuis enim inter Catholicos quoque non deſint, qui noſtro Ordini minùs ſibi comperto per alienam fraudem infenſi ſunt, aut probè ſibi cognito per animi æſtuantis impotentiam obtrectant; tamen, quia orthodoxâ fide à Chriſtianis parentibus imbuti ſunt, ſuſpicionem Hæreſis ne-

a *Ezech.* 16.

quaquam

quaquam mouent tam facilè, nec adeò vehementer. At tu, qui ex Hęreticorum ſcopulis in Catholicæ Eccleſiæ portum te recepiſti; dum Ieſuitarum priſcum odium adhuc foues, manetque id tibi altâ mente repoſitum, quàm acri ſtimulo ad coniectandum impellis etiam prudentes, te ex eorundem Hæreticorum caſtris nunquam omnino exceſſiſſe? Quum enim nemo non cernat, Societatis noſtræ homines, Gymnaſia, munera, libros, omnesque Inſtituti noſtri partes à te hoſtiliter oppugnari, nec non arma cum iiſdem Hæreticis ad eandem noſtram Societatē arietandam, excidendamque pertinaciter coniungi, quis non meritiſſimô hinc cogit, te altero adhuc pede eorundem congerronum tuorum pedicis ſemper fuiſſe irretitum? Vident ipſi pariter Hæretici, ac rident in ſinu, impreſſionem in Ieſuitas, hoc eſt, in ſuos potiſſimos Aduerſarios, à quibus non ſegniter cæduntur, incitatiſſimam à te fieri, ſignaque omnis maleuolentiæ inferri; ac propterea te ſuum eiuſdem belli ſocium, ac patronum libenter quoque agnoſcunt, ſibique ac tibi prolixo animo gratulantur.

V. Adde nunc, Scioppi, incredibili iſti tuo in Ieſuitas odio ſummum rerum nouarum docendi ſtudium, quo ſemper te duci, incendique non obſcurè tuliſti. Quàm immani enim acceſſione monumenta tuæ Hęreſis nunquam tuo è pectore funditus exturbatæ id cumulabit? Legiſtíne aliquando, quæ Alphonſus à Caſtro vir doctiſſimus *lib. 1. aduersùs Hæreſes, cap. 14. de agnoſcendis Hæreticis* diſputans, de hac ipsâ nouitatis libidine, non leui Hæreſis notâ, præclariſſimè commentatur? Ne te ea non vidiſſe, aut iam oblitum eſſe, fortè cauſſeris, hîc ad verbum recitentur. *Neſcio, an omnium maxima coniectura ſit, velle res nouas, & quæ parum conducunt, prædicare, aut docere. Qui enim rerum no-*

narum eſt amicus, & eas ſemper quærit; vt prædicet, aut doceat, ſignum eſt, quod placere vult, quod exiſtimationem ſui in populo quærit, quod ſeipſum vult prædicare, non Ieſum Chriſtum. Ex quo conuincitur, eum à ſemetipſo loqui, & non à Deo, quoniam vt eſt apud Ioannem, cap 7. Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit. *Qui autem propriam gloriam quærit, eamq; per nouæ doctrinæ prædicationem captandam ſperat, etiamſi quid erroneum inuenerit, ipsâ nouitate delectatus probabit, & ſperans ſe inde gloriam habiturum, non ſolùm prædicare non metuet, imò tanquam pretioſam gemmam populo venditabit.* Quam coniecturam multis exemplis, rationibus, ac ſententijs è diuino Diplomate probat ſolidè idem Caſtro, è quibus cunctis vnum inſtar omnium, illud Pauli Apoſtoli monitum ſit: a *O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Quocirca ſubijcit demum idem Auctor prudentiſſimè: *Qui talibus nouitatibus delectatur, eaſq; inquirit anxius, vt inde inanem captet gloriam, hac ſolâ ratione coniicio eum eſſe Hæreticum, aut in Hæreſim pronum, & qui facilè in eam labetur.*

VI. At quis nouis rebus ſerendis, excitandis, venditandis, intrudendiſque operam, Scioppi, operoſiorem, quàm tu, ex quo paternæ Hæreſi nuntium te remiſiſſe finxiſti, vbicunque terrarum apud Catholicos diuerſatus es, nauauit? Quàm manifeſtò id quum tua acta omnia, tum dicta minimè ignota teſtantur? quàm impensè hoc cuncti libri à te poſt ſuſceptam Catholicam Religionem editi confirmant? quàm multas in his, quàm nouas, quàm inſanas doctrinas de Franciſcanorum paupertate, de Epiſcoporum inopiâ, de Macchiauelli impiâ Politicâ, de Summi Pontificis in bona Eccleſiaſtica auctoritate publicâſti? quàm exotica, & lymphatica pleraque alia monſtra opinio-

a 1. *Timoth.* 6.

ſum inuexiſti? Tuus ille *de humanarum & diuinarum Literarum Pædiâ* libellus, quid continet, niſi decem omnino *Pædias*, inopinatas, peregrinas, inſolentes? quò à te is deſtinatur, niſi ad totum Orbem Chriſtianum regignendum, & reconflandum? Quò alterum Codicem à te compoſitum, niſi ad inaudita, atque inexcogitata diuulganda collineas, in quo dilucidè profiteris, quemadmodum in eâdem *Literarum Pædia, pag* 19 gloriaris, à te concinnari *Symbola Prophetica, hoc eſt, plurimorum Sacræ Scripturæ locorum nouos ſenſus ſpirituales, & literales ad docendum, arguendum, corripiendum, & in iuſtitia erudiendum idoneos?* Qui ſunt porrò hi tui noui diuinarum Literarum ſenſus, niſi priſcis Patribus, cæteriſque Catholicis Doctoribus hactenus ignorati? quod denique in Chriſtianâ Repub. munus, quis gradus, quis ordo eſt, quem tu nouam ad formam redigere, vt anteà *cap.* 4. probaui, ſemper quà libris, quà conſilijs, quà hortamentis, quà alijs machinationibus non contenderis? Quum igitur hanc rerum nouarum moliendarum inſaniam in te à proſcriptâ iam Hæreſi penitùs deferbuiſſe nunquam, nedum deſijſſe, oſtenderis; quis non te hoc etiam nomine ab eâdem Hæreſi nunquam candidè omnino fuiſſe depurgatum, iure cenſeat?

VII. At immodico rerum nouarum ſtudio, effrænis pronuntiandi, ſtatuendique libertas, indiuidua comes ſemper coniuncta, Scioppi, eſt, Hæreſis & ipſa prænuntia, indexque adeò non fallax, vt idem Alphonſus à Caſtro loco iam laudato aſſeuerare non dubitet, eum, *qui liberrimè de rebus ſerijs. & ad fidem ſpectantibus pronuntiat, & quacunque facillimè ratione perſuaſus, ſine vlteriore inueſtigatione, aut doctorum aliorum virorum conſilio, ſtatim decernit, ſibi ipſi fidens, meritò ſuſpicionem Hæretici incurrere, vt Hæreticus eſſe putetur, vel in Hæreſim*

eum citiſsimè lapſurum credatur. Sed quid, obſecro te, Scioppi, tuo ore, calamoque in pronuntiando de rebus ſerijs, ad fidem Catholicam etiam pertinentibus, in decernendo, in ſanciendo, in definiendo quicquid in buccam tibi venit, liberius? quid inconſideratius? quid confidentius? quid præcipitantius? quis aliorum conſilia contemptim magis conterit, quàm tu? quis ſibi ipſi blandius palpatur? quis ſuo vnius iudicio cuncta arrogantiùs metitur? Teſtor ego vniuerſum hunc *Lydium Lapidem*, in quo hæc omnia tua portenta oculis non ſemel ſubiecimus. Vnde aliud tuæ Hæreſis nunquam eliſæ prorſus, veſtigium non leuiter impreſſum præſto eſt. Quamobrem quum ab Hæreticis parentibus, Scioppi, in lucem editus ſis; quum in Hæreſi educatus; quum odio in Ieſuitas, etiam poſt relictam Hæreſim (ſi tamen verè à te relicta eſt) ſemper arſeris; quum rerum nouarum ſemper cupidus fueris; in affirmando, ac decernendo ſemper audax, temerarius, præceps, & procax; quis, niſi bardus, & ſtupidus ſibi perſuadeat, te aliquando ex Hereticorum cœno, & palude pedem vtrumque extraxiſſe? Hoc nimirum Hæreticorum ingenium eſt, hæc ſtropha, hic dolus eſt, vt *poſt multas fornicationes, & deceptiones animarum*, teſte D. Hieronymo, *a ſimulent ſe reuerti ad priſtinam veritatem; non vt deponant venena pectoris, ſed vt cæteris inſinuent.*

VIII. Quod ſanè tu tam multis ſutelis, ac preſtigijs ſemper ita impudenter præſtitiſti, vt quamuis multiplicis Hereſis manifeſtus omnino, quemadmodum totus hic *Lydius* vociferatur, tenearis, & nonniſi laqueum, ſecurim, machæram, aut potiùs ignem, ad pœnas, quas meritus iam dudum es, luendas expectare poſſis; nihilominùs adhuc polliceri non erubeſcas *Pædiã Theologiæ Agoniſticæ*, *cuius*,

a *In Ierem. cap.3.* Tamen reuertere ad me.

cuius, inquis, *à vſuerit, vt Theologia Scholaſtica origo, progreſſio, & inclinatio, tum vera Hæreticos refellendi ratio, etiam ſapientiſſimis, & exercitatiſſimis Theologis parum adhuc perſpecta, cognoſcatur.*

IX. O audaciæ columen! ſi Sacræ Cenſores fidei tuas has ſycophantias intelligant, quàm lautum tu lumbifragium illico auferes? quàm bellè tergum tuum pigmentis pingetur vlmeis? quàm liberalibus plagis tua iſta procacitas dolabitur? Neque ego profectò calamum, quin mihi quoque de tuæ impudentiæ corio ſatisfaceres, abſtinerem, niſi id Eugenius Lauanda *b* officiosè præuerteret, téque preſſo ſtylo ita pulchrè concideret: *Prô malum! nullis vnquam Eccleſia Catholica lacrymis ſat plorandum; eam caruiſſe tot ſeculis Grammatico, qui Hæreticos refellere doceret, & ignoràſſe veram refellendi rationem. O Ambroſi! ô Hieronyme! ô Auguſtine! ô doctiſſimi omnes, & Sanctiſſimi Patres, Eccleſia Catholica lumina! qui ſediſtis tamdiu in tenebris, & tantâ ignorantiâ laboràſtis? ô ſacra Concilia, quæ inutiliter complura ſanxiſtis! in quæ tempora incidiſtis? quibus hunc Grammaticum videre, & audire non contigerit, à quo illuminati ſaperetis, & veram Hæreticos refellendi rationem doceremini! O Chriſte Deus, cur Spiritus tuus à te miſſus Eccleſiam tanto tempore docere diſtulit? Cur hunc Grammaticum expectare, eumq́ solum adeò doctum, & illuminatum voluit, vt Sanctiſſimis Eccleſiæ Patribus hoc lumen, & hanc ſapientiam abſconderet? O Spiritus Sancte Deus, ſiccine Eccleſiam in virtute tuâ congregatam, à tot ſeculis in tam neceſſaria profeſſione non illuſtràſti, ſed vni obſcuro, & minimè humili in ſuis oculis Grammatico, tantum donum reſeruâſti, dici vt iam non poſſit, reuelatum paruulis, ſeu humilibus, quod Pater à Sapientibus abſcondit, ſed oſtenſum iactabundo, & impudenti Grammaticopoli-*

a *In Padia human. & diuin liter. pag. 11.*
b *In Gramm. Padico, pag. 34.*

tico, pro quo ſanctiſſimi viri tantâ inſcitiâ, vt ipſe in dicat, laborârunt! Apage inſaniam virgis mactandam. Scioppius doceat veram Hæreticos refellendi rationem, qui nunquam verè, & ſyncerè Catholicus fuit nunquam ſiue intra, ſiue extra pocula de religione diſſeruit, quin ſe ipſum ignorantiâ ſuâ implicaret? Scioppius Hæreticos ad Fidem Catholicam adducat, qui perverſæ mentis improbitate tot infamibus Scriptionibus propalatâ, totum Orbem Chriſtianum ſcandalizat! Scioppius ad publicas cum Hæreticis diſputationes authoratus prodeat, de cuius nedum doctrinâ, ſed animo dubites, de exemplo verò certus ſis, illum nec ſtabularium quidem Hæreticum poſſe ad pietatem erudire! Scioppius hanc mentem, vel ſi merus Grammaticus non ſit, induat, qui omnia alia, quàm Zelum animarum ſectatur, pacem Eccleſiæ turbat, Religioſos committit, Religionem traducit, Epiſcopos mendaciſſimè criminatur, faſtu propè ſupra Luciferum turget, indoctus, inſanus Grammaticopoliticus, omnia miſcet! Hæc Lauanda non ſine lixiuiâ, & Mattiacis pilis, ſeu cauſticâ ſpumâ, ad tui veſani capitis intemperias extergendas appoſitè, & congruenter. Scilicet cum Hæreticis pro orthodoxâ fide dimicaturus, tu Scioppi, omnium optimè congrediaris, qui perniciabiles errores paſſim diſſeris; qui Hæreticum halitum, ſpiritumque efflas; qui impias Hæreſes foues, ac tueris; qui cunctis Hæreticis ſubdolè, ac nefariè patrocinaris.

X. Ex quibus ſatis, opinor, perſpicuum eſt, quàm non de nihilo, ſed iure optimo, ſub huius contentionis initium denuntiarim, fucum à te factum Catholicæ Eccleſiæ, auitam Hæreſim non ex animo deletam, peremptamque, Catholici viri perſonam fraudulenter indutam, officia Chriſtiani hominis nequiter ſimulata; quæ ſanè tuæ Hæreſis non ſolùm Verruca immanis eſt, ſed etiam

doloſa

doloſa larua, primis tuis faſcijs, & cunabulis nequiter inducta.

CAP. X.

Verruca decima Scioppianæ Hęreſis, multiplex variorum ſcelerum infamia.

I. EAm eſſe ſcelerum, quæ concipiuntur, educturque, turpitudinem, vt ſuos Auctores, à quibus committuntur, inſigni notent ignominiâ, fœdâque adſpergant infamiâ, non ignoras, credo, pro tuâ eruditionis ambitione, Scioppi. Certè quidem humanis Legibus quà ſacris, quà profanis eſſe ita ſanctum conſtat, tum *cap ob carmen*. 4. *quæſt*. 3. vnà cum Gloſsâ *ibidem*; tum §l. *lex Cornelia*, 6. *ſi quis librum*, additâ hîc Gloſsâ etiam, *verbo, inteſtabilis*, ff. *de iniurijs*, & *fam. libell*. tum l. *ob carmen*, ff *de Teſtib*. tum l. *cum lege*, & l. *is cui*, §. *vltimo*, ff *de Teſtam*. quæ iura referunt, expendunt, atque illuſtrant Farinacius *quæſt*, 105 *num* 438. Guttierez *Pract. Crimin. quæſt*. 141. *num*. 10. & alij, qui cæteros Doctores longo agmine recenſent; & ego quoque ſuprà *part*. 1. huius *Lydij*. *cap*. 5. animaduerti.

II. Porrò inter crimina, quæ nomen infamiæ ſubijciunt, iniuriæ alteri oblatæ, nominatim numerantur, ac proptereà eum, qui actione, vel iudicio iniuriarum vrgetur, mox populo in infamiam poni, apertè decernitur l. *iniuriarum*, & l. *ſi te*, C. *Ex quibus cauſis infam. irrogatur*, & tradunt diſertè Hugo Donell. *lib*. 18. *Comm. cap*. 8. vbi Oſſualdum quoque memorat Ludouicus Molina *Tom*. 5. *de Iuſt. diſp*. 9. Dom. Amaya in l. *vnica num*. 54. C. *de infamibus*, & Petrus de Auiles in *Apolo-*

getico contra Ioannem Spinum *art.3.num* 379. redditque rationem commodiſſimam Pichardus in *§. Ex quibuſdam, Inſtit de Pœnis,num*.14. hoc pacto ſapienter diſſerens: *Iniuriarum autem iudicium infamiam irrogare, iuſtiſſimum eſſe, quis dubitet? Nam quum is, qui iniuriam facit, in contemptum, & infamiam alterius id aggrediatur* &c. *Æquum eſt, eum potius infamiam ſubire, & exiſtimationis damnum, vt in illam incidat, quam aduersus alium machinatus eſt.*

III. Quorſum iam iſta euadant, Scioppi, non es, puto, nare tam ſtupidâ, vt non facilè odoreris. Quàm innumeras enim tu iniurias, quàm indignas, quàm magnas, quàm acerbas pleriſque viris integerrimis intuliſti? quàm inſignes Religioſis hominibus, & Ordinibus irrogâſti? quàm graues Sacerdotibus, & Clericis impoſuiſti? quàm atroces Epiſcopis, *Cardinalibus*, & Pontificibus Maximis conflauiſti? quàm nefarias in Principes, in Reges, in Imperatores, in Reſpublicas, ac Prouincias immiſiſti? quid muginaris? quid abnuis? quid obluctaris? quàm certis exploratiſque tabulis, quin & tuiſmet verbis ipſiſſimis iſtorum omnium piaculorum reus ſuperiùs *cap*. 5. à me peractus, & conuictus es? Quàm explicatè verò Laurentius Forerus, quàm ſeriò, quàm acriter ob hæc tua flagitia tam immania actionem iniuriarum, atque iudicium in ſuo *Antimelandro*, in *Antanatomia*, in *Mantiſſa*, in *Proteo*, & in *Appendice* tibi intendit? Quàm multiplex igitur, quàm fœda ex tot tantiſque iniurijs ſceleratè factis ad te redit infamia? quàm honeſta macula? quàm probroſum dedecus? quàm exaggerata ignominia? iuſtiſſimâ nimirum talionis lege, vt quàm multos tuâ effræni maledicendi procacitate infamare, ac dehoneſtare tu ſtuduiſti, totidem planè infamiæ ſtigmata, & dehoneſtamenta tuæ fronti inurantur.

IV. At

IV. At ex cunctis iniurijs grauiſſima, minimèque ferenda ea, quæ famoſo libello proſcripto, alterius exiſtimationem lædit, apud omnes gentes perpetuò habita eſt. Quocirca famoſorum huiuſmodi libellorum tum Auctores, tum editores maximâ infamiâ, vt ex Imperatorum ſcitis compertum eſt, adſpergũtur, ac proinde nullâ penitùs fide digni, omninoque inteſtabiles, qui neque teſtamentum ſcribere, vel facere, neque teſtimonium dicere vllo modo poſſint, atque à cunctis tribunalibus arceantur, ſine controuerſiâ cenſentur, vt ex laudatis anteà Sanctionibus, l. *ob carmen*, ff. *de teſtibus*, l. *cum lege*, & l. *u*, *cui*, § *vltimo*, l. *lex Cornelia*, §. *ſi quis librum*, vnà cum Gloſsâ, *verbo*, *Inteſtabilis*, ff. *de iniur.* perſpicuè dilucet, iuriſq; Conſultiſſimi ſolide conficiunt, Angelus in relatum, § *ſi quis librum*, *num.* 1. & 4. Gloſſa in *cap*, *de primâ*, *Verbo*, *De primâ*, 5. *quæſt* 1. Bellamera *ibid num.* 1. Archidiaconus in eundem locum *num.* 1. Alexander, & Turrecremata in *cap qui in alterius*, *eâdem cauſâ*, *& quæſtione*, idemque ſentiunt, ac docent Summa Angelica *Verbo*, *libellus famoſus*, Silueſter in *Summâ*, *eodem verbo*, *quæſt.* 5. Azo in *Summâ*, *de iniur. num* 5 Petrus à Plach in *Epitom delict lib* 1 *cap.* 3. *verſ ex principali tandem.* Burſatus *Conſ.* 10. *num.* 55. Clarus in *pract. crim* § *Teſtamentũ*, *quæſt.* 25. Capra *Concluſ.* 111. *num* 199. denique Proſperus Farinacius *part.* 3. *Praxis Crimin quæſt.* 105 *num.* 437. Quot verò tu, Scioppi, famoſos libellos ſummoperè iniurios, contumelioſos, infandos, execrabiles, longè tæterrimos in omnes Reipub. Ordines, condidiſti, emiſiſti, proſeminâſti? Catalogum eorum iam ſuprà *par.* 2. *cap.* 1. deſcripſi, illoſque omni conuiciorum ac dedecorum labe eſſe contaminatiſſimos, & refertiſſimos toto huius Operis paratu demonſtraui; tibi autem vni parenti, fabro, promocondo aſſerendos in meis *Vindicijs*, *cap.* 4. 5. 6. & 7. planiſſimum feci.

Quid igitur ex tam fœcundâ libellorum famoſorum tuâ ſegete, Scioppi, lucratus es, niſi quod opimam improbamque infamiæ meſſem tibi demeſſuiſti.

V. Verùm ſi qua turpis, & propudioſa infamia eſt, illa ſanè eſt, quâ Hæretici ſiue manifeſti, ſiue occulti, ſeu ipſo iure, ſeu ipſo facto, vt aiunt, laborant, aut pulſantur. Sed num hanc ſubeant iure ipſo, ſtatim ab editâ Hęreſi, etiam ante Iudicis ſententiam, Doctores inter ſe controuerſantur, ac pleriique inficias eunt, ſed diſertè affirmant, pugnantque validè Alphonſus à Caſtro *lib.2. de Iuſt. Haret. punit cap.9.* Azeuedo *lib 8 recop. tit.3. lib 3. num 12.* Peregrinus *de iure fiſci, lib.5. tit.1 num.172. verſ Notandum tamen.* Cæterùm ſi crimen Hæreſis *euidentiâ facti*, vt loquuntur, *notorium* ſit, tunc facti infamiâ Hæreticum extemplo notari, ex ijs, quæ paulò antè *num.1* obſeruaui, palàm colligitur, & compluribus documentis euincunt. Azor *part. 1. lib.8. Inſtit. cap 13* poſt *quaſt* 7. in *ſeptima Hæreticorum pœnâ*, & Sanchez *lib.2. in Decalog cap.26. nū.2.* Quot verò, Scioppi, & quàm multa Hæreſis capita, quot nomina, quot teſſeræ, quot verrucæ te vrgent? quid attinet iſta hoc loco otioſè repetere? Iam hæc cuncta produxi, recenſui, expendi, confirmaui, eaque nota, vulgo eſſe, ac manifeſtaria, vt nullâ tergiuerſatione à te celari, vel negari queant, oſtendi. Totidem igitur nominibus in tam variam rurſus, ineluctabilemque infamiam accedis, quique alios ſummis ignominijs appetere contentè adeò enixus es, omnium maximè ignominioſus exiſtis. Dignum prorſus patellâ operculum, tuâque Hæreſi diadema; poſtrema verruca, ſed prima ſtrena.

LA-

LAPIDIS LYDII PARS QVARTA.

Expoſitis hactenus, accurateq; probatis multiplicis tuæ Hæreſis, Scioppi, Teſſeris, & Verrucis; ſuperſunt pauca quædam de nonnullis eiuſdem tuæ Hæreſis adiunctis, ſeu attributis corollaria quàm breuiſsimè hoc poſtremo loco examinanda.

Cap. I.

Qualis Hæreticus Scioppius ſit, quo iure appellatus, & publicatus Hæreticus.

I. EX *Lydio* iſto *Lapide* tui ingenij, ſpiritûs, ac morum hucuſque elaborato, abunde iam, Scioppi, in aperto eſt, te Hæreticum eſſe minimùm materialem, ſeu *obiectiuum*, vt *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 12. tempeſtiuè denuntiaui. Nam quum Hæreticus materialis ille ſit, vt *part.* 1. *cap.* 1. *num* 9. notaui, qui materialem Hæreſim committit, hæc autem eadem omnino ſit, ac propoſitio Hęretica, ſeu quæ propoſitioni fide credendæ aduerſatur, vt *ibidem, num.* 3. & 4. indicaui; quo pacto, quæſo, tu huiuſmodi materialis Hæretici nomen, labemque potes eluere, qui tam multas propoſitiones Hæreticas coagmentâſti, ſcriptisque mandâſti? præſertim quia Hæreticus etiam dicitur, laxatâ paululùm huiuſce nominis notione, *Quiſquis in Hæreſim quomodolibet lapſus eſt*, vt eodem loco *num.* 9. ex Alphonſo à Caſtro animaduerti. At tu quoties in pleraſque Hæreſes varijs modis incidiſti? ruiſti? præcipitâſti? *Lydius*

hic meus locupletiſſimus teſtis eſt. De nomine igitur ac probro materialis Hæretici, quin vtrumque tibi omnino hæreat, nemo iure poteſt ambigere.

II. Quid verò de appellatione, & ignominiâ formalis Hæretici, Scioppi, exiſtimas? Subeat te recordatiò, quod *part.* 1 *cap* 1 *num*.12.monui,eum, qui propoſitionem non ſolùm fide credendam, ſed Theologicam quoque dumtaxat inficiatur, quanquam Hæreticus formalis, ſeu pertinax reapſe minimè ſit, nihilominùs tamen in foro externo formalem *præſumi*, ac reputari. Quanto magis ergo tu, qui tot propoſitiones non Theologicas tantummodò, ſed fide etiam credendas, vt ſuis locis ſuprà reuici, præfractè negâſti, Hæreticus formalis in foro externo,de quo iam loquor,iure cenſeris? Quid quod Arnaldus Albertinus *lib. de agnoſcendis aſſertionibus, quæſt*.19. *num*.25. enucleatè docet, manifeſtum Hæreticum eum eſſe habendum, dijudicandumque, qui Hæreticorum errores propugnat? Talem igitur te fatearis,neceſſe eſt, qui Hæreticis omnibus generale patrocinium gratificatus es, qui librorum Hæreticorum cauſſæ nefariæ aduocatus fuiſti, qui te Hæreticum palàm,abiectâ perſonâ,tandem profeſſus es,vt *part* 2. *cap*.14. 19.& 20. perſpicuo in lumine collocaui.

III. Sed mitto iam de materiali, vel exiſtimato Hæretico plura quærere; de formali percontor te, Scioppi, quid ſtatuas, immunísne huiuſmodi notæ reuerâ ſis. At priùs reuoco tibi in mentem, quod *part.* 1. *cap.* 1. *num*.5.tradidi, ad formalem Hæreſim, Hæreticumque, pertinaciam omnino deſiderari; ad huiuſmodi autem pertinaciam, doctrinæ alicuius ab Eccleſiâ propoſitæ tanquam Catholicæ cognitionem eſſe neceſſariam; eumque, qui prudens contra talem doctrinam errat, pertinacem iam reputari,vt *ibidem,num*.8. expoſui.

IV. Nunc

IV. Nunc porrò ſimpliciter, & porrò candidè te interrogo, Scioppi; quam Catholicorum dogmatum, contra quæ tam multas Hæreſes, ſeu propoſitiones Hæreticas vomuiſti, ignorationem potes obtendere? rogo, quam? Sine pauliſper, animi tui nonnullas venas modo pertentem. An te fugit, vbi nulla alia ratio ad refractarios Hæreticos inſaniam dedocendos, Eccleſiæque Catholicæ reddendos ſuppetit, licere, atque operæ pretium eſſe, armis eos aggredi, & ad fidem Catholicam, vel ad debitas pœnas perſoluendas cogere, ſcitumque huiuſmodi Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ Suffragijs ratum, fixumque eſſe? Imò quid apertiùs, ac frequentiùs tuo calamo prædicâſti? quid attinet hîc ſingula loca, & verba tuis è libris expreſſa, quæ ſuprà *part* 2.*cap*.7.*num* 9 & *par* 3 *cap*.8. *num*.10. congeſſi, fruſtra replicare? Quàm articulatè in tuo *Hypobolimæo*, *pag*. 329. vt reliqua diſſimulem, ſcribis: *Conſtitutionibus Imperatorijs, & Legibus de Hæreticis vltimo ſupplicio afficiendis plenum eſſe titulum Codicis de Hæreticis; haſq́ Leges à Sanctis Patribus, laude digniſſimas fuiſſe iudicatas?* quàm diſtinctè in tuo *Eccleſiaſtico*, *pag* 379. fateris, *Deum promiſiſſe Eccleſiæ, fore vt lupi de medio tollantur: Hæreticos autem eſſe lupos: Itaque tollendos, non manu, ſed ferro, & igni?* Nihilominùs hanc Eccleſiæ Catholicam doctrinam à te agnitam, à te laudatam, à te toties tuo obſignatam ſigillo, poſteà in tuâ *Aſtrologia Eccleſiaſtica*, quam tuo proprio nomine ſine fallaciâ addito vulgâſti, tuamque genuinam eſſe prolem in tuorum librorum Catalogo tu ipſe teſtaris, manifeſtò explodis, Satanæque miniſtros, & ſubdolos operarios, qui id ſuadeant, inſolenter pronuntias, vt iam anteà, illo *cap* 7.*num* 10.*par*.2. & *cap*.8. *num*.10 *par* 3. luculenter oſtendi. Nulla igitur inſcientia hic tibi præſidio eſſe poteſt, vbi tè quæſita prodit malitia.

V. De Societatis verò noſtræ Inſtituto quid ſentis? Id ego, quantum ad ſimplicia vota, impugnari ſine Catholicæ fidei fraude non poſſe, iam ſuprà *part 2.cap.*8. probaui. At tibi, Scioppi, quid videtur? an tibi, hoc iam dudum probè non enotuit? an neſcius es? qui autem? an non vulgo compertum, te in omnibus ijs, quæ ad Ieſuitas quoquo modo ſpectant, indagandis, eruendiſque admodum eſſe induſtrium, & ſagaciſſimum? an non perſpicuum, te in Ieſuitarum libris, qui eorundem Inſtitutum explicant, rimandis ſedulum, atque in excutiendis bene eſſe volutatum? an non extra controuerſiam certum, huiuſmodi Inſtituti Apoſtolicam approbationẽ iam pridem tibi fuiſſe perſpectã? Túne Pontificiæ iſtius ſanctionis ignarus ſis, qui in tuâ *Mulſi fideliâ*, quam proprio tuo nomine Moguntiæ luci commiſiſti, explanatè *pag.* 118. aſſeueras, Societatem Ieſu *ad tutandam Catholicæ Fidei veritatem, & Religionum inſtaurationem diuinitus eſſe excitatam?* qui in tuo *Amphotidum Scioppianarum* libro Pariſijs foras dato *pag.* 128. conſignatiſſimè credere te ais: *Societatis Ieſu Inſtitutum ab ipſo Deo Auctore profectum, totiq; Reipub. Chriſtianæ non modò ſummopere vtile, ſed omnino neceſſarium eſſe, neque cuiquam ſine ſcelere aliter videri poſſe?* qui in *Anatomia, pag.* 15. diſertè mones, *neminem Catholicorum non magnopere commendare poſſe Societatis Inſtitutum ſiue propter Apoſtolicæ Sedis approbationem, ſiue propter Conditoris pietatem?* Túne in hoc eodem Inſtituto hoſpes planè ſis, qui in tuâ *diuinarum & humanarum literarum Padiâ*, tuorum librorũ tum emiſſorum, tum emittendorũ Catalogum texens, inter hos *pag.* 13. recenſes etiam *Examen diſciplinæ Scholaſticæ Societatis Ieſu, tam morum, quàm diuinarum & humanarum literarum ratione?* Túne ignarus, & peregrinus, qui in eodem libello *pag.* 18. hoc aliud Opuſculum à te elucubratum memoras: *Sta-*

teram Religioſam, ſiue Examen operæ pretij Monachorum, & Ieſuitarum in procurandâ proximorum Salute? Quâ ratione igitur, Scioppi, qui in Ieſuitarum Inſtituto examinando, ponderandoque tam multus es; qui in horum libris voluendis tam aſſiduus; qui illud ab ipſo Deo profectum, & Chriſtianæ Reipub. omnino neceſſarium, nec aliter cuiquam ſine ſcelere videri poſſe vociferaris; qui geminam etiam trutinam tum diſciplinæ, tum operæ pretij Societatis Ieſu fabricâſti; Gregorij XIII. Pontificis Maximi diploma, quo idem Societatis Inſtitutum confirmat, in noſtris libris toties inculcatum; noſtrique Suarez diſputationem, quâ illud ipſum Inſtitutum ſine Fidei Catholicæ errore conuelli non poſſe vincit, de quo ſuprà *par.* 2 *cap.* 8. enucleatè ſatis ſuperque, nunquam legiſti? nunquam attigiſti? nunquam inſpexiſti? Scilicet. Imò nihil horum ſanè, te adeò ſatageum, totumque oculeum fefellit. Tamen eiuſdem Inſtituti tibi in theatro propoſiti, pernoti, & decantati vota ſimplicia, vt eodem illo *cap* 8 patefeci, exagitâſti, arietâſti, vulnerâſti, conſputâſti. Fruſtra igitur tuæ iſti Hæreticæ amentiæ, ignorantiæ vela potes prætexere.

VI. Quam vero rationem, Scioppi, de Politicâ Macchiauelli doctrinâ nunc mihi exigenti reddes? Quid opinaris? quæ tua mens? quæ ſententia? Grauiſſimi profectò Scriptores iam ſuprà *par.* 2 *cap* 14. recitati, qui magiſtrum illum impietatis refutant, eiuſdem dogmata Hæretica, ipſumque Hęreticum pronuntiant, ac proptereà eiuſdem quoq; monumenta Politica, in primam librorum prohibitorum claſſem, vnà cum Hęreticis, Pontificio interdicto relata commemorant. An non hæc res omnino clara eſt, totoque Chriſtiano Orbe celeberrima? an te vnum duntaxat præterit? Quaſi verò cuncta hæc tam probè non teneas, ac propriũ

tuum nomen, vſque adeò, vt in tuâ *literarum Pædia, pag.*17. explicatè etiam edicas, Apologiam à te conſcriptam, quâ Eccleſiæ decreta de Macchiauelli libris defenduntur. Nihilominus Hæreticam hanc eiuſdem Macchiauelli doctrinam ab Eccleſiâ damnatam tibique cognitam, deinde in tuo *Logicarum Suppetiarum* libello, quem tuo proprio addito nomine euulgâſti, non ſolùm approbâſti, ſed operosâ etiam ſycophantiâ propugnâſti; Eccleſiæ decreta, etſi per Hæreticam fraudem à te defendi mentitus es, reapſe tamen deſpicatui habuiſti; Catholicos Scriptores, qui Macchiauelli doctrinam Hæreſis, atque impietatis conuincunt, tanquam imperitos, & plebeios irriſiſti; Apologiam, quâ innocentia Macchiauelli propugnatur, à te conflatam, Macchiauellicorum operæpretium à te coagmentatum, Synopſin libri de Principe Macchiauelli à te coactam, exporrectâ fronte gloriatus es, quemadmodum ſuprà *par.* 2. *cap.* 13. 14. & 15. commonſtraui. I nunc, & ab incogitantiâ tuæ iſti Hæreſi patrocinium quærito; mox omnium riſu pedumque ſupploſione dignè conſalutandus.

VII. Sed quid opus ſingularibus de tuâ ſingularum Hæreſum notione documentis? quum tu ipſe, Scioppi, Hæreticis ſatus parentibus, atque in Hæreſi educatus, vbi poſteà ad Catholicæ Eccleſiæ ſigna te recepiſti, auitos errores, hauſtasque vnà cum lacte Hæreſes dediſcere, ſingillatimque execrari ex Chriſtianâ lege neceſſe habueris, ac proinde cuncta ea deliria clam te eſſe, nullo modo potuerint? Quid quod in Catholicorum album iam adſcriptus, artem refellendi Hæreticorum adeò profeſſus es, vt non ſolùm in ipſorum aduersùs Romanam Eccleſiam controuerſijs apprimè verſatum te eſſe facilè perſuaſeris, ſed illorũ etiam omnium, quicunque huiuſmodi de Catholicâ re-

gione

gione concertationibus ſtuduerunt, eâque re fidelem operam Apoſtolicæ Sedi hactenus impenderunt, porroque ſtrenuè admodum nauant, magiſterium tibi ambitiosè vindicaueris, quin principatum quoque ſuperbiſſimo libri à te confecti titulo in tuâ *Literarum Pædia, pag.*11. proſcripto, impotenter inuaſeris, exertiſſimè pollicitus: *Pædiam Theologiæ Agoniſticæ*, vt ſuprà quoque retuli, *cuius vſus*, inquis, *erit, vt Theologiæ Scholaſticæ origo, progreſſio, & inclinatio, tum vera Hæreſeos refellendi ratio, etiam ſapientiſſimis, & exercitatiſſimis Theologis parum adhuc perſpecta?* quid quod in eâdem *Literarum Pædia, pag.*18. octo volumina, quæ in Hæreticos literis olim mandâſti, enumeras? quid quod multis antè annis Apologiam pro Cardinalis Bellarmini Controuerſijs aduersùs Hunnium Hæreticum emiſiſti? quid quod tuis in libris denique cognitionem controuerſiarum tum eiuſdem Bellarmini, tum aliorum Catholicorum aduersùs Hęreticos, identidem præ te fers habere quàm maximam? Quo pacto igitur tibi tam ſollerti Controuerſiarum omnium, quæ de fide Catholicâ agitantur, venditatori, ac præconi latêre potuit, aut poteſt, cunctas illas Hæreticas propoſitiones, quarum à me anteà *part.*2. validè conuictus es, à Concilijs, à Patribus, à Pontificibus, atque ab Eccleſiâ fuiſſe iugulatas? Ne tu bipedum ſtupidiſſimus es, ſi tuæ Hęreſi tam variæ, vllum inſcitiæ, aut ignorationis aſylum relictum arbitraris.

VIII. Quibus accedit inſuper, quod errores, quorum te poſtulaui, Scioppi, non de rebus dubijs, obſcuris, aut in caſu poſitis, ſed de certis omnino, perſpicuis, atque ab Eccleſiâ Catholicâ iam pridem ſancitis explorati ſunt, atque adeò tibi etiam comperti. Adde prætereà, quum error fidei Catholicæ aduerſus, in illis rebus verſatur, quas ex officio quis tenere debet, vel quas homines talis

condi-

conditionis communiter ſciunt, ſi inculpatę ignorantiæ ſcūto tueri ſe velit, in foro externo ei minimè credi, vt *part.1.cap.1.num.7.* vnà cum Doctoribus obſeruaui; Quid autem hominis, tu, quæſo, Scioppi, es? Is nempe, qui non ſolùm omnium quæſtionum de Fide Catholicâ ab Hæreticis pulſatâ articulos tibi perceptos, & pertractatos; ſed ſapientiſſimos quoſque Theologos, atque exercitatiſſimos à te doceri apertè fers; ac proinde tuum ad officium ſpectat, nihil iſtorum à te ignorari; quumque qui tali funguntur munere, hæc paſſim calleant, non eſt, cur inſcientiæ fucō tuam hîc nequitiam oblini amplius poſſe ſperes.

IX. Quare quum Hæreticas propoſitiones non ſolùm vtcunque enuntiaris, ſed prudens quoque, ac ſciens, quamuis eas eſſe Hæreticas, atque ab Eccleſiâ damnatas non ignorares, præfractè tamen propugnaueris, vt planum feci; iam Hæreticum te eſſe non modò *obiectiuum*, vt vocant, & materialem, ſed pertinacem etiam, & formalem, ex ſcito antè *num.3.* indicāto manifeſtum eſt. Adijce verò, quòd Hæreticus pertinax & formalis, vt Arnaldus Albertin⁹ *lib. de agnoſcendis aſſertionibus, q.30.nū.38.39.40.* & 40. egregiè probat, ille ſine dubio eſt qui aſſertionē aliquam Catholicam, quam anteà fuerat confeſſus, poſteà inficiatur. At tu, Scioppi, Catholicas doctrinas tum hîc breuiter repetitas, tum *part 1.* in ſingulis Teſſeris fusè explanatas quoties agnouiſti? quoties laudâſti? quoties extuliſti? poſtmodò autem quoties deſpexiſti, obtriuiſti, exploſiſti? Ergo teſtatâ, & confeſsâ pertinacis, & formalis Hæretici compede, planè teneris. Porrò quum hanc tuam pertinaciam Hæreticam etiam in ipsâ tuâ *Aſtrologia Eccleſiaſtica*, atque in tuis *Suppeſijs Logicis*, quos libellos & tuo inſcriptos nomine publicâſti, & in tuorum Operum Catalogo, tuos eſſe fateris, detexeris; quis non & reliquarum

rum etiam Hæreſum, quas alijs in Codicibus ſuppoſititio illuſis nomine enixus es, ſuſpicione, iure optimo te adſpergat, tametſi te eorundem Codicum germanum eſſe Auctorem, argumentis non omnino ineluctabilibus vinceretur? quanto magis autem, quum documenta firmiſſima, quæ hoc ipſum prorſus extorquent, vt in meis *Vindicijs cap* 4 ſ. 6. & 7. oſtendi, abunde ſuppetant?

X. Verùm tua in Hæreſi, pertinacia eò nobilior, atque execrabilior, Scioppi, eſt, quò de tuis Hæreticis erroribus, non tantùm à mutis, & tacitis Catholicorum libris certior factus, ſicut hactenus expendi; ſed etiam à viuis doctiſſimorum virorum oraculis monitus, reſipiſcere noluiſti, inſanire perrexiſti, intolerantiâ incredibili eximia caritatis officia vltus es; quæ pertinacis Hæretici nota germaniſſima vtique eſt. Quippe refractarius Hæreticus *ſimul atque à quopiam fuerit admonitus*, vt ſapienter Alphonſus à Caſtro *lib.* 1. *aduersùs Hæreticos, cap.* 14. philoſophatur, *ſtatim pro benefacto regerit maledictum, conuicijs, & contumelijs inſaniens, impatiens ab alio doceri. Si enim commonefacis, vt ab errore reſipiſcat, non emendatior, verùm deterior, & peſtilentior euadit. De his ait Paulus:* Mali homines, & ſeductores proficiunt in peius, *in errorem mittentes, & ipſi errantes. Huius rei apertiſſimum ſe nobis præbuit exemplum Lutherus, qui quum pauculos quoſdam à principio effutijſſet errores, de eis admonitus à pluribus doctis viris, tantum abfuit, vt recantare vellet, vt peiores multò plures addiderit errores. Deinde verò quum à Sereniſſimo Anglorum Rege per Scripturam fuiſſet correptus, quumq; regratiari illi debuiſſet, aut ſaltem modeſtè reſpondere, conuicijs, & iniurijs eum affecit. Demum quum à Summo Pontifice Leone Decimo admonitus obedire nollet, bonus Paſtor, ne ouis putrida reliquas attactu inficeret oues, ab ouili Eccleſia*

cleſia procul abegit. Huius autem cenſura Lutherus impatiens, cœpit debacchari in Pontificem Romanum, & reliquos omnes Eccleſia Ordines. Hoc igitur manifeſtum eſt Haretici ſignum, medicinam nullam ferre, nullam manum medicantis admittere: vnde euenit, vt inſanabilis permaneat. Quomodo enim curari poteſt, qui ſe tractari non patitur? aut quo modo tractari poteſt, quem ſi quid doces, nugatur? ſi quid mones, iraſcitur? ſi quid hortaris, obnititur? ſi quid placas, incenditur? Hæc Alphonſus à Caſtro ad rem præſentem accommodatiſſimè.

XI. Nam quo, obſecro, penicillo vir grauiſſimus tuos nobis mores, Scioppi, aptiùs, quàm huiuſmodi oratione, potuit exprimere? Quid enim? quum veſanæ doctrinæ pleraque portenta quà in familiaribus colloquijs, quà in Codicibus typo impreſſis, tibi Catholicæ Eccleſiæ vtcunque iam adiuncto excidiſſent, neque dubia multorum errorum veſtigia apparerent; quàm frequenter ab amicis, eruditisque viris, vt eos antiquares, atque ad ſanitatem redires, rogatus es; & tamen contempſiſti, multoque nocentius tuæ virus perfidiæ ſubinde exhalâſti? Quid poſthæc? quàm grauiter, quàm ſeriò P. Laurentius Forerus, vir quantus? in Catholicæ fidei Controuerſijs, vt cætera ſilentio inuoluam, maximè volutatus, compluribus monumentis in Hæreticos euulgatis inclytus, Conſcientiæ Illuſtriſſimi Henrici Epiſcopi, & Principis Auguſtani arbiter, atque à teipſo in libro, quem *Fundamenta Pacis* inſcripſiſti, doctiſſimus Societatis Ieſu Theologus nuncupatus, aurem vtramque tibi peruulſit, varijsque Apologeticis publicatis, te de tuâ amentiâ, peruerſiſque opinionibus liberè admonuit, neque tu huiuſmodi admonitionis ignorationem, vt in meis *Vindicijs, cap.* 4 § & 14 §. 1. reuici, vllo modo cauſſari potes? ſed quod tu hinc operæ pretium feciſti? num ob

ob tam ſingulare beneficium gratias illi egiſti? num ad frugem te correxiſti? Imò alios infames libellos, haud paruo cæteris turpiores multo impudentiùs, quàm antè, proſeminâſti. Quid exinde? Strinxit tandem & ipſa Apoſtolica Sedes gladium ſuum, noxioſque tuos Codices interdicto damnauit. At num tantæ Maieſtatis auctoritas te deterruit? num flexit? num mitigauit? Nihil minùs. Eadem tu volumina iam damnata obſtinatè retinuiſti. Parum eſt. Eadem alijs quoque legenda dediſti. Non eſt ſatis. Eadem per Catholicorum manus ire curâſti. Adhuc exiguum. Eadem, iteratâ editione, ſolo ferè titulo variato, paucisque verbis additis, vel detractis (vt ſuprà *part. 2. cap. 14.* & in meis *Vindicijs, cap 4. 5. & 6.* palàm feci) recudiſti. Hoc verò improbum valde. Nondum tamen tuam nequitiam exhaurit. Alia inſuper peruerſorum aconita dogmatum, multo magis adhuc tabifica poſteà fudiſti, ac Lectoribus propinâſti. Sed an oblitus, Scioppi, es, quod *part. 1. cap. 1. num. 10* & 11. notaui, eum, qui à viro docto de aliquâ Hæreſi monitus, hanc continuò à ſe non relegat, pertinacem, & formalem Hæreticum omnino cenſeri? Regredere in memoriam. Exploratum eſt. At te à doctiſſimis viris, de tuis Hæreticis erroribus ſæpius, & fruſtra monitum eſſe, æquè certum. Igitur & pertinacem, formalemque te Hæreticum quoque eſſe, pariter indubitatum.

XII. Quid quæris ampliùs? Proſperum Farinacium actutum conſule, atque ex communi Doctorum ſententiâ, nemine refragante, libro de *Hæreſi, quæſt.* 180. *num* 14 ab eo diſcito, illum, qui librum Hæreſes continentem ſcripſit, Hæreticum eſſe & quidem pertinacem. Iacobum Gretſerum adi, atque ex *part. 1. Supplementi pro duobus libris de iure, & more,* &c. animaduerte, Hæreticorum morem eſſe, vt ex deſtinato illic oſtendit, *vulgare libros*

Anonymos

Anonymos ſub falſo nomine Eundem *cap.* 2. proximè perlege, atque ex eo obſerua, *Hæreticorum proprium eſſe*, quod permultis documentis ibidem euincit, *libros ſupponere, & falſare.* At tu, Scioppi, quot libros Hæreticos ſcatentes erroribus exarâſti, ac vulgâſti? quot ſine nomine, vel falſo appoſito, foras emiſiſti? quot è fraudibus, corruptelis, ac dolis coagmentâſti? cui Hæreticorum in iſtâ deprauandi decipiendique palæſtrâ quicquam conceſſiſti, aut nunc concedis? Si hîc repugnas, aut hiſcis, meus hic *Lydius*, meæque *Vindiciæ* mox tibi vocem omnem includent. Ergo communibus Doctorum ſuffragijs Hæreticus pertinax renuntiatus, omnino teneris. Quocirca ab Eminentiſſimo quodam Purpuratorum Patrum, quum fortè mentio de te incidiſſet, meritò aſſeueratum intellexi, te ipſum maximum omnium noſtri temporis, qui in Europâ verſentur, Hæreticum exiſtere.

XIII. Quid plura? tu ipſe, Scioppi, iam Catholici faſtidiens nominis, ne dum vitæ, Lutheranæ Hæreſis Sectatorem, atque Alumnum, te tum in *Actione Perduellionis*, tum in *Flagello Ieſuitico*, vt Forerus notauit, apertè profeſſus es, tum in *Verdæana Statera* etiam, haud perplexè, vt *part. 2. cap* 20 vidimus, detexiſti. Quis enim in pertinacem, & formalem Hæreticum ſe migraſſe, penituſque eſſe tranſcriptum ſignificantiùs prodat, quàm qui veros Catholicos vocat Hæreticos, contra verò ipſoſmet Hæreticos, verorũ Catholicorum nomine cohoneſtat? qui Apoſtolicam Sedem, peſtilentiæ Sedem, more Hæreticorum appellat? qui *Miſſæ* verendum Sacrificium ludificat? qui pœnitentiæ Sacramentum ſugillat? qui cunctas Diuorum Apparitiones fabulis annumerat? qui Romanam Eccleſiam ab orthodoxâ fide degeneraſſe mentitur? Atqui hæc omnia à te acta, & peracta

cognoſces

cognoſcet ſtatim, quicunque eandem illam Stateram inſpexerit, & quæ ex eâ iam anteà *part.2. cap.*20. excerpſi, regustauerit. Quid mirum igitur, Scioppi, ſi tantum commercij cum Hæreticis, vt ſatis ex hoc Lydio pateſcit, & in *Vindicijs* meis *cap.*4. & 5. præmonſtraui, habes, colis, exerces, foues? Nempe mutuò muli ſcabunt. Ex quibus rite ita concluſis, liquet planiſſimè, te Hæreticum eſſe non modò materialem aut exiſtimatum, ſed formalem etiam, ac verum.

XIV. Reliquum eſt, vt quo iure à me in hoc Lydio, & alibi appelleris Hæreticus, atque hoc inſignitus nomine, toto iam Orbe proſcribaris, paucis ediſſeram. Denuntio in primis, quanquam ego tibi, Scioppi, Hæretici nomen, quantum mihi ex tuis dictis, ſcriptis, & factis licuit colligere, meritò impoſui; nihilominùs; an adhuc in Hæreſi ita perſiſtas, vt Catholici omnes ad te verè Hæreticum compertum, latâque ſententiâ damnatum cenſendum, ac vitandum, nexu quodam adigantur, hoc enimuerò decernere, iudicij tantùm externi, ac publici eſſe, quod nulli priuato conuenit, ſed ad Sedem Apoſtolicam dumtaxat, atque ad illos qui ab eâ ſubſtituuntur, pertinet, quemadmodum *part.*1.*cap.*3.§.1. enucleatè docui; quibus proinde totum id integrum omnino intactumque, vt par eſt, venerabundus ego relinquo.

XV. Deinde aio, quum præter forenſe, & publicum de Hæreſi, atque Hæretico iudicium, aliud quoque de eâdem Hæreſi, atque Hæretico, iudicium priuatum, tametſi omni iuriſdictione, obligandique facultate penitùs carens, licitum ſit, vt eodem illo *cap* 3 & deinceps ad 10. vſque validiſſimè commonſtraui; Hæretici nomen tibi à me iure optimo inditum, libriſque in lucem editis rectè peruulgatum. Quis enim, Scioppi, neſcit, fas vtique, vel ipsâ naturâ prælucente, eſſe, ſæuientes

tes lupos à caulis arcere, clam inſidiantes voce, & clamoribus, quò faceſſant, prodere, obſtinatè graſſantes excitatâ, euocatâque totâ viciniâ repellere? Quis verò hunc *Lydium* verſet, quis *Vindicias* meas voluat, qui te lupum Hæreticum eſſe non materialem tantummodò, ſed formalem etiam, vt probaui, illico vel manibus ipſis, ne dum oculis, non deprehendat? Quid ni igitur mihi integrum, & officium Religioſo planè viro dignum ſit, tam infeſtum lupum, iſtius ope *Lydij*, fucatâ ouis pelle detractâ, Chriſtianæ Reipub. detegere, & conſpiciendum præbere? Scioppi, quid indignaris? quid quereris? Hæreticum equidem te nomino, atque oſtendo, ſed veterum, & Sanctorum Patrum ductus exemplo, ſed Claſſicorum Doctorum nixus auctoritate, ſed Maximorum Pontificum fretus decretis. Quid obgannis? id officij Hiſtoricorum conſuetudo mihi perſuaſit, id iuſtæ defenſionis neceſſitas iniunxit, id famæ atque innocentiæ plurimorum, quam nefariè dilaniâſti, tuendæ ſtudium imperauit, quid fremis? Ipſamet Catholica Religio tuis Hæreticis libris, & moribus grauiter ſauciata, iuſſit me, quocumque modo poſſem, tot detrimentis à te ipſi importatis obuiam ire. Quid obſtrepis? Haud ſatis, verſipellis Protee, eſt, quò ſerpens tuæ Hæreſis contagio coërceatur, tuum nomen ad Sacrorum Quæſitorum tribunal deferri, ſed, ne tuæ fraudes, doli, vitioſa doctrina, mores flagitioſi Catholicis hominibus imponant, ſimplicesque, vel oculatos etiam, ſed minùs ſuſpicioſos porrò irretiant, ac circumueniant, neceſſe prætereà eſt, cuncta tam ſubdoli veteratoris lineamenta chartis illinere, publiceque ſpectanda vulgare, vt ex ijs, quæ *par. 1.* toto illo *cap 5.* copiosè diſceptaui, perſpicuè teſtatum eſt. Quid quod alia caritatis remedia ad te adeò efferatum Cerberum mitigandum, cicurandumque

dumque, fruſtra tentata ſunt omnia; ac proinde opus mihi omnino fuit, hæc alia machinamenta ad te comprimendum periclitari?

XVI. At tu rurſum oblatras, mihique furenter iraſceris, quòd te virum honeſtiſſimâ famâ celebratiſſimum tam inhoneſto Hæretici nomine per ſummum nefas dehoneſtare non dubitem. Sed in quem, rogo, Scioppi, iſtum ſtomachum iam erumpis? an in me? in me, qui cunctas vitæ tuæ rationes, in tabulas iam dudum relatas præſto habeo? Narro tibi; Etiamſi darem tibi, & tui gratiâ fingerem, Catholici viri famam adhuc integram, incolumemque tibi ſuperare, teque Hæreticum occultum omnino eſſe: nihilominùs mihi hodieque ius fasque eſſe, nomen Hæretici publicè tibi imponere, emiſſoque in lucem libro, vniuerſo Orbi cum tuæ etiam famæ iacturâ denuntiare. Quid ita? quia quum hinc certum fixumque ſit, famoſos libellos complures à te fabricatos in lucem exijſſe, vt in meis *Vindicijs, cap* 4. 5 6 & 7. reuici; hos autem eoſdem libellos multiplicis Hæreſis peſtiferâ contagione afflatos eſſe, iam ſuprà *part.* 2. & 3. huiuſce *Lydij* docuerim; illinc verò propius fidem ſit, & cuique ſpectatiſſimum, Hæreſim à te, doloſo lupo ouis corium mentiente, ijs, quibuſcum agis, blandiſſimè inſtillari? ſolutum mihi, liberumque eſt, ad tantam Hęreſis perniciem auertendam, (quæ aliter auerti omnino nequaquam poteſt) delato priùs tuo ad Sacræ Fidei Præſides nomine, te Hęreticum appellare, vulgatoq; poſtmodum etiam libro, etſi Hæreticus clancularius fores, cunctis te patefacere, Lectoresque omnes, vt ſibi à tui conſortione omnino caueant, admonere; vt ex ijs, quæ *part.* 1. *cap* 3. §. 6. expendi, apertiſſimè dilucet. Damnum prætereà, quod ex tuorum infamium Codicum Hæreticis dogmatis, & calumnijs tum in Catholicam Fidem, tum in maximorum; & Re-

ligioſorum virorum innocentiam redundat, planè grauiſſimum, eiuſmodi eſt (etſi nullum aliud prætereà, è tuis moribus in tuos familiares manare, vltro ponerem) vt illud totum leuare, & reſarcire Sacri Inquiſitores, quamuis te etiam æternis tenebris, vinculisq; mandarẽt, minimè poſſint. Nam tua flagitioſa volumina vltra Alpes adhuc impune bacchantur, neq; Italiam intactam linquunt, aliaque detrimenta tum ab his, tum à tuis factionibus, ac fraudibus, Reipub. Chriſtianæ, innoxijsque viris iniunguntur, quibus arcendis, compeſcendisque ijdẽ Inquiſitores pares eſſe nequeunt, vt *part. 1. c. 3. §. 7.* copiosè explicaui. Quum igitur clades immanis à tuâ multijugi Hæreſi, vitâque improbâ, à tuis nefarijs libellis, & moribus illata, quotidie gliſcat, neque à Fidei diuinæ Vindicibus coërceri poſſit, quis non intelligit, fas mihi ſanè eſſe, eam, quoad melius mihi licet, comprimere, Hęreſes tuas retundere, te Hæreticum omnium tæterrimum, quamuis tenebricoſus omnino etiamnũ deliteſceres, vocare, tuâque famâ, ad tantum damnum reſarciendũ, etiam iuſtè oblisâ, cunctis denuntiare?

XVII. Verùm enimuerò, Scioppi, Hæreticus is es, qui nequaquam in latebris, aut in receſſu degis, ſed in publicâ luce, oculisque omnium, Hæreſis iam pridem, vt *part. 2. cap. 2.* palàm feci, infamatus, verſaris. Quocirca meus hic *Lydius*, meæque *Vindiciæ* te Hæreticum nuncupantes, nullâ profectò infamiâ tibi conflatâ, tuam famam turpant, aut obſcurant. Nam iuris infamiam, quæ pœna eſt, atque à Iudice dumtaxat irrogatur, quum ego iudex tui, iuriſdictione, & poteſtate præditus non ſim, nullam tibi meus iſte *Lydius*, nullam meæ *Vindiciæ* inurunt, neque poſſunt inurere, vt liquet: imò ne facti quidem infamiam vllam tibi adſpergunt, quippe Hæreſis iam manifeſto, atque adeò te infamatũ priùs, tantummodò redarguunt, vt pluribus

*part.*1. *cap.*3. §.11. & *cap.*5.& 6. ediſſertaui. Neque eſt, cur iniuriam tibi, cui Hæretici dicam, omne tui patrocinium anteuertens impingo, à me fieri expoſtules; ſi quidem infamiam facti tu ipſe tuis ſceleſtis facinoribus vltro ſubis, quæ præuiæ tui defenſioni nullum locum ſinit, ſed iuſto Dei iudicio, & iure quoque gentium indiuulſa ipſorummet criminum ſemper comes eſt, vt eodem *cap.*3. *part.* 1. ampliùs enucleaui. De conuicijs verò, & contumelijs, ſeu de acerrimo meo tui refellendi modo, ac genere, ſi fortè litem mihi intendas, iam ego hanc in anteceſſum ſuprà *part.*1.*cap.*4.§.3.& in *Vindicijs* meis toto *cap.*10. penitùs diremi; ex quâ vbere, robuſtâque diſceptatione contumelias, & conuicia formalia à meis Apologeticis longè abeſſe; iſtorum autem dictionem ſtylumque quàm vehementiſſimum iure eſſe, extemplo, ac manifeſtò colliges.

XVIII. At tu rurſum negotium mihi faceſſis, deque prauo, atque in te iniurioſo mei animi affectu ſummoperè conquereris. Quid audio, Scioppi? Meum tu animum criminaris? ego in te iniurioſus? meum pectus tui odio, vlciſcendiq; libidine æſtuat? Deus tam inuiſum mihi omen obruat. Omnem tibi ſuſpicionem huiuſmodi, mox euellam. Sed recole tu priùs, quæ ego 1 *part.* ſuprà, *cap.*4 §.2.præmiſi, vbi ſolidè docui, *num.* 4. etiamſi verba ipſa vel facta ſuâpte naturâ ſint iniurioſa, ac proinde in dubio mens iniuriæ cupida præſumatur, nihilominùs per coniecturas euinci, eadem verba vel facta non iniuriæ inferendæ conſilio fuiſſe enuntiata, aut patrata: cauſſam porrò iuſtam eadem ipſa verba proferendi, vel facta gerendi tam validam eſſe, vt quamuis ſint ea iniurioſa, tamen non animo iniuriæ imponendæ, ſed ex cauſsâ illa eſſe prolata, aut geſta, perſuadeat, atque adeò ab omni etiam iniuriarum actione omnino liberet,

vt *ibidem, num.*5. enotaui; denique, vt illic pariter addidi, eum, qui aliquid pro Reipub.honore agit, quamuis alium lædat, actione iniuriarum minimè teneri, quia in eo iniuriæ irrogandæ præſumptio ceſſat.

XIX. Nunc adeſto, Scioppi: Rogo te. Quorſum ego hunc *Lydium*, quorſum noſtræ Societatis *Vindicias* elucubraui, quorſum te in his pertinacem Hæreticum eſſe oſtendo, niſi vt Catholicam Fidem à tuâ multiplici Hæreſi, innocentiamque plurimorum ab atrocibus tuis calumnijs quàm honeſtiſſimè vindicem? At quæ iuſtior cauſſa, quæ actio pro Reipub.honore luculentior, quàm hoc ipſum Catholicæ Religionis, & innocentiæ patrocinium, eſſe queat? Quàm egregiè igitur id mea dicta, & facta ex omni iniuriæ piaculo eximit? quàm longè omnem hoſtilis vel deprauati animi exiſtimationem à me propulſat? Sed præter iuſtam cauſſam, decuſque Reipublicę, iam perſonarum etiam qualitatem adijcito; à quâ infeſti coniecturam animi arceſſendam eſſe Farinacius *quaeſt.*105. *num.* 111. obſeruatè tradit. Memineris tamen, vt idem Auctor *ibidem, num.*223. animaduertit, eſſe nonnullos, qui perturbatæ mentis præſumptâ opinione penitùs carent. At num in his me quoque eſſe numerandum, vitæ meæ ratio ab ipsâ adoleſcentiâ, quum me Deo in Religioſo noſtro Ordine deuoui, inſtituta, atque ad hunc vſque diem retenta, tum meæ actiones, & mores exinde mihi familiares, iure ſuo poſtulant? malo equidem, vt tu pro tuâ alios cenſendi licentiâ anquiras, vel certè quicunque legitimi recuperatores dati dijudicent, quàm vt vox mihi vlla præter modeſtiæ leges imprudenter excidat. Hoc tamen diuinâ fultus gratiâ, & conſcientiâ recreatus, non minùs ſanctè, quàm animosè profiteri queo, me tuas calumnias omnes, vtcunque compoſitas, vtcunque

cunque fraudulentas, vtcunque vendibiles nihil omnino vereri, ſed ludibundum deſpicere; nec temerè mihi polliceor, quemcunque Iudicem à ſtudio partium ſolutum liquidò deprehenſurum, ſubitoque pronuntiaturum, nullas animi erga te malè affecti fibras in me, ſed alia omnia, comparere.

XX. Adde prætereà, Scioppi, tam frequentem iuſtæ meæ voluntatis teſtificationem literis conſignatam. Quoties enim in hoc *Lydio*, quoties in meis *Vindicijs* explicatè denuntiaui, hos omnes meos ad te frangendum impenſos labores eò dumtaxat à me referri, vt Catholicæ Religioni, & innocentiæ multorum à te nequiter vexatæ conſultum eam? Sed ego tuæ iſti, inquies, denuntiationi, & teſtificationi tantum fidei habeo, quantum Æſopi fabulis. At ego vtramque iam ſolemni etiam iureiurando ex formulâ iurato confirmo; & moriar, niſi publicæ huic vtilitati, propugnatæ Chriſtianæ fidei, ac innocentiæ, conatu maximo velificatus ſum. Quaſi verò plus fidei, reponis, tuo iſti iuriiurando, quàm ſimplici aſſeuerationi tribuendum ſit. Atqui prauus animus, ſi neſcis, Scioppi, nunquam præſumitur, ſed excluditur, quoties quis eum à ſe abeſſe, iureiurando interpoſito teſtatur, coniecturæque & præſumptiones idem iuſiurandum quodammodo fulciunt, vt Farinacius cum pleriſque alijs *quæſt.* 105. iam laudatâ, *num.*116. decernit. Quum igitur meam denuntiationem ſtipent vndique, hinc iuſiurandum, hinc coniecturæ, hinc præſumptiones iam expoſitæ, quæ procul à me quemcunque prauum animum ſubmouent, hunc à me prorſus exulare, velis nolis, vel peruicacibus capitonibus perſuaſiſſimum eſt.

XXI. Denique quæro ego de te, Scioppi, quid eſt cauſſæ cur meum animum à te alienum tibique infenſum ſuſpiceris? quæ mihi tecum inimi-

citiæ fuerunt, aut ſunt, qui nunquam te vidi? Quâ in ſimultate tu mecum fuiſti? Quæ mutua odia exercuimus? nihil horum interceſſit, nihil in præſens intercedit; ac proinde meo animo iniuriæ tibi à me inferendæ, calumniam quidem ſtruere potes, probabilitatem vllam, quum eum à me abeſſe hinc certò, teſte Farinacio eâdem *quæſt.* 105. *num.* 122. vincatur, circumponere non potes. At enim Ieſuitas, inquis, ego, compluribus libellis peracerbis in eos luci commiſſis, abalienaui omnes, atque inimiciſſimos mihi reddidi; nec tu ipſe odia, quibus mutuò flagramus, in tuis *Vindicijs*, *cap.* 14. §. 4. diſſimulare potuiſti. Acutè, & tempori. Fallor, ſerò nimis, & parum ſapis. Nam vt ordiar ab hac vltimâ tuâ cauillâ; eo *cap.* 14. *Vindiciarum*, oſtendi quidem hoſtilem tuum in Societatem noſtram animum, odiumque inueteratum; at odij vices tibi à Ieſuitis redditas, minimè: imò ibidem *cap.* 3. pertinaciſſima tua in nos odia magno patientiæ documento à nobis tolerata. Deinde tu ipſe poſt editos tuos omnes famoſos libellos in Ordinem noſtrum, non obſcurè multos Ieſuitarum ex albo tuorum hoſtium deles, in tuâ *Literarum Padia, pag.* 32. diſertè teſtatus, inter Ieſuitas *multos inſigni virtute, ac doctrinâ memorabiles, omniumq; bonorum amore dignos numerari.* At quo pacto hos inſigni virtute memorabiles, omniumque bonorum amore dignos tu cenſeas, ſi eos tui hoſtes exiſtimas? Quæro enim. Iſtóſne tu amas, Scioppi? maximè. Tuos inimicos? admodum. Itáne ad apicem Chriſtianæ Philoſophiæ, verticemque omnis ſanctimoniæ tam repentinò peruenisti? Fabula eſt adeò portentoſa, vt ei credendæ, nullæ aures ſatis credulæ ſint. Non amas? Te igitur improbum fateris; qui quos omnium bonorum amore dignos clamas, minimè amas. Hoc ex decipulo, aut muſcipulâ aliter euadere non potes,

quàm vt candidè fatearis, non omnes Ieſuitas à te tui hoſtes, etiam poſtquam tot Satyris in eos debacchatus es, reputari. Iam verò cur ego, etſi neque doctrinâ, neque inſigni virtute memorabilis, neque omnium bonorum amore dignus, tantâ tamen ſalutis æternæ ſolicitudine minimè afficiar, vt à culpâ hoſtilis animi abſim, tuum eſt probare. Sed eſto. Me tui hoſtem vociferator, vt lubet. Num ignoras eum, qui ſuum hoſtem à Repub. damnatum & proſcriptum occidit, exiſtimari occidiſſe, non priuatæ inimicitiæ cauſsâ, ſed ob publicam Reipub. vindictam, vt expreſsè tradunt M. Mantua in C. *Quæ Eccleſiarum, num.* 35. *de Conſtit.* & Petrus Gerar. Sin. 14. *num.* 11. *cum ſeqq.* Ergo etſi mutuas Scioppi, inter nos ſimultates intercedere non inficiarer, quum tamen Reipub. interſit ſummopere, vt *part.* 1 *cap.* 3. & *ſeqq.* demonſtraui, Hæreſes tuas, atque calumnias retundi, iure optimo iudicandum eſt, hunc meum *Lydium*, & *Vindicias* iuſtiſſimo hoc titulo à me eſſe conſcriptos.

XXII. Quæ quum ita ſe habeant, Scioppi, has omnes multiplices tuæ Hæreſis Teſſeras, & Verrucas, quas ego, Catholicæ Eccleſiæ damna à tui oris, calami, ac libellorum contagione propagari ægerrimè cernens, in hunc *Lydium Lapidem*, vt matri laboranti, minimus licèt omnium filius, qualemcunque tamen opem, tanquam priuatus miles, priuatorum Theologorum more, ac iure, vt totâ 1. *parte* oſtendi, afferrem, conieci; nunc Apoſtolicæ Sedi examinandas, quò ipsâ ſuâ, quâ præſtat, auctoritate diuinâ, & humanâ, totam peſtem auertat, flexis poplitibus oſculabundus ſiſto, eiuſdemque ſapientiſſimo, atque incorruptiſſimo iudicio, vt initio quoque præfatus ſum, penitùs ſubijcio.

Cap. II.

Scioppius non minùs fruſtra, quàm fraudulenter ſuos errores, atque Hæreſes excuſat.

I. AT dum, Scioppi, in Gemonias, fallor; ad molem, pontemque Adriani, ceu Hæreticus pertinax iugulandus, mactandus, vrendus raptaris; neſcio, quas tuas quiritationes, atque eiulatus exaudire mihi videor, tum Dei, hominumque fidem te voce inconditâ inclamantem, barbam tibi, piloſque vellentem, genas & caput deſperanter cædentem intueri. Méne Hæreticum exiſtimari? me Hæreſis notatum? Atqui ſi mihi quid per imprudentiam minùs rectum, minùs Apoſtolicæ Sedis regulæ conſentaneum excidit, id palàm à me non vno in loco reuocatum, inductum, abrogatumque eſt.

II. Quàm enim reuerenter meam *Aſtrologiam Eccleſiaſticam*, *pag.* 3. his ipſiſſimis verbis auſpicatus ſum? *Gaſpar Scioppius ſe ſacræ Romanæ Eccleſiæ doctrinam, & fidem, non modò verbis & ſcriptis propugnare, ſed impenſâ quoque ſanguinis confirmare, ſicut adhuc locorum fuit, ſimiliter Deo iuuante, porrò quoque paratum fore profitetur. Itaque ſi quid in ſcriptis ſuis inueniatur, quod vel cum ſacris literis, vel cum ſacrorum Conciliorum, aut eiuſdem Eccleſiæ decretis, vel cum eo, quod SS Patres conſenſu docuerunt, minùs conſpiret, id ſe dictum, aut ſcriptum nolle, ſed abdicare, ac reÿcere, correctumq́, aut inductum, & abolitum velle teſtatur* Quàm accuratè *in Pædia diuinarum & humanarum literarum*, *pag* 21. in eandem prorſus ſententiam ita caui? *Gaſpar Scioppius in iſtis, & alÿs octoginta libris ſuis nihil ſe ſcripſiſſe teſtatur, quin ex animi ſententia id Sacræ Scripturæ ſacrorum Conciliorum decretis, concordi ſanctorum Patrum*

ſententiæ

ſententiæ, ſanctæ denique Catholicæ Eccleſiæ ſanctionibus conſentaneum eſſe cenſuerit, & diuinarum, humanarumq́; literarum ſtudioſis, præcipuè verò populi Chriſtiani Capitibus non minimum vtilitatis allaturum ſperauerit. Sin autem aliquid alterius notæ ei exciderit, id imprudentiæ ſuæ aſſignari poſtulat, ſeq́; id pro ſuo non agnoſcere, ſed correctum, inductum, abolitum, & peremptum cupere profitetur. His ergo propugnaculis, ac præſidijs munitus, Hæreſis, aut Hæretici notam, crimenúe nullus timeo, nullum timere poſſum. Hæc pro te verſutè, verſutiloque Scioppi.

III. Quid ſi ego iam tibi operam addo, tuæq́ue cauſſæ auram afflans, ingens Iuriſconſultorum agmen ad opitulandum tibi euoco? Certè prædictio, quam *Proteſtationem* nominant, tantâ valet potentiâ, vt omnem noxiam ab eo etiam, qui Hæreticas propoſitiones profert, ſi tempeſtiuè vſurpetur, auertat, quemadmodum perſpicuè ſciſcitur, *cap. Dixit Apoſtolus, 24. quæſt. 3.* explicantq́ue pulchrè, Simancas in *Cathol. Inſtit. Tit. 55. de Proteſt. num 4.* Tiberius Decianus *lib. 5. Prax. Crimin. cap. 18 num. 11.* Petrus de Auiles in *Apologetico contra Ioannem Spinum, art. 4 num. 465.* & complures alij, quos laudat, probatq́ue Farinacius *de Hæreſi. quæſt. 178 §. 8. num. 159.*

IV. Verùm nihil agis, verſipellis fallacia, nihil proficis, inconſulta temeritas. Fruſtra, Scioppi, ſcelerum compertiſſime, tuis facinoribus laruam inducis. Fruſtra verſatilis, ac lubrice Protee, tot in habitus, vultusq́ue migras, quo ſecuriùs decipias. Nam quamuis adeò vafer, & fraudulentus ſis, nondum tamen fraudes tuas, ac vaframenta ita abdere didiciſti, vt ego ea, & quiuis alius non omnino fungus, vel ſtipes, non agnoſcamus. Non dubito ſanè, quin *Eccleſia pœnitentes,* vt S. Hieronymi a verbis vtar, *recipiat*; &, ſi ex animo veteres tuos

a *Epiſt. ad Tammach. aduerſùs Luciferianos.*

errores deteſtareris, nec tralatitiâ te pœnitentiâ angi, cruciarique monſtrares, à natiuo tuo inſitoque Hæreſis morbo vtique conualeſceres. At quia tota hæc tua errorum, Hæreſumque abolitio commentitia prorſus, & falſa eſt, atque à te doloſè ſimulata; hoc ipſo dolo nouam tuæ Hæreſis Teſſeram, ac Verrucam, Hæreticorum mores, genium, arteſq; non ignorantibus, prodis exploratiſſimâ.

V. Hi nempe fuerunt cunctis Hæreſum Architectis fuci ſolemnes, & ſycophantiæ, vt obſequium Catholicæ deuotum Eccleſiæ bellè obtenderent, erroreſq; ſuos à ſe abiudicatos ſubdolè mentirentur. His ſutelis, atq; præſtigijs Pelagius, Cæleſtius, Sabellius, Valens, Berengarius, alijq; ſexcenti Hæretici non ſemel veteribus Patribus, atque Concilijs impoſuerunt, ora ſapientiſſimorum virorum ſubleuerunt, grauiſſimos, doctiſſimoſque Theologos, atque Antiſtites, quin totam etiam Chriſti Eccleſiam circumuenerunt. Vt verò de cæteris ſileam, Valens Murſenſis Epiſcopus Arrianâ deprauatus Hęreſi, *Profeſſus eſt* (inquit D. Hieronymus a) *ſe Arrianum non eſſe, & penitùs ab eorum blaſphemijs abhorrere* Deinde in totius Synodi Ariminenſis Conuentu omnes Arrij errores damnauit, ſummâque imprecatione defixit. Quibus geſtis, Concilium ſolutum eſt. *Sed diu ſcelera non latent* (ſubdit eodem loco Hieronymus) *& cicatrix malè obducta, incocto pure dirumpitur. Cœperunt* enim *poſteà Valens, & Vrſatius, cæteriq; nequitiæ eorum ſocij, egregij videlicet Chriſti Sacerdotes, palmas ſuas iactitare: dicentes ſe Filium non creaturam negâſſe, ſed ſimilem cæteris creaturis. Tunc Vſia nomen abolitum eſt, tunc Nycena fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totus Orbis, & Arrianum ſe eſſe miratus eſt.* Quid verò Pelagius diuinæ gratiæ, quam negabat, hoſtis? Accipe, quod de eo S. Auguſtinus b monumentis prodidit.

Quan-

a *Aduerſus Luciferianos.*

b *Lib. 1. contra Pelagium, & Celeſtiũ, cap. 3. Tom. 7.*

Quandoquidem ipſe Pelagius (inquit) *cum Epiſcopalibus geſtu ſine vlla recuſatione damnauit eos, qui dicunt gratiam Dei, & adiutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege, atq; doctrinâ: vbi putabamus, eius de hac re omnes tergiuerſationes eſſe conſumptas: damnauerit etiam eos, qui docent gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari: tamen in libris, quos edidit pro libero arbitrio: quorum mentionem facit in Epiſtola, quam Romam miſit, nihil aliud ſentire monſtratur, quàm id, quod damnâſſe videbatur. Nam gratiam Dei, & adiutorium, quo adiuuamur ad non peccandum, aut in natura, & libero ponit arbitrio, aut in lege, atque doctrinâ.* Hæc Auguſtinus. Quocirca gratiæ retento nomine, quam in ſolis naturæ viribus, vel externâ lege tortuoſus Hæreticus collocabat, eandem prorſus Hæreſim, quæ diuinam gratiam intrinſecus animas percellentem de medio tollit, tuebatur, eamq; anteà à ſe nonniſi adumbratam, atque ad ſpeciem fuiſſe repudiatam oſtendit.

VI. Rurſum idem Pelagius inficiabatur, peccatum originale in paruulis, & tamen in Concilio Palæſtino *corrigi paratum ſe eſſe*, eodem Auguſtino teſte, a denuntiauit, *ſi ei, tanquam homini error obrepſerit.* At num ex ſententiâ? num ſyncerè? Scilicet. Epiſcopos ita ludificauit, vt narrat idem ſanctus Doctor, ac ſi damnâſſet eos, *qui tenent, quod Adæ peccatum, ipſum ſolum laſerit, & non genus humanũ, & quod infantes, qui naſcuntur, in eo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quid ergo hîc aliud Epiſcopi Iudices intelligere potuerunt, niſi eum confiteri, quod peccatũ ex Adam in paruulos tranſeat?* Nihilominùs etſi ita in eo Concilio ſentire viſus eſt, reapſe tamen eandẽ illam Hæreſim, quæ modò commemoratã originis labem non agnoſcit, mordicus ſemper, vt eodem loco, alijsque compluribus idem D. Auguſtinus b reuincit, propugnauit.

a *Ibid. cap.* 12. b *Ibid. cap.* 13. & *ſeqq.*

VII. Quid Lutherus, Hæreticorum noſtri temporis anteſignanus fraudulentiſſimus? In eo opere, quod Leoni X. Pontifici Maximo deſpondit, ſuæ Hæreſi, atque amentiæ gratiam, vt Alphonſus à Caſtro *lib.1 de iuſta Haret punit cap.11.* refert, hiſce quàm pellaciſſimis verbis ſtuduit conciliare: *Primùm proteſtor, me prorſus nihil dicere, aut tenere velle, niſi quod in, & ex ſacris literis primò, deinde Eccleſiaſticis Patribus ab Eccleſia Romana receptis, hucuſque ſeruatis, & ex Canonibus, ac Decretalibus Pontificis habetur, & haberi poteſt.* O quàm blandus ſermo! quàm religioſus! quàm pudibundus! Quid tum poſteà? *Hac meâ proteſtatione* (ſubdit Lutherus) *credo, ſatis manifeſtum fieri, quod errare potero; ſed Hæreticus non ero.* Et cuius aures oratio tam honeſta, illicio prope Theſſalo non excantet? ſed fallor valde, niſi oppidò fallit Lutherus. Non fuit ea Chriſtiani pectoris ſyncera prædictio, ſed Tartarei ſibilus ſerpentis. Nam *quàm vera fuerit hac proteſtatio,* ſubijcit ſtatim Alphonſus iam iam laudatus, *& quam ex animo facta, ipſe non longè poſteà declarauit, quum ab eodem Leone Decimo de ſuis erroribus admonitus, nec ad illius præceptum Hæreſes ſuas reuocauit, ſed pertinaciùs eaſdem tutatus eſt, & in eundem Leonem Decimum, cuius cenſuræ priùs ſe ſubijci finxerat, poſteà debacchatus eſt.*

VIII. Verùm nihil ponderis, Scioppi, nihil virium ſubdola huiuſmodi formula, errorum ablegandorum gratiâ vſurpata, ad Hæreſis, Hæreticique nomen, ac probrum arcendum habet, nec veritati fucum poteſt allinere. Quamuis enim, *qui neſciens errat in fide circa ea, quæ ſcire non obligatur,* quemadmodum idem Alphonſus præclarè inibi philoſophatur, *excuſatus eſt ab Eccleſia per talem generalem reuocationem*; tamen *quiſquis aſſerit aliquid contra id, quod ſcit eſſe Eccleſiæ Catholicæ fidem, aut dubitat de illo; quamuis generalem fidei proteſtationem*

fecerit,

fecerit, nullo modo talis fidei proteſtatio illi ſuffragari poteſt, quin ſit ab Eccleſia pro Hæretico reputandus. Is enim pertinax eſt; quia etſi dicat, ſe paratum de errore ſuo ab Eccleſia corrigi, reuerâ non eſt paratus. Nam qui fieri poteſt, vt quis ſit obedire paratus illi, quem aperto Marte oppugnat? At is, qui ab Eccleſiæ ſententiâ ſciens diſcedit, apertè Eccleſiam oppugnat. Non eſt igitur ille paratus errorem ſuum ad Eccleſiæ præceptum emendare. Quò fit, vt pertinax, & Hæreticus ſit dicendus, quamuis generalem fidei proteſtationem fecerit. Alioquin latiſsima via pateret omnibus, per quam omnes, quas vellent, introducerent Hæreſes; imò maxima præſtaretur Hæreticis occaſio quamlibet Hæreſim impune docere. Faciet enim quiſque Hæreticus primùm generalem fidei proteſtationem, & conditionalem cuiuſque Hæreſis, in quam labi contingeret, reuocationem, & ſatis ſibi eſſe putabit, vt, quamuis peſtilentiſsimam Hæreſim poſteà aſſerat, ab Hæretica notâ ſe poſsit excuſare. Nam huiuſmodi dolo, & aſtutiâ vſus eſt hoc ſæculo Martinus Lutherus, Hæreticorum omnium peſtilentiſsimus, qui in eo opere, quod Leoni Decimo Pontifici Maximo obtulit, quamuis multas, & apertiſsimas Hæreſes in eo aſperſit, eam tamen in principio Operis proteſtationem fecit, quam proximè ſuprà in hoc Capitulo retuli (& ſuprà paulò antè à me recitata eſt) *Verùm etſi talem fecerat proteſtationem, idem Summus Pontifex Leo non dubitauit illi Hæreſeos notam inurere, & meritò, quoniam ſimulatam eſſe, & non veram talem illius proteſtationem optimè intellexit, ſicut ipſe idem Lutherus in eiuſdem Operis contextu declarauit.* Hæc Alphonſus à Caſtro, cuius doctrinam, qui non probet, neminem ex Catholicis reperio.

IX. Quin etiam è communi Doctorum ſententiâ in *cap. Quum M. de Conſtitut.* decretum eſt, vbi enuntiata ab aliquo Hæreſis manifeſtaria, & perſpicua eſt, nullam huiuſmodi crimini auertendo denuntiationem prodeſſe, vt nominatim docent,

ſuadentque Albertinus *de agnoſcend. aſſert. quæſt.* 12. *num.* 9. Gerſon *Tract de Proteſtat. Conſid.* 3. Simancas *de Cathol Inſtit. Tit.* 55. *num.* 7. Franciſcus Penna 1. *part. Direct quæſt.* 12. *Comm.* 26. *verſ. Hactenus explicui.* Soſa in *Aphoriſm. lib.* 1. *cap* 14. *num.* 5. & 6. Farinacius *de Hæreſi, quæſt* 178. § 7. *num.* 153. & 155. cæterique paſſim ſacrarum Sanctionum Interpretes. Iure ſanè optimo. Tum quippe ipſa denuntiatio enuntiatæ Hæreſi è regione planè aduerſatur. At denuntiatio contraria facto, inanis omnino eſt, vt eodem *Cap. Quum M. de Conſtitut. Cap. Gratum, de offic deleg.* & l. *Quum in plures*, §. *Locator*, ff. *Locati* ſtatuitur, traduntque Mantica *Deciſ.* 100 *num.* 2. Surdus *Deciſ* 246. *num.* 4. Marianus Ant. *variar. Reſolut. lib.* 1. *Reſolut.* 55. *num.* 9. Cephalus *Conſ.* 222. *lib.* 2. & alij promiſcuè: adeoque & ipſamet denuntiatio fruſtra penitùs eſt.

X. Rurſum, vbi dogma aliquod ab Eccleſiâ definitum eſt, expreſſum, ac vulgo notum, ad oppoſitæ Hæreſis tutelam, vel excuſationem, incaſſum denuntiatio obducitur. Hinc Alphonſus à Caſtro *lib.* 1. *aduerſus Hæreſes cap.* 9. articulatè ſcribit; quum quis *in expreſſis, & ſemel definitis repugnat, & contradicit, etiamſi dicat ſe paratum corrigi per Eccleſiam, aut per Concilium; Hæreticum cenſendum eſſe, quoniam eo ipſo, quod Eccleſiæ definitioni cognitæ contradicit, pertinax eſt.* Hinc Arnaldus Albertinus *quæſt.* 12. iam appellatâ, *num.* 16. & poſt eum Sanctarellus de *Hæreſi, cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 27. allatis in medium Pegnâ, Simancâ, Torres, Nauarro, & Gantar. ſubnixus, diſertim obſeruat, *Proteſtationem in rebus notis non excuſare.* Quippini? quia *alioqui poſſet quilibet, factâ proteſtatione, Hæreſes docere, proferre; & ipſi etiam Hæretici aſſerunt, ſe nolle aliquid dicere, vel docere, quod ſit contra fidem.* Hinc Ferdinandus à Caſtro Palao *Tom.* 1. *Tract.* 4. *Diſput.* 3. *puncto* 2. *num.* 7. ſecutus Farinacium *de*

Hæreſi,

Hæreſi, quæſt. 178. *cit.* §. 7. à *num.* 138. palàm conſtituit : *Si verba non ſint dubia, nec materia, circa quam errabatur, obſcura ; aut ſi præſumitur notitia , tunc proteſtationem ab Hæreſi non excuſare , quia facto ipſo proteſtationem diſſoluit ; aliàs omnes Hæretici excuſari poſſent , quum facillimo negotio poſſent hanc proteſtationem facere , & ſæpe faciunt , vt ſuauiùs animos ſimplicium peruertant.*

XI. Hæc quum adeò apud Catholicos Doctores rata, & fixa ſint; quid ex ſuperuacuo ludicram eam in arcem Scioppi, confugis, vt te Romanæ Eccleſiæ fidem non modò verbis, & ſcriptis, ſed impensâ quoque ſanguinis tui confirmare paratum iactes? Quaſi verò conſutis hiſce dolis, Hæretici hominis infamiam tibi inuſtam diluas, aut intorta hactenus in te tela exuas. Quaſi verò Pelagius, Valens, Lutherus, cæteríque Hæretici, huiuſmodi fraudes non frequentârint. Quaſi verò in his componendis præſtigijs, cuiquam Hæreticorum vel hilum concedas. Quid? Nónne tu ille ipſe es, in quo, vt ſuperiore capite patefeci, omnium Hæreſeon notitia, velut Iuriſconſulti loquuntur, præſumitur? Quid aio, præſumitur? imò qui eam ex deſtinato profeſſus es? & ioculari tuâ iſtâ exceptione ab Hæreticorum grege ſegregari te putas? Quid? in *Actione Perduellionis*, ac in *Flagello Ieſuitico* nónne *Proteſtantium*, ac Lutheranorum Sectam apertè amplecteris? hæc autem à Romanæ Eccleſiæ Religione quàm aliena eſt? Quid in *Myſterijs Patrum*, nónne Sanctorum miracula, auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, Immunitatem Eccleſiaſticam, Inſtitutum Religioſi Ordinis ab Eccleſiâ probati impudenter irrides? Quis Catholicorum id audet? quid? In *Ieſuita exenterato* quàm apertè capitalem Romanæ Eccleſiæ hoſtem te prodis? quis ex Ca-

tholicis ita furit? Quid? In *Colloquio* inter Paulum V. Pontificem, Regem Hiſpanorum, & Ferdinandum Archiducem, quid aliud tam operosè præſtas, quàm eiuſdem Romanæ Eccleſiæ perduellem te demonſtrare? Quis è Chriſtianorum cœtu id non execratur? Quid? In *Anatomia Societatis*, in *Conſultatione Fratris Iuniperi*, in *Arcanis Societatis*, in ipsâmet *Aſtrologia Eccleſiaſtica*, quam tam blandâ ac fallaci denuntiatione infucas, quàm multa præfractè tradis, quæ Catholicæ Fidei minimè conſentiunt? Quis autem verè Catholicus iſta non deteſtatur?

XII. Et nihilominùs in eâdem *Aſtrologia* modulatè canis, *Te dictum ac ſcriptum nolle, ſi quid in tuis ſcriptis inueniatur, quod vel cum ſacris literis, vel cum ſacrorum Conciliorum, aut Romanæ Eccleſiæ decretis, vel cum eo, quod SS. Patres conſenſu docuerunt, minùs conſpiret.* O fraudulentas ſtrophas! ô ſycophantias Hæreticas! Sed cui Catholicorum in Religionis Chriſtianæ ſcitis non omnino hoſpiti tu iſtas ingeris? cui obtrudis? cui venditas? Túne ſacrorum Conciliorum decreta reuerearis, qui eandem ipſam *Aſtrologiam Eccleſiaſticam*, in quâ Lectores huiuſmodi palpo percutis, ſine Eccleſiaſticorum Præſidum facultate, atque approbatione legitimâ, ſecus omnino, quàm Concilium Lateranenſe *Seſſ.* 10. & Concilium Tridentinum *Seſſ.* 4. quod probè tenes, ſeueriſſimè iubeant, in publicam lucem emiſiſti? Túne Romanæ Eccleſiæ ſanctiones cordi habeas, qui tot libros famoſos ab eâdem Eccleſiâ vetitos ſine tuo genuino nomine, ſine loci, & Typographorum appellatione, aduersùs Religioſum Ordinem ab eâdem Eccleſiâ pariter approbatum foras dediſti? Túne ſacras literas incontaminatas velis, qui paſſim tum in eâdem *Aſtrologia*, tum in alijs tuis libris, ad calumnias & mendacia conſtabilienda, quod itidem præcisè

à Con-

à Concilio Tridentino *Seſſ* 4. damnatur, earundem Scripturarum Sacramentis turpiter abuteris, vt partim ego iam ſuprà *part.2.* & toto ferè hoc *Lydio* palàm feci, ſed multo copioſiùs Laurentius Forerus in ſuo *Proteo* commonſtrat? Túne conſpirantem SS. Patrum conſenſum non tibi deſerendum exiſtimes, qui ſacrarum Scripturarum ſenſus quàm plurimos, nouos, atque à SS. Patrum interpretatione valde abhorrentes; vt idem Forerus in eodem *Proteo*, & in cæteris Apologeticis vincit, & ſuprà *part.2.cap* 17. ſpectauimus, non ſolùm tu ipſe depromis, ſed alios quoque ad eaſdem *profanas nouitates*, quas *deuitare* iubet Apoſtolus 1. *Timoth.6.* nequiter ſolicitas? Túne iudicium tuum Concilijs, vel Eccleſiæ ſubijcias, qui Inſtitutum Societatis Ieſu à tot Pontificibus, atque ab Eccleſiâ in ipſo Concilio Tridentino approbatum hoſtiliter impugnas? Hæc cuncta flagitia poſt tuam illam denuntiationem, tuæ *Aſtrologiæ Eccleſiaſticæ* præfixam, vel ſimul cum ipsâ denuntiatione in eâdem *Aſtrologia*, feciſti; coniunxiſti, repetiuiſti, cumulâſti; & quiſquam tam bardus ſit, vt eiuſmodi tuam denuntiationem, fucatam, doloſam, & mendacem eſſe, ac proinde nullius pretij ac planè otioſam non intelligat? Vidiſti, Scioppi, tuos errores à Forero in *Antimelandro*, in *Antanatomia*, in *Mantiſſa* detectos; vidiſti ſacris Literis (eodem Forero improbam tuam doctrinam iugulante) vidiſti ſacris Concilijs, vidiſti Eccleſiæ decretis, vidiſti Sanctis Patribus minimè congruentes, vidiſti repugnantes, vidiſti penitùs contrarios. Quid ampliùs? vidiſti ab Eccleſiâ vnà cum vetitis libris vetitos, ac damnatos. Et tamen etiam poſt eam tam blandiloquam denuntiationem, eoſdem errores, eandemque peſtem in alios prætereà infames libellos, quos deinde euulgâſti, nefariè traduxiſti, vt merus ſtipes prorſus ſit, qui tuam

istam

iſtam denuntiationem inane tuæ Hæreſis inuolu-erum, & nimis rimoſam laruam non intuetur.

XIII. Quid verò de alterâ cautione, errorumque reuocatione, quam tuorum librorum Catalogo in Literarum *Padia*, vt antè memoraui, ſubdidiſti, cenſendum? nihilo ea candidior, nihilo candidior, nihilo melior; de quâ ita præclarè Lauanda: a *Bonum factum: ſi fraudulenter non agat* (eſt enim qui nequiter ſe humiliat) *admittenda tam humilis ſubmiſſio. Verùm quia non ſemel ſimulatè egit, præſumptio tanta videtur, vt non ampliùs ſit admiſſura probationem in contrarium. Igitur ad tribunal comparcat, & conteſtatis ſuis erroribus, ex octo generibus pœnarum, quas Tullius ſcribit, & leges admittunt, vltimo excepto (quod gratia dandum) reliqua ſuſcipiat, & ſcripto deinde publico de more antiquo recantet, errores ſingulos clarigando, & inducendo: erit enimuerò, vt innumeri illi tractatus, quos in tot libellos diſpeſcuit, benè & Catholicè excuſſi, ad pauca folia, quæ ſanam doctrinam habeant, redigantur.* Hæc ille.

XIV. Non me clam eſt, Scioppi, ſimilem cautionem, vt libri Auctor in fronte, vel in calce proclamet, ſi quid ſibi per incogitantiam excidit, id ſe indictum, inductumque velle, Catholicis Scriptoribus vſitatam, iiſque omnino prodeſſe, quorum fides minimè dubia, neque vlli anteà errores in eorum libris reperti, aut damnati ſunt, multoque minùs eoſdem errores iidem denuò cuderunt. At tu lucifuge tenebrio, huiuſmodi ſcuto vti non potes, ac ſi fortè vtaris, vitro friabilius illico reperies. Quippe iam tui errores, Scioppi, perſpecti ſunt, iam publicis Vindicijs ad medullas vſque exenterati, iam Sedis Apoſtolicæ interdicto proſcripti, quos tamen tu nihiloſeciùs nouis alijs famoſis libellis, etiam poſt fallacem illam prædictionem inſeruiſti de integrò, regenuiſti, recudiſti. Quin etiã in ipſum quoque Codicem eiuſmodi prædictione

a *In Gramm. Padico, pag.* 42.

Lectoribus aſſentantem, gratiamque captantem procaciter infudiſti. Quid quod omnes tuas mordaces Satyras tot adiunctis maledicentiæ, mendaciorũ, calumniarum, ſuperbiæ, *hypocriſis*, cęterisque impietatis Verrucis occupâſti, referſiſti, ſtipâſti, vt nullo penitùs ſenſu ſit, ne dum orbatus oculis, qui multiplicem tuam Hæreſim etiam per doloſam tuam iſtam denuntiationem cornua vndique exerentem, erigentemque non animaduertit? Et nondum cernis (adeò exoculatus es) hanc ipſam tuam denuntiationem iam fraudulentiæ eſſe manifeſtiſſimam, ac proinde ad Hæreſis, Hæreticique nomen ac ſtigma tuum, inuſtum fronti eradendum, omnino inualidam?

XV. Quid ſi iam ego hæc omnia, quo magis, aut ſemel erubeſcas, palmari quoque S. Auguſtini, parem Pelagij Hæretici vafritiam depalmantis, ſuffragio corroboro? Scripſerat callidus is veterator ad eundem Auguſtinum Epiſtolam, cui ſanctus Doctor aliam officij plenam, eiuſdemque Pelagij nomen non exiguâ laude etiam exornans, mox lubens reddidit. At Hæreticus hanc ipſam Auguſtini Epiſtolam Synodo XIII. Epiſcoporum obtulit, eiusque teſtimonio ab illâ extemplo, abſolutus, & Catholicus, Patribus cunctis circumuentis, pronuntiatus eſt. Id verò quum D. Auguſtinus exinde reſciſſet, ferendum minimè ratus, hoſtem gratiæ ab Eccleſiæ Luminaribus innocentem fuiſſe iudicatum; librum confeſtim contra geſta Pelagij, quemadmodum ipſemet *lib.2. Retract. c.42.* & Poſſidius in Indiculo teſtantur, elucubrauit, Patresque ab illo fuiſſe deceptos oſtendit. Is liber iam quanquam inter opera Auguſtini non extet, nuper tamen inuentus, & ſeparatim excuſus eſt, vt notauit etiam Bellarminus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* in Auguſtino, *Tom. 7.* Inſpice nunc, & perpende, Scioppi, quid *cap.21.* iſtiuſmet Codicis, maximum

Catholicæ

Catholicæ Fidei propugnaculum decernat. *Neque hoc dicens*, inquit, *iudicium arguo, vel negligentiam, vel, quod ab eis longè abhorrere certiſſimum eſt, impiorum dogmatum conſcientiam, ſed eorum iudicio pro merito, approbato, atque laudato, Pelagius tamen apud eos, quibus ampliùs, certiuſq; notus eſt, non mihi videtur eſſe purgatus.* Quidni verò? quia malitioſus præſtigiator quædam verè ſibi vitio data, falsò negauit, quædam ſubdolè explicauit, quædam demum ne damnaretur, damnauit, vt idem Auguſtinus *lib.1.contra Pelagium,& Celeſt* ediſſerit. *Proinde Pelagius* (ſubdit in eodem libro *de geſtis Pelagij* iam indicato, *cap* 19.) *de quorumlibet Sanctorum amicitiâ ſe iactauerit, quorumlibet de ſuis laudibus literas legerit, qualibet purgationis ſuæ geſta protulerit; niſi ea, quæ contra Dei gratiam, quâ vocamur, & iuſtificamur, poſuiſſe in libris ſuis, idoneorum teſtium fide probatur, confeſſus anathematizauerit, ac deinde contra hæc ipſa ſcripſerit, & diſputauerit, nequaquam his, quibus plenius notus eſt, videbitur eſſe correctus.* O adamantinam, ne dum ferream clauam ad fraudulentum tuum, Scioppi, caput, vel primo ictu mactandum! Quæcunque enim Principum Diplomata prompſeris, quæcunque Regum Priuilegia recitaueris, quæcunque Cæſarum, atque Pontificum elogia produxeris, quæcunque denique aliorum quorumuis, & quantumcunque illuſtrium virorum teſtimonia circumtuleris, de quibus *part.3. cap.4.*; niſi priùs quæ contra ſacras literas, quæ contra generalia Concilia, quæ contra Sanctos Patres, quæ contra Eccleſiam Catholicam Romanam, quæ contra ſanam doctrinam, & bonos mores ore, calamo, dictis, factiſque enuntiâſti, ſcripſiſti, egiſti, feriò reuocaueris, ſingula errata demiſsè confeſſus, abrogaueris, ſcriptoque publico, ex animo, ac legitimè execratus fueris; næ tu aquam cribro ſemper hauries, Æthiopem

perpetuò

perpetuò lauabis, neque vnquam Catholicæ doctrinæ gnaris, *quibus planiùs, ampliùs, certiùsq́, notus es,* ex albo Hæreticorum te expunctum, multo minùs virum bonum eſſe, perſuaſeris.

XVI. Ex quibus compertiſſimum, Scioppi, eſt, pictis huiuſmodi ſutelis tuis multiplices tuæ Hæreſis Teſſeras, & Verrucas per commentitiæ cautionis, abolitionis, & reuocationis offucias, pietatem, religionem, Apoſtolicæ Sedis reuerentiam, Catholicæque Fidei ſtudium, Hæreticorum more, ſimulando, obtendendo, mentiendo, à te haudquaquam perimi, ſed multo magis potiùs confirmari. *Habent quippe hoc Hæretici proprium,* vt ſapienter monet D. Gregorius, *a vt malis bona permiſceant, quatenus facilè ſenſui audientis illudant. Si enim ſemper praua dicerent, citiùs in ſua prauitate cogniti, quod vellent, minimè perſuaderent. Rurſum, ſi ſemper recta ſentirent, profectò Hæretici non fuiſſent. Sed dum fallendi arte ad vtraque deſeruiunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala, vt recipiantur, abſcondunt: ſicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tangit; dumq́, hoc, quod dulcè eſt, primo attactu delibatur; etiam illud, quod eſt mortiferum, indubitanter abſorbetur.* Hæc porrò quàm aptè in te quadrent, Scioppi, nemo meliùs, quàm tu, nouit, qui colubrino planè ingenio tuæ venenum nequitiæ, atque errorum tam ſuaui ſimulationis, tergiuerſationis, atque execrationis Falerno permiſcuiſti, vt Lectori non attentiſſimo facilè imponas.

a *Lib. 5. mor. cap. 10.*

Cap. III.

Gaſparis Scioppij germana effigies ſuis expicta coloribus.

I. NOnnullis abhinc annis mira tui effigies, Scioppi, inciſo ære, ſubſtratâque papyro expreſſa, ambitioſâque præterea inſcriptione delineata, te virum probum, vt hedera ſuſpenſa vinum, prædicans, meas in manus peruenit, quam etiamnum integram, incolumemque tui gratiâ conſeruo. Mitto, de tui corporis figurâ, habituque quicquam inquirere; De ſpecie, formâque animi dumtaxat hoc loco te percontor; qualem eam cunctis tu ipſe reddis? his totidem planè verbis:

GASPER SCHOPPIVS

Anno 1602. *Ætatis* 26.

PRISCA FIDE.

Hoſtem eſſe, atq; inimicum hominum morumq; malorũ.
Contra defenſorem hominum morumq; bonorum.
Magnificare hos, his bene velle, his viuere amicum.

II. Sed num hæc tui imago, Scioppi, vera, num ſyncera? Hîc enimuerò ſcrutandum. Genuinum ſanè tui ſimulacrum, ex omnibus iſtius *Lydij* Teſſeris, & Verrucis ſatis pollucet. At modò aliquid denuo, quo id totum bono in lumine collocetur, appingendum eſt. Verùm quia ego pingendi, ſculpendique artem minimè calleo, ne fortè nimis imperitè à me te repręſentatum, iure conquereris, à D. Bernardi ſcitiſſimo non tam calamo, quàm penicillo, lineamenta omnia, colores, & ductus, quibus vir ille Sanctiſſimus Arnaldum à Brixiâ vaferrimum præſtigiatorem, tibi omnino geminum, graphicè effingit, commodùm mutuabor,

cerneſque

cerneſque actutum, nihil in eum nebulonem ab illo ſcriptum, quod in te quaſi deſtinatò iactum in antecesſſum non videatur.

III. Non poſtulo à te, Scioppi, vt mihi iam operam naues, ſed, vt melligeni Patris Epiſtolam 196. ad Conſtantienſem Epiſcopum legas, in quâ improbum eum morionem eleganter ita deſcribit: *Adhuc forſan hæretis, & miramini, quemnam dicere velim. Arnaldum loquor de Brixia, qui vtinam tam ſanæ eſſet doctrinæ, quàm diſtrictæ eſt vitæ. Et ſi vultis ſcire, homo eſt, neque manducans, neque bibens, ſolo cum diabolo eſuriens, & ſitiens ſanguinem animarum. Vnus de numero illorum, quos Apoſtolica vigilantiâ notat,* a Habentes formam pietatis, virtutem illius penitùs abnegantes. *Et ipſe Dominus:* Venient, *inquiens,* b ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.

IV. Nunc aures, Scioppi, arrige, & quàm multiplicatâ voce tua imago hiſce dictis reſonet, diligenter attende. Videbis non tam ſonorè emiſſas voces montium anfractibus repercuti, quàm Arnaldi mores à ſinuoſo tuo pectore explicatè reciprocantur. Nam etiamſi quid hominis tu ſis, ad id locorum adumbrare conatus ſum; ſi quis tamen te necdum bene nouit, nec quem deſignârim, penitùs intelligit, te Gaſparem ego Scioppium de Franconiâ loquor, de proletariâ *Prædicantium*, vt vocant, tribu è Palatinatu oriundum, qui vtinam tam ſanæ eſſes doctrinæ, quàm rugoſi es ſupercilij, Stoicæ ſeueritatis, & vitæ olim ad inuidiam vſque Anachoretarum ieiunæ, & ſiccæ. c Dimidiato caule, & aliquanto oryzæ cum pyro, aut pomo, caſeique fruſtillo contentus, quondam ientabas ſimul, prandebas, & cœnabas. Sed quum vitæ auſteritatem à te in delicijs habitam audio, illam

a 2. *Timoth* 3. b *Matth.* 7.
c *Vide ſuprà part.* 3. *cap.* 2.

illam ego interpretor, quæ ſycophantarum propria eſt, quibus ſolemne, ſimulare Curios, & Bacchanalia viuere. Non eſt opus hîc repetere, quæ anteà *a* de inſignitâ tuâ *hypocriſi* diſputaui. Iam id vnum addo, quantum famis, & ſitis extrinſecus aliàs mentitus es, tantundem iam cum Dæmone animarum ſanguinem te eſurire, ac ſitire. Tu ille es, qui formam pietatis miris technis induis, at virtutem eius omnino exuis. Tu ille, qui ouinâ obuolutus pelle incedis, ſed dentibus, & vnguibus es lupo rapacior.

V. *Is ergo* (pergit Bernardus) *vſque ad hanc ætatem vbicunque conuerſatus eſt, tam fœda poſt ſe, & tam ſæua reliquit veſtigia, vt vbi ſemel fixerit pedem, illuc vltra redire omnino non audeat. Denique ipſam, in qua natus eſt, valde atrociter commouit terram, & conturbauit eam. Vnde & accuſatus apud Dominum Papam ſchiſmate peſſimo, natali ſolo pulſus eſt, etiam & abiurare compulſus reuerſionem, niſi ad ipſius Apoſtolici permiſſionem. Pro ſimili deinde cauſſa, & à Regno Francorum exturbatus eſt ſchiſmaticus inſignis.*

VI. Iam ſi cuncta tua facinora, Scioppi, inſpicio, ſi quicquid à te, ex quo nomen inter Catholicos profiteri cœpiſti, vbicunque locorum geſtum eſt, exploro; cerno à te tam fœda maledicentiæ, ſuperbiæ, arrogantiæ, mendaciorum, calumniarum, impiæ, infandæque doctrinæ veſtigia poſt te relicta, vt erroneo vitæ genere toties ſolum vertendo, nuſquam pedem, niſi in exilio figere; nuſquam tutus, niſi in fugâ conſiſtere iam poſſis. Cur Româ fueris amandatus, tu ipſe explica; cur Mediolanum redire non audeas, tu ipſe edoce; cur in Sereniſſimæ Familiæ Auſtriacæ territoria remigrare tibi integrum non ſit, tu ipſe enuclea. Vt verò tu hoc loco Seryphiâ ranâ, præter morem, taciturnior, nihil mutire velis; ſatis elatè, tot tamque multi flagitioſi, obſcœni, virulenti, atrique

a *Ibid.*

tui

tui libelli cauſſam vociferantur. Quid non turbarum, vbi tu diuerſaris, cies? quid non diſcordiarum ſeris? quid non peſtis inhalas? Ipſam non dico terram, in quâ natus, Hæreſi ſimul oppigneratus es; ſed Chriſti Eccleſiam, in quâ renaſci Deo videri voluiſti, tuis erroribus infeciſti, tuis moribus ſeditioſis inquietâſti, tuis libris longè tæterrimis, ab Apoſtolicâ Sede iam damnatis contaminâſti; totoque iam Orbe proſcriptus in eâ bacchari nondum deſinis.

VII. *Execratus quippe à Petro Apoſtolo* (Bernardi verba ſunt) *adhæſerat Petro Abailardo. Cuius omnes errores ab Eccleſia iam deprehenſos atque damnatos cum illo etiam, & pro illo defendere acriter, & pertinaciter conabatur. Et in his omnibus non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta. Nam etiam ita vagus, & profugus ſuper terram, quod iam non licet inter ſuos, non ceſſat apud alienos, tanquam leo rugiens circuiens, & quærens quem deuoret.*

VIII. Quàm ad amuſſim, Scioppi, quàm numeris omnibus Arnaldum tu æmularis? Negas, aduerte animũ. Adhæſit ille Abailardo, tu Luthero, & huius affinibus catuliſque. Complures errores à perditiſſimis rabulis proſeminatos, atq; ab Eccleſiâ Catholicâ Romanâ inuſto notatos ſtigmate tam auidè amplexus es, adeoq; pertinaciter ſeruâſti, vt contentioſam etiam aduocationẽ & patrociniũ ijſdem in præſens quà dictis, quà ſcriptis tuis adhibeas; neque finem adhuc aut modum inſaniæ ponas. Nam etiam ita vagus & profugus, quod olim diu inter tuos, hoc eſt, inter Hæreticos factitâſti, neque tibi inter Catholicos, quorum perſonam malè iam pridem refers, palàm licet; non ceſſas alienos à te, nempe Catholicos ipſos, clam inſpirato veneno, vitiare, nec vnquam animarum laniatu, quas continenter vulneras, ſatur, tanquam leo rugiens, peſtilentes tuos codicillos, &

Satyras, quærens perpetuò quem deuores, quaquauerſum potes, emittis.

IX. Redeo ad Bernardum. *Et nunc* (inquit) *apud vos, ſicut accepimus, operatur iniquitatem, & deuorat plebem veſtram, ſicut eſcam panis. Cuius maledictione & amaritudine os plenum eſt. veloces pedes eius ad effundendum ſanguinem. Contritio, & infelicitas in vijs eius, & viam pacis non cognouit. Inimicus crucis Chriſti, ſeminator diſcordiæ, fabricator ſchiſmatum, turbator pacis, vnitatis diuiſor. Cuius dentes arma, & ſagittæ, & lingua eius gladius acutus.*

X. Hæc omnia, Scioppi, quàm aptè vndique tibi conueniant, nemini ignotum, niſi cui tua mens, mentum, manus, & lingua incomperta. Os tuum & calamum maledicentiâ, & amaritudine refertum toto hoc *Lydio*, ſed præcipuè *part. 3. cap. 5.* demonſtraui. Pedes tui ad effundendum ſanguinem tardíne ſint, an veloces, facilè dijudicabit, qui totius Chriſtiani Orbis Principes ad integrum Religioſorum virorum Ordinem ab Apoſtolicâ Sede toties approbatum radicitus euellendum, penitusque delendum à te tot feralibus libris fuiſſe concitatos meminerit, teque turbarum, ſeditionum & tumultuum artificem & ſuaſorem fuiſſe, vt ſatis tum in hoc *Lydio*, tum in *Vindicijs* patefeci, ſecum reputauerit. Quam porrò felicitatis ſpeciem ſomniare tu queas, qui viam pacis in hac vitâ nunquam nôſti, atque id vnum ſolatij aucupari videris, vt alios tuis factionibus, & machinationibus deſolatos intuearis? qui *inimicus Crucis Chriſti* es? qui *ſeminator diſcordiæ?* qui *fabricator ſchiſmatum?* qui *turbator pacis?* qui *vnitatis diuiſor?* Si dentes exeris, totidem ſagittas, & arma conſpicio: ſi linguam acuis, gladium acutum ad feriendum, ad lacerandum, ad perimendum cerno, vt vbique *opereris iniquitatem, & deuores plebem, vt eſcam panis.*

XI. Sed

XI. Sed rurſum Bernardus: *Molliti ſunt*, inquit *ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula Vnde & ſolet ſibi allicere blandu ſermonibus, & ſimulatione virtutum diuites & potentes iuxta illud:* Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem.

XII. At ne pilum quidem, Scioppi, Arnaldo in ſycophantiarum palæſtrâ concedis. Nam ſermones extemporales de rebus ſacris & moralibus tam mellitos, tam blandos, tam officioſos melițurge loquax & lingulaca componis, & cædis, vt fucum etiam bene oculatis, niſi valde apud ſe ſint, quàm molliſſimè facias. Cæterùm mox in ſcorpium omnis tua tam dulcis ſermocinatio deſinit. Ex eo enim blanditiarum melle & ſaccharo venena, iacula & cultros promis, vt clam multos innocentes interimas. Virtutis colorem, boniq́ue perſonam viri, quis te doloſiùs aſſimulat? Hac arte in procerum gratiam mirùm, quàm dexterè ſenſim, ac ferè reptabundus tete inſinues, vt repentinò eos tuis erroribus ac fraudibus irretias.

XIII. *Demum quum fuerit* (ſubdit Bernardus) *de illorum captata beneuolentia, & familiaritate ſecurus, videbitis hominem apertè inſurgere in Clerum, fretum tyrannide militari, inſurgere in ipſos Epiſcopos, & in omnem paſſim Eccleſiaſticum Ordinem deſæuire*

XIV. Nunc frontem exporrige, Scioppi, & nauiter perfrica. Nega, ſi potes, cuncta hæc tibi tam bellè congruere, quàm ouum ouo. Quis enim, vbi potentiorum animos inconditâ tuâ garrulitate tibi prorſus deuinctos putas, effrænatiùs, quàm tu, caninos dentes in Religioſas familias, in Sacerdotes, in Clericos, in Epiſcopos, in omnes Chriſtianæ Reipub. Ordines, ne dum in ſolos Eccleſiaſticos, barbarâ omnino immanitate, nedum militari tyrannide adigit? Recole ſis, quæ *part 3. cap. 5.* de tuâ infinitâ maledicendi libidine abundè iam dixi.

XV. Audi poſtremò D. Bernardi de Arnaldo conſilium, & perorationem: *Hoc ſcientes*, ait, *neſcio, an meliùs, ſalubriuſne in tanto diſcrimine rerum agere valeatis, quàm iuxta Apoſtoli monitum auferre malum ex vobis: quanquam amicus ſponſi ligare potiùs, quàm fugare curabit, ne iam diſcurrere, & eo nocere plus poßit. Hoc enim & Dominus Papa, dum adhuc eſſet apud nos, ob mala, quæ de illo audiebat, fieri ſcribendo mandauit. Deniqueſi capi vulpes puſillas demolientes vineam Scriptura ſalubriter monet: num multò magis lupus magnus & ferus religandus eſt, ne Chriſti irrumpat ouilia, oues mactet, & perdat.*

XVI. Quæ omnia pariter, Scioppi, tuum in caput recidunt, cuius improbitas & flagitia è tenebris in lucem ſolemque toto hoc *Lydiæ* pertracta, nullo negotio cuicunq; ſanum eſt ſinciput, oſtendunt, an tutum, vel operæ pretium ſit, te virulentam adeo viperam, Chriſtianæque pietatis, & doctrinæ peſtem in Catholicæ Eccleſiæ ſinu tolerari, an verò præſtet, ſolo te exturbari, vel carceri, ne cæteros ampliùs atraminare poſſis, mancipari. Equidem, vbi Pontifex Maximus, vel Sacri Quæſitores hæc cuncta tua piacula reſciuerint, nullus dubito, quin ſtrenuam daturi ſint operam, ne Lucifugus verbero, ac tenebrio compedes, quas commereris, diutius euadas. Nam ſi puſillæ vulpes Chriſti Domini vineam demolientes, hoc eſt, Catholici nonnulli improbi ob aliquod patratum ſcelus, nunc ob geminas vxores ſimul ductas, nunc ob *Miſſæ* ſacrificium ſine ſacerdotio celebratum, nunc ob mulieres in Pœnitentiæ ſacramento ad Venerem ſollicitatas, in ergaſtula vinculaque, & meritò conijciuntur: quidni multo magis curandum, ne tu tam magnus, & ferus lupus tot Hæreſum, aliorumque criminum manifeſtus, elabaris, ne alioqui, ſi impune circumerres, in Chriſti ouile ouibus quotidie graſſeris?

XVII. Ex

XVII. Ex his pronum iam erit, Scioppi, eorum verſiculorum, quibus tui imaginem à te illuſtratam, vt ſupra retuli, voluiſti, germaniſſimum ſenſum elicere. Quàm lepidi illi ſint, nihil dico; quàm concinni, non quæro; quàm elegantes, diſſimulo. Nunquam tam ingenioſi ac venuſti toto in Parnaſſo auditi ſunt, nunquam ſimiles Apollini arriſerunt.

Hoſtem eſſe atq; inimicũ hominũ morumq; malorũ.
Contra defenſorem hominum morumq; bonorum.
Magnificare hos, his bene velle, his viuere amicum.

O lepores! ô gratias! ô veneres! apage. rideo. vix cachinnis tempero, neſcio, an Apuleiana animans abſurdiùs rudere potuiſſet. Sed de concinnitate carminum tu videris; ad ſententiam quod attinet, malorum hominum, morumque hoſtem, contra verò proborum amicum priſcâ fide virum te iactari palàm eſt; at reapſe talem te eſſe, tam falſum, quàm Catholicæ fidei te corruptorem ac transfugam exiſtere, minimè dubium. Nam iſto in *Lydio* non tralatitiâ operâ monſtratum à me eſt, te Hæreticorum congerronem, fautorem ac patronum eſſe; quinam autem Hæretici, niſi bipedum ſceleratiſſimi? proborum autem virorum, Sacerdotum, Monachorum, Religioſorum, Antiſtitum, *Cardinalium*, atque Pontificum inimicum iuratum, implacabilemq; obtrectatorem. Priſcam verò, quam ſomnias, fidem, quicunque tuos ſenſus omnes cognitos habet, Punicam iure intelligit, aut quæ iam pridem tuo ab animo pulſa eſt; vel certè Hæreticam tot hactenus teſſeris conteſtatam. Quid enim noſtræ tempeſtatis Hæretici frequentiùs ore verſant, memorantque, quàm priſcam à ſe fidem coli, non hanc nouitiam, vt ipſi calumniantur, *Papiſtarum?* Cæterùm quid fidei tu habeas, Scioppi, aut merearis, qui tuos libros

innumeris & portentoſis mendacijs compleuiſti; qui iura omnia diuina & humana truculentis calumnijs vulnerâſti; qui turpi dictorum pugnâ à te ipſo diſſentis; qui diuinas literas, ſacra Concilia, Doctorumque Catholicorum monumenta dolo malo truncâſti, lancinâſti, deprauâſti, vt hic ipſe *Lydius* fidem locupletem iam fecit, nemoque iam tam excors eſt, qui non probè animaduertat? Quare imago illa atque effigies, quæ ære expreſſa circumfertur, nonniſi ſpuria eſt, ignique debetur; hæc autem, quæ tum hoc capite, tum reliquo opere, & meis *Vindicijs* expicta eſt, legitima, & vera cenſenda.

Cap. IV.

Totius Operis ad Gaſparem Scioppium peroratio.

I. ABſolui tandem, Scioppi, *Lydium* hunc meum de tuo ingenio, ſpiritu, ac moribus *Lapidem*; quem ego non liuore vllo, vel aliâ æſtuantis animi perturbatione ſolicitatus, ſed Chriſtianâ dumtaxat fide & caritate inuitatus, Religioſoque impulſus officio elaboraui; nempe vt publico bono proſpicerem; vt damna, quæ tuis ex libris nocentiſſimis, quos diuulgâſti, factioſiſque è turbis, quas cies, in Rempub. iam redundârunt, porroque imminent, quoad poſſem, reſarcirem, atque auerterem; vt denique effrænatam tuam iſtam impudentiam quoquo ſaltem modo comprimerem.

II. Iam quia tu in calce tuæ *Anatomiæ*, *pag.* 103. ſpecioſam illam clauſulam: *Liber hic ad Romanæ Eccleſiæ tribunal ſtat. Ibi ſe iudicari oportere aduerſus omnes proclamat:* non ſine fraude, quò tuis libellis famoſis auctoritatem adiungeres, ſubiecîſti, ſimilique dolo in *Conſultatione Fratris Iuniperi*, *pag* 46.

Apoſto-

Apoſtolicæ Sedis iudicium à te poſtulari Lectoribus perſuadere contendiſti; ego pariter,ſed diſpari animo (quemadmodum in ipſo quoque Operis huius veſtibulo ſemel præfatus ſum, idemque hîc in fine lubens repeto) ad idem ego veritatis tribunal prouoco, non fictè, vt tu, ſed ſine fuco & falla-ciâ, eidemque Sedi Apoſtolicæ *Lydium* iſtum meum venerabundus ſiſto, vt iuſta ab illo ſententia de tuis tam multis erroribus, de calumnijs in noſtram Societatem editis,de pleriſque alijs tuis flagitijs, tum de omnibus coloribus, & penicillis, quos hîc ad te lineandum exprimendumque adhibui, rite feratur. Nomen meum, & cognomen verum non, vt tu, ſubduxi, ſed candidè appoſui, atque vbi gentium degam, quò ad cauſſam dicendam, ſi opus ſit,facilè acciri poſſim, in ipsâ ad Lectorem Epiſtolâ nulli non compertum volui.

III. Verùm quia ſpes nulla, Scioppi, eſt, fore, vt tu vadimonium hoc Romæ obeas, Romanæque Curiæ Iudicibus, à quibus tuas calumnias, mendacia, ac libros damnatos iam atque proſcriptos nôſti, tete credas; age, ſi vir es, ſi qua tibi ingenui ſanguinis gutta ſupereſt, ſi quid honeſti pudoris reliquum adhuc habes; ſcripto ſaltem,vulgatoque libro,ad ea omnia,quæ ego in hoc *Lydio* tibi vitio do,atque exprobro,reſponſum germanum expedi, quique Logices & Philoſophiæ tam inſigni peritiâ gloriaris, cuncta, quæ criminatus ſum, Dialecticâ omnino lege accuratè, partitè, ſolidèque diluito. Nam quod S. Hieronymus *a* à Pammachio, id ego à te iure meo exigo. *Reſponde,*Scioppi, *ad ſingula, per huius* Lydij Lapidis *veſtigia gradere, ne punctum quidem & apicem calumniæ* tuæ *tranſeas* Quid iam tibi animi,dic ſodes,quid conſilij eſt? Audiui ego, nec ſemel, à magnis viris ſolemne tibi eſſe, quum tuorum deliramentorum ab amicis moneris, ro-

Ff 4 garisque,

a *Epiſt ad Pammach aduerſus errores Ioan.Ieroſol.*

gariſque,quo demum pacto tam confertas, armatasque aduerſantium argumentorum, ac teſtium acies tuum calumniarum, errorum, atque exiſtimationis iugulum ſtrictis mucronibus petentes ſuſtinere queas,aut repellere; ore vultuque ſtomachabundo contemnere, ac ne verbo quidem detectis tuis mendacijs repugnare auſum, fronte nauiter exporrectâ, ſermonem aliò per bellam ludificationem traijcere. Quâ pariter ſycophantiâ debellatum quoque à te Forerum exiſtimâſti, quum aſpernari te cimicis tam fœdi contactu digitos tuos inquinare ſcurriliter cauſſatus es, quemadmodum in meis *Vindicijs, cap.* 14. §. 1. iam docui. Verùm, ſi mihi, Scioppi, nullum reſponſum, ſicut nihil etiam Foreri, Henricique Codicibus in te iam dudum publicatis, niſi conuicia aucta conuicijs hactenus repoſuiſti,deinde dederis, minimeq; his cunctis,quibus illaqueatus es,pedicis te explicaueris, nil tibi hæ tuæ artes proderunt, nihil ſuffragabuntur, quin potiùs te paraſitorum omnium anteſignanum ducemque tanto magis reuincent.

IV. Sed fortè crebram animi tui expiationem tibi aduocabis,crebramque ſacroſanctæ Euchariſtiæ refectionem tuæ integritatis patrocinio oppignerabis. Itáne verò tuæ integritatis patrocinio? Vide,quid loquaris. Quid verborum tibi excidit? dicta reuoca. Spatium indulgeo. Reſipiſce. Renuis, & adhuc innocentem te fabularis, credique vis? ô procacitatem! ô amentiam! Túne diuinorum Myſteriorum, quæ frequenter obieris, mentionem inieceris? ô polluto ore polluta Myſteria! ô ſacrilego pectore cœleſtem Hoſtiam contaminatam! ô adulterinæ tuæ pietatis ac religionis inſpectorem,ac vindicem Deum! Scioppi,manus tuæ multo ſanguine reſperſæ ſunt, lingua tua innumeris delaſſata maledictis, cor tuum tot ac tam fœdis vitijs obſeſſũ; & tam multis in flagitijs

adhuc

adhuc obfirmatus, ad tremendum IESV Chriſti Corpus, Sanguinemque ſumendum, Iudâ ſcelera-tior, audes accedere? Tu plurimorum innocentium honeſtiſſimam famam turpiſſimis contumelijs & calumnijs iniquiſſimè commaculâſti; tu Religioſi Ordinis inſaturabili odio exardeſcis; tu leges humanas & diuinas ad vlciſcendi libidinem explendam migras; tu diuinas Scripturas ad proborum virorum dedecus torques, corrumpis, peruertis; tu quicquid ignominiarum aut propudiorum fœdum, infandumque excogitari poteſt, effrænî ore in Principes, in Reges, in Cęſares, in Epiſcopos, in *Cardinales*, in Monachos, in Religioſos euomis; tu ſuperbiâ & arrogantiâ turgidus, cæteros ferè deſpicis; tu viros Sanctos de cœlo detrahis, incruentum *Miſſæ* ſacrificium ludificas, Diuinam illam victimam Chriſti Domini inanem corpore indicas, vetitos ab Eccleſiâ libros recudis, legis, diſſeminas, Chriſti ſponſam eandem Eccleſiam viros eximiæ virtutis Sanctorum concilio cœtuique adſcribentem erroris poſtulas, Apoſtolicam Romanam Sedem explodis, Caluini denique aſſeclam & diſcipulum apertè agis, ac te profiteris; quodque multo adhuc execrabilius eſt, hæc adeo tætra facinora iactas, ſicut Sodoma, prædicas, inſtar Luciferi efferris; quumque peſſimè feceris, & facias, peſſimis longè peiùs gloriaris, peſſimeque triumphas; & labijs ita impuratis ſacroſancto illi infinitæ puritatis conuiuio, Scioppi, te ingeris? Et has tuas infames corruptelas cunctis latêre tu autumas? At nota iam vulgo tua Phariſaica *hypocriſis*, notæ fallendi artes. Quamobrem deſine tandem hac religionis laruâ rudibus imponere, deſine ſimplices traducere, deſine Chriſto, Eccleſiæ, reliquis, tibi illudere, memineriſque diuinum illud, quod tibi Æternus Iudex denuntiat, præceptum: a *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus*

a *Matth.* 5.

datus fuerit, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliare fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum Hypocrita, i priùs, inueteratam obtrectandi & calumniandi nequitiam exue; i, purulentas animæ tuæ ſordes emacula; i, multiplicia, quæ in Deum & Sanctos piacula commiſiſti, lacrymis expia; i, tot Hæreſum portenta gemitibus eneca; tam grauia, quibus proximos afflixiſti, detrimenta perenni ſaltem luctu, publicâque retractatione reſarci; palinodiam tuorum famoſorum Codicum ſalutarem, omninoq; neceſſariam feſtinato calamo ſcribe, manu confeſtim vulga, ore vbique perſona; ac tum demum probè vndique defecatus diuinæ menſæ accumbito.

V. Cæterùm quoniam iſtas *Hæreticorum*, & impudentium calumniatorum *machinas eſſe*, ex S. Hieronymo a iam dudum didici, & ſupra *par 3. cap. 6.* notaui, *vt conuicti de perfidia, ad maledicta ſe conferant*: tuque à Forero de ſexcentis erroribus, mendacijs, & calumnijs appellatus, omiſsâ tui ingenuâ defenſione, noua dumtaxat probra ei denuo regeſſiſti; quid ego à te bipedum omnium maledicentiſſimo, maledicendique artem olim profeſſo, & nunc continenter exercente pro candidâ reſponſione, & refutatione hîc aliud, quàm contumeliarum, & dedecorum omnium purgamenta expectare poſſum? At ego cuncta iſta (in anteceſſum edico) ne pili quidem fecerim, tantum abeſt, vt ijs quicquam mouendus ſim, aut perturbandus. Imò verò hæc ipſa opprobramenta audiſſimè etiam expeto. Quid ita? cogor tibi fateri, quam diſſimulare non poſſum, ambitionem meam Cupio enim etiam atque etiam in tot diuerſiſſimorum, ac nobiliſſimorum virorum, qui à te per ſummum nefas turpiſſimè agitati ſunt, Ordinem cooptari,

a *Lib. 3 contra Ruffin.*

optari, tuiſque dehoneſtamentis bellè cohoneſtari. Nam quum noſtræ Societatis tot Patres vitæ innocentiâ, eruditionis copiâ, ſapientiæ prærogatiuâ ornatiſſimos à te morderi ac lacerari intueor: quid noſtros homines dico? Quum cerno, ne ſummis quidem capitibus te peperciſſe, nec Pontifices Maximos, nec purpuratos *Cardinales*, nec illuſtriſſimos Epiſcopos, nec innoxios Monachos, nec Auguſtiſſimos Cæſares, nec Sereniſſimos Principes, nec cæteros Chriſtianæ Reipub. alicuius nominis proceres, aut optimates extra tuæ maledicentiæ ictum poſitos eſſe, ſed cunctos promiſcuè probroſis dicterijs à te proſciſſos; an non auiditas ingens meritò me derepente inceſſat contumeliarum omnis generis tuo ex ore calamoque vnà cum tot Chriſtiani Orbis luminibus excipiendi, meique nominis hac ipsâ dedecorùm conſociatione illuſtrandi?

VI. Nec ad irritum, ſpero, mea vota cadent. Conuiciorum enim & ignominiarum demenſum dabis, non dubito, abundè, effusè, prolixè; non modio, neque trimodio, ſed ipſo horreo. At neque exiguam etiam tantæ tuæ iſtius beneficentiæ ſtrenam à me feres. Quippe niſi tu mea argumenta, mea propugnacula, mea totius huius *Lapidis* firmamenta validè arietaueris, conuulſeris, labefactaueris, deieceris, etis planè occiſiſſimus. Rurſum enim à me cumulatè vapulabis. rurſum pœnas mihi perſolues, maiores, longiores, grauiores. Nam quid demum tuis maledictis de integro eiaculatis lucraberis? Vt ego deinde ſtylum meum quo longiùs tu atq; abſurdiùs à veritate ad mendacia, atque ineptias deflexeris, eo duriùs, atque immitiùs per tua omnia carcinomata, atque vlcera, clementiſſimâ inclementiâ iterum circumducam, pusque omne inde ac ſaniem inſaniæ tuæ, maleuolentiæ, odij, inuidiæ, inſcitiæ, impietatis, ac

reliquorum ſcelerum, te ad ſidera vſque nequicquam eiulante, ac vociferante, funditus exprimam.

VII Quod ſi, vt aſſoles, ad Grammaticas offucias & tricas, quò te è tragulis, quibus à me irretitus es, extrices, Scioppi, diuerteris, ac nonnullos fortaſſe barbariſmos, vel ſolœciſmos ex hoc meo *Lydio*, aut alijs, quos Numine aſpirante propediem vulgabo, libris meis exterebrare ſeu iure, ſeu iniuriâ tentaueris, operam tu nihiloſecius, mihi crede, penitùs luſeris. Quid tum poſtea enim, etiamſi nonnullas ex his Latinitatis maculis in meis monumentis tu offenderes, quas magnus etiam Auguſtinus in ſuis inſuper habuit, & vel ipſi Ciceroni interdum excidiſſe, diſertiſſimè *lib.* II. *de Ordine cap.* 17. ita teſtatur? *Solœciſmos autem, quos dicimus, fortaſſe quiſque doctus diligenter attendens in oratione mea reperiat non enim defuit, qui mihi nonnulla huiuſmodi vitia ipſum Ciceronem feciſſe peritiſſimè perſuaſerit.* Quid quod M. Antonius Muretus vir eruditiſſimus, non modò M Tullium, ſed alios etiam Latinæ linguæ locupletes Auctores Plautum, Terentium, Salluſtium, huiuſmodi ſeu infortunij, ſeu oſcitationis minimè immunes fuiſſe, *volum.* II. *lib.* I *epiſt* 33. vt in meis Latinitatis *Menſuris cap.* 35. obſeruaui, luculenter demonſtrat?

VIII. Sed quid ego Grammaticam hîc, aut Rhetoricam, Scioppi, moror, quum non de vocum, nominum, vel dictionum ſtructurâ, ~~& electâ~~, & elegantiâ, aut de barbariſmis, & ſolœciſmis lis ſit, ſed de barbariſmis & ſolœciſmis actionum & facinorum tuorum? Quæro enim de te; ſi quis furcifer, capitalis reus fraudis, dum equuleo impoſitus, exquiſitis tormentis vexatur, ſubiectiſque candentibus laminis, quò crimen fateatur, vritur; de ipſo crimine nihil prorſus reſponderet,

ſed

ſed ad Notarium, Iudicemq́ue verſus, criminationis ſibi expoſitæ inelegantiam, ſtribiligines, imparilitates, ſolœca & barbariſmos tantummodo culparet, atque irrideret; num propterea ſuam vindicaret innocentiam? num obiectum crimen dilueret? num fuſtuarium, crucemq́ue effugeret? Neutiquam. Nam in riſum quidem is Iudicem ac Notarium iſtiuſmodi ſtrophâ ſolueret, ſed non ſuo de flagitio quæſtionem. Atqui eâdem prorſus & tu Scioppi, oberras chordâ. Quippe non hic de ſyllabis, non de verbis, non de conſtructione vel ornatu orationis quæſtio eſt, ſed de tuo ſpiritu, de tuâ fide, de tuâ veſanâ doctrinâ, de tuo Hæretico halitu, de tam multis tuæ Hæreſis teſſeris, & verrucis, de vitâ denique tuâ adeo improbâ, de tot ac tantis maleficijs tuis. Quare niſi copioſâ admodum pro his omnibus aduocatione vſus fueris, omnemque peccati labem à te remoueris, ſed nomina dumtaxat, & phraſes ad Orbilij cenſuram, & ſcuticam reuocaueris, aquam ſcilicet cribro tu hauſeris, nec ſupplicium, quod commeruiſti, vnquam eluſeris.

IX. At ne meum hunc Lydium Lapidem omnino ſine lapide, hoc eſt penitùs immunitum, improtectumq́ue linquam, hoc vnum, Scioppi, tecum reputes, velim, haud ſanè mirum eſſe, ſi quando etiam bonus Homerus dormitet, & magni quoque viri in aliquem errorem ſubinde rapiantur; imò de ſtultitiæ palmâ eum ſine dubio certare, qui nunquam ſe erráſſe inconſultè gloriatur. Quam ſententiam, atque modeſtiam quia hactenus ignorâſti, accipe eam nunc ex D. Auguſtini oraculo *epiſt.* 7. totidem verbis. Recitetur: *Illa autem literæ tuæ, quas Presbyter Vrbanus attulit, habent quæſtionem mihi propoſitam ex libris non diuinis, ſed meis, quos ſcripſi de libero arbitrio. In talibus autem quæſtionibus non multum laboro, quia etſi defendi*

ſententia mea liquidâ ratione non poteſt, mea eſt, non eius Auctoris, cuius ſenſum improbare fas non eſt, etiam quum, eo non intellecto, hoc inde ſentitur, quod improbandum eſt. Ego proinde fateor me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt Vnde ſi aliquid vel incautiùs, vel indoctius à me poſitum eſt, quod non ſolùm ab alijs, qui videre id poſſunt, meritò reprehendatur, verùm etiam à meipſo, quia & ego ſaltem poſtea videre debeo, ſi proficio; nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potiùs ignoſcendum, atque gratulandum, non quia erratum eſt, ſed quia improbatum. Nam nimis peruersè ſeipſum amat, qui & alios vult errare, vt error ſuus lateat. Quanto enim melius, & vtilius, vt vbi ipſe errauit, alij non errent, quorum admonitu errore careat. Quod ſi noluerit, ſaltem comites erroris non habeat. Si enim mihi Deus, quod volo, praſtiterit, vt omnium librorum meorum, quacunque mihi rectiſſimè diſplicent, opere aliquo ad hoc ipſum inſtituto, colligam atque demonſtrem: tunc videbunt omnes homines, quàm non ſim acceptor perſona mea. Vos autem, qui me multum diligitis, ſi talem me eſſe aſſeritis aduersùs eos, quorum malitiâ, vel imperitiâ reprehendor, vt me nuſquam ſcriptorum meorum erraſſe dicatis, fruſtra laboratis, non bonam cauſſam ſuſcepiſtis. Facilè in eâ, me ipſo Iudice, ſuperamini: quoniam non mihi placet, quum à cariſſimis meis talis eſſe exiſtimor, qualis non ſum. Profectò enim non me, ſed pro me alium ſub nomine meo diligunt: ſi non quod ſum, ſed quod non ſum, diligunt. Nam in quantum me nouerunt, vel de me verum credunt, ego ab eis diligor: in quantum autem mihi tribuunt, quod in me non cognoſcunt, alium talem, qualem me putant, pro me diligunt. Et paulò pòſt; a Romani maximus auctor Tullius eloquij. *Nullum vnquam verbum, inquit, quod reuocare vellet, emiſit* (nempe ſapiens, de quo ibi loquitur),

a *Lucanus lib. 7.*

tur) Quæ quidem laus, quamuis præclariſſima videatur tamen credibilior eſt de nimium fatuo, quàm de ſapiente perfecto. Nam & illi, quos vulgo moriones vocant, quanto magis à ſenſu communi diſſonant, magisq; abſurdi, & inſulſi ſunt, tanto magis nullum verbum emittunt, quod reuocare velint, quia dicti mali, vel ſtulti, vel incommodi pœnitere vtique cordatorum eſt. Sed ſi in bonam partem accipiatur, vt quempiam talem fuiſſe credamus, qui quum ſapienter omnia loqueretur, nullum vnquam verbum, quod reuocare reuocare vellet, emiſit; hoc potiùs de hominibus Dei, qui Spiritu ſancto acti locuti ſunt, quam de illo, quem ſic Cicero laudat, ſaluberrimâ pietate credendum eſt. Ab hac ergo excellentia tam longe abſum, vt ſi nullum verbum, quod reuocare vellem, protulero, fatuo ſim, quàm ſapienti ſimilior Illius quippe ſcripta ſummâ ſunt auctoritate digniſſima, qui nullum verbum, non quod reuocare vellet, ſed quod reuocare deberet, emiſit. Hoc quiſquis nondum eſt aſſecutus, ſecundas habeat partes modeſtiæ, quia primas non pótuit habere ſapientiæ; quia non valuit omnia non pœnitenda diligenter dixiſſe, pœniteat, quæ cognouerit dicenda non fuiſſe. Quum ergo, non ſicut quidam cariſſimi mei putant, nulla, vel pauca, ſed potiùs plura fortaſſe, quàm etiam maledici opinantur, verba dixerim, quæ mallem reuocare, ſi poſſem, non mihi illa Tulliana blanditur ſententia, quâ dictum eſt; nullum vnquam verbum quod reuocare vellet, emiſit: ſed angit me planè Horatiana ſententia: Neſcit vox miſſa reuerti. Hæc D. Auguſtinus, diuinus planè ſapientiæ, ac modeſtiæ Myſtes.

X. Quæ cuncta quum tantus Eccleſiæ Doctor, admirandumque doctrinarum omnium emporium de ſe adeo demiſsè prædicauerit; an ego, Scioppi, ita ſim hebes, & fatuus, vt quæ diuinorum tantummodo Scriptorum, qui Spiritu ſancto afflati ſunt, peculiaris, & propria prærogatiua eſt, nullam ſcilicet vt vocem, quæ meritò reprehendi

poſſit, aut reuocari debeat, vnquam emiſerim; hanc mihi impudentiſſimè, ac ſtolidiſſimè arrogem? Non tam lautè adhuc dementiæ litaui. Hominem me eſſe memini, ac proinde humani nihil etiam à me alienum puto, nouique optimum, qui minimis vrgetur iure cenſeri. Idcirco quicunque errores meos, qui mihi imprudenti forſan illuſerunt, coarguerit, mihique eripuerit, immortali me ſibi obſtringet beneficio. At is reuocet ſibi etiam in memoriam ex Auguſtino, non mirandum, neque dolendum, ſi quando per incogitantiam allucinatus ſum, ſed potiùs ignoſcendum, & gratulandum; non quia errani, ſed quia monitus erratum agnoui, ac reuocaui; ad quod me pronum ſemper paratumque ex animo, ac ſine fuco polliceor.

XI. Nunc ad te redeo, Scioppi, teque longè alio orationis genere, quàm hactenus vſus ſum, compellans, humi flexis genibus, per Ieſu Chriſti ſanguinē oro, atq; obteſtor, vt te in hac ſenili tuâ ætate aliquando reſpicias, vt ſemel reſipiſcas, vt te animę tuæ tandem miſereat, vt extremū illud horrendumq; Dei iudiciū, à quo longè abeſſe non potes, & in quo omniū quæ egiſti, dixiſti, cogitâſti, ſcripſiſti, edidiſti, rationem Æterno Iudici es redditurus, ſeriò mente voluas ac reuoluas, ne ſerò nimis te id neglexiſſe pœniteat. Quæſo te, errabunda ouis, cuius anima animarum Paſtori tam caro ſtetit, tam caro empta eſt, in viam regredere. Sed vt redire poſſis, primum omnium ſuperbiam iſtam tuam adeo proteruam, iudiciumque proprium ita obfirmatum, ac pertinax, vt id inſtar idoli colere videaris (quod tuarum certè omnium noxiarum, ſcelerum, errorum, atque ærumnarum radix primigenia eſt) probè frange, & contunde, iniectoque Chriſtianæ humilitatis, ac moderationis fræno, ſedulò, fortiterque coërce. Quo ſemel

à te

à te impetrato, & reliqua quoque tua omnia piacula nullo negotio recognoſces, ſyncerè execraberis, emiſſiſque quàm primùm, quod omnino neceſſe eſt, in lucem libris, Orbi vniuerſo, ea à te verè inducta, atque abolita, perſuadebis, ori tuo calamoque moderaberis, maledicentiam refrænabis, errorum atque Hæreſum inſignia auferes, famam, quibus debes, redintegrabis, cæteras Chriſtiani partes officij omnes explebis; quod vbi ego à te perfectum videro, tum enimuero gaudio exultabo, & cum Apoſtolo *a* libenter *impendam*, & *ſuperimpendar* pro animâ tuâ, pro quâ lucrifaciendâ nihil vnquam laboris, nihil operæ, aut moleſtiæ recuſabo. Interim autem vt id quàm primùm efficias, Deum totius miſericordiæ quotidianis ſacrificijs & precibus tibi propitiare non deſinam.

a 2. *Corinth.* 12.

Omnia ad maiorem DEI *gloriam.*

IN-

INDEX
RERVM, AC VERBORVM.

Primus numerus Lydij Lapidis partem, ſecundus partis caput, tertius paginam, vel §. quartus ac poſtremus capitis, vel §. numerum deſignat.

Accuſatio, Accuſo.

Leges vetant ſolùm accuſationes calumnijs fartas de occultis delictis, 1. 5 p. 140. n. 2 p. 141. n. 3.

Ambitio.

Effatum de ambitione cauenda malè carpitur à Scioppio, 3. 7. § 5. p. 577 n. 8

Apologeticum, vide *Defenſio.*

Apologetica pro fide Catholica, præter tribunal Inquiſitionis, ſunt neceſſaria, 1. 3 § 6 p. 53. §. 7. p. 55. n. 1. ad 7. *Doctores exigentes ante infamiam iuris ſubeundam, Iudicis ſententiam & declarationem non obſtant Apologeticis*, §. 1. p 86 n. 16. *Apologetica in Hæreticos, vel calumniatores accuſantur velut famoſi libelli*, 1. 4 p. 114 n. 2 *ſed non eſſe reuincitur ex definitione libelli famoſi*, 1. 4. § 1. p 116 n 3. *& ex alijs documentis ad* num. 15. *& diluuntur obiecta*, §. 4 p. 184. *Non ſunt famoſi libelli*, 1. 4 § 2. p. 124 *nec præ ſola verborum aſpredine*, §. 3 p. 129. *In crimen innocentia temerè vexata fruſtra vocantur*, 1. 5. p. 139 *Fama calumniatoris, vel Hæretici exagitata non obeſt Apologeticis*, 1. 6. p. 146. *nec præuia interrogatio, ac monitio Hæretici prætermiſſa*, 1. 7. p 148. *nam vtraque non habet locum in Hæretico pertinaci manifeſto*, p 149. n. 1. *& ſine monitione ſunt deferendi Hæretici ad Inquiſitorē*, p 152. n 8 *omittiturq; à Sede Apoſtolica*, n. 5 ad 16. *Apologetica nomen Hæretici imponunt certo homini ex ſolidis fundamentis ſine vllo offendiculo, vel incommodo Reipub* 1. 8 p 158. *etſi non licet alia crimina exprobrare, omiſſâ accuſatione, differt enim hæreſis ab alijs delictis*, p. 159. n. 2. & ſeqq. *Apologeticis in Canones non aduerſantur*, 1. 9. p. 161. *nec Pij V. Sanctis*, 1. 10 p 88 *nec alia exempla*, 1. 11. p. 174.

Appello.
Non licet ab aperta hæreſi appellare ad Pontificem, l.3.§.1.p.15.n.1.
Auaritia.
Malè à Scioppio diuiditur,3 7.§.4 p 503.n 1.2. *dat,& accipit*, ibid. *malè negatur contraria liberalitati*, n.4. & 5.
S. Auguſtinus.
Dialectices imperitus imperitè à Scioppio arguitur,2.7.p.234.n.7.
Bona Eccleſiaſtica, vide *Pontifex*.
Bulla *Cœna*.
Alicubi non eſt recepta, 1.3.§.7.p 55.n.2.
Calumnia, Calumniator, Calumnior.
Apologetica in Calumniatores accuſantur, vt famoſi libelli, 1. 4. p. 114. n.2. *ſed fruſtra*, §.1. p.116. n. 3. *ad* 15. *accuſationes calumnijs farta tantùm à legibus vetantur*, 1. 5. p. 140. n. 2. *quæ leges de occultis tantùm delictis loquuntur*, p. 141. n.3. *Calumnias,conuicia,& contumelias ſine vlla innocentis infamati notâ, alióue incommodo denarrari*, 3.5.§. 7.p. 508. & ſeqq. *Calumniæ ſata à Scioppio* 3.6.p.514. ad finem.
Cano, vide *Canto*.
Canonizatio.
Pontifex in Canonizatione *Sanctorum non errat*, 2.5 p 213 n 2. *quod negat Scioppius*, n.3.4.5.6.
Canto, Cantus.
Miniſterium canendi & pſalmodiæ minoris eſt pretij, quàm cura prædicandi Euangelij, & lucrandi animas, 2.8 p. 247. n 7. *nam cantus etiam per* Laicos *exerceri poteſt*, ibid.
Canus.
Opinio Cani de errabundo Pontifice in Religione approbanda improbabilis, 2.8.p 251.n.11.
Caſtitas,Caſtus.
Votum Caſtitatis à Scioppio vulneratum, 2.9. p. 263 n.8. *infeliciter iactatum*,3.3 § 1.p.417. *Hæretici minimè caſti*, p. 419. n 6.
Chriſtus.
Plura etiam dedit,quàm accepit, nempe æterna,imò corporalia quoque, 2. 10. p.277 n 14
Citatio, *Cito*.
Reus non citatur,quando criminis euidentia defenſionem irritam reddit, 1.7.p.151.n.6.

Compendium.
Compendium ſententiarum vſitatum etiam Apoſtolu, præf. *n.7.*

Concilium.
Concilij Tridentini quantus ſplendor, atque auctoritas, 2.4.*p*.203.*n*.3.

Contemplator, Contemplor,
vide *Scioppius, par.*2. *cap.* 12 *pag.*290 & ſeqq.
Qui ſaluti animarũ vacant, plus merentur, quàm contemplationi dediti, 2.12.*p*.296.*n*.8.9.

Contradico, Contradictio.
Hæretici ſueti ſibi contradicere, 3.8.*p* 593.*n*.1.

Contrarius.
Scioppius malè negat duo vitia vni virtuti eſſe contraria, 3.7.§ 3 *p*.559 *n* 11.12.13. *quomodo vnum vni tantùm ſit contrarium, n.* 14.

Contumelia, vide *Calumnia.*

Conuicium, vide *Calumnia.*
Ad conuicium formale non ſatis ſunt verba aſpera materiata, 1.4.§.3 *n* 2. *ad* 14. *Conuicia Auctor Lydij à Scioppio ambitioſè expectat*, 4.4 *n*.5.

Crimen, vide *Hiſtoricus.*
Publicum crimen facto narrare, nulla ex ſe iniuria eſt, 1.4.§.1.*p*.116.*n*.5.6.7. *nec quum per Iudicis ſententiam publicatũ eſt*, *p*.120 *n* 8. *ſecus ante publicatam ſententiam*, *p*.121. *n*.10.11. *Exprobrans occultum etiam crimen, ſi id manifeſtari prodeſt Reipub. non eſt iniuria reus*, *p*.122. *n*.13. *neque libelli famoſi*, §.2.*p* 124 *n*.2. *quoties crimina ex iuſta cauſſa obijciuntur, præſumitur, ex cauſſa, & non ex animo faciendæ iniuriæ id contigiſſe, legiq; interpretatio, quæ crimen excludit, præfertur, quando factum poteſt manare ex cauſſa*, *p* 126.*n*.5. *Qui verum crimen è prauo affectu exprobrat, reus eſt iniuria*, ibid. *Verum crimen extra iudicium per libellum famoſum vulgare, ſi id Reipub interſit, fas eſſe, tradunt plures Doctores*, 1.4.§.4.*p*.138 *n* 4 *Sine accuſatione non licet exprobrare alia crimina, præter hæreſim*, 1.8. *p* 158 *n* 1. & ſeqq. *exprobrare alteri crimina etiam publica, nefas eſt*, 1.9.*p* 166.*n*.10 *Crimen*

*men dilaitur exprobrandi, quando probatur exprobratum ex cauſſa,n.*10. *&* 11. *Crimen publicū quodnam ſit,* 2.1 *p.*191.*n.*6.

Cura.

Cura animarum, & concionandi maioris pretij eſt, quàm pſalmodia, 2.8. *p.*247.*n.*7.

Datio, vide *Do.*

Defendo, Defenſio, Defenſor, vide *Apologeticum.*

Ad defenſionem innocentia, & fidei Catholica fas eſt, nominare Hareticum ſingillatim, 1.5.§.6. *p.*44 *n.*1 *ad* 9. *quia de iure natura eſt vtriuſq; defenſio.* ibid. *Fides Catholica non ſatis defenditur contra hareſim, niſi exprimatur auctorem eſſe hareticum, hareſimq; ab eo commiſſam,p* 49.*n.*7.*&*8. *Facti infamia omnes improbi ſine defenſionis clypeo laborant,* 1.5. *p* 143. *n* 8 9. 10. *quando euidentia criminis defenſionem reddit irritam,non citatur Reus,* 1.7.*p.*151. *n.*6.

Detractio, Detractor.

*Iniurioſa tantùm detractio vetatur,*1.9 *p.*162. *n.*5.

Deus.

An poſsit votis, & pre- cibus contemplantium obſiſtere? vide Scioppius, par.2. cap.12. p.290. *&* ſeqq.

Dignitas.

*Votum abſtinendi dignitatibus Eccleſiaſticis Scioppius ridiculè vouit,*3.3.§ 2. *p* 424.*n.*2.*ad* 9.

Do, Datio, vide *Receptio, Eleemoſyna.*

Dominicani.

Laudati, quibus Scioppius iniurius, 2.7. *p.*229. *n.*2.

Ebrius.

*Deſcribitur,*3.8.*p.*594. *n* 2 *&* 3.

Eleemoſyna.

Chriſtus docuit beatius eſſe dare, quàm accipere, eleemoſynas *tum* ſpirituales, *tum corporales, ſuo exemplo,* 2.10. *p.* 278. *n.* 15. *Non eſt perfectorum tantùm erogare* eleemoſynam,*p* 282 *n.*17.

Epiſcopus.

*Obligatur ad perfectionem, quanquam nullum ius cogat eum ſtatim eſſe perfectum,etſi in ſtatu perfectorum,aliosq; perficientium ſit,*2.10 *p.*280. *n* 16. *Quamuis omnes Epiſcopi forent*

forent perfecti, nō propterea tamen largiri eleemoſynas *eſſet tantùm perfectorum, p* 281. *n* 17. *Epiſcopi ad paupertatem benedictinorum adiguntur à Scioppio,* 2. 11. *p* 284 *n.* 1. *&* 2. *ſed auſo haretico ad p.* 290. *Domini enim ſunt rerum, & poſſeſſionum, p.* 286. *n.* 4.

Erro, Error.

Nemo debet erubeſcere errorem à ſe in ſcribendo admiſſum, quum errent etiam ſummi viri, 4. 4. *n.* 7. 8. 9. 10.

Ethica.

Malè à Scioppio confunditur cum morali Philoſophia, quum huius ſit tantùm pars, 3. 7. §. 3. *p.* 553. *n.* 7.

Factum, vide *Quaſtio.*

Fama. vide *Infamia.*

Manifeſti Haretici fama non laditur, 1. 6 *p* 146. *n* 2. *Haretici fama iure ladi poteſt, p* 147 *n.* 3.

Fides Catholica, vide *Defenſio.*

Gaſpar Scioppius, vide *Scioppius.*

Grammaticus.

Superbiſſimi Grammatici: ſatores hareſum, 3. 1. §. 2. *p* 397. *n* 6.

Hæreſis, vide *Apologeticum, Hareticus, Scioppius.*

Hareſis quid ſit, 1. 1 *p.* 1. *n.* 1. *alia materialis, alia formalis, p* 2 *n.* 3. *quid ſit materialis, n.* 3. *quid formalis, p* 3 *n* 4 *formalis requirit pertinaciam, n.* 4. *&* ſeqq. *Ignorantia affectata ad formalem hareſim committendam minimùm requiritur, p.* 3 *n* 5. *Ignorantia* concomitans *ab hareſi non liberat, p.* 4. *n.* 6. *neque doctos excuſat, n.* 7.

De Hareſi cognitio, & iudicium, vide Iudicium de hæreſi.

Ab hareſi euidenti non licet appellare ad Pontificem, 1. 3 §. 1. *p* 15. *n* 5.

Hareſis expreſſè damnata, libere hareſis appellanda, 1. 3 §. 2. *p* 17 *n.* 3. *Qui hareſis manifeſtò tenetur, ad Inquiſitorem deferendus, p.* 18. *n.* 5. 6. *à quo ſi hareſis extinguatur, nil vltra tentandū, p.* 19 *n.* 7.

Hareſes orta è contemptu Pontificis, 2. 5. *p.* 212. *n.* 1.

Hypocriſis comes hareſis, 3. 3. §. 5 *p.* 452. *n* 13.

Proteſtatio *ſuſpicionem hareſis*

hæreſis aliquando auertit, 4. 1 *p* 644 *n*.3.

Hæreticus, vide *Apologeticum*, *Hareſis*, *Scioppius*.

Quid ſit, 1.1. *p*.5 *n* 9. *alius materialis, alius formalis*, ibid *alius de hareſi ſuſpectus*, ibid. *pertinax, qui monitus non reſipiſcit*, *p* 6. *n* 11 *qui tantùm propoſitionem Theologicæ negat, præſumitur ſaltem hæreticus*, *p* 7 *n*. 12. *negans exteriùs fidem, licèt interiùs non negârit, præſumitur tamen hæreticus*, *n* 13. *Hæreticus in vno articulo, eſt hæreticus ſimpliciter in omnibus*, *p* 8 *n* 4.

Hæretici alij manifeſti, alij occulti, 1.2. *p*.8. *n*.1. *occulti mille modis ac dolis ſe tegunt, eóq; magis nocent*, *p*. 9. *n* 2. *p* 10 *n*.3. *quales multi in Chriſti Eccleſia*, *p* 11 *n*.4. *officijs pietatis palliati*, *p* 10 *n*.3.

Hæretici cognitio, & iudicium, vide Iudicium de Hæretico.

Hæreticus vocandus, qui hæreſi deprauatus eſt, 1.3. §.2. *p* 18 *n*.4.

Quando damna ab Hæretico illata Eccleſiæ, ab Inquiſitore, vel Sede Apoſtolica compeſci nequeunt, fas doctis eſt, eum Hæreticũ ſingillatim appellare, vulgatoq; libro, tali illum nomine dehoneſtare, vt liquet ex Patrũ exemplis, 1.3. §.3. *p* 20. *& ex facultate diſpenſandi cum Hæreticis, ſcribendiq; contra eos*, § 4. *p*. 29 *n* 2 *ad* 1. *an ad Theologum, vel ad Canonum peritum ſpectet decernere, quis ſit Hæreticus in vtroque foro?* §.4. *p*.2. *n* 4 *Ex vſu Eccleſiæ auctores librorum hæreticorum, licèt è Catholicis nati, inter Catholicos etiam degant, tamen Hæretici ſingillatim nominantur*, *p*.35 *n* 6.7. 8.9.10. *neque obſtat infamia, quum ſit voluntaria*, ibidem *Eadem ratio eſt Hæreticorum appellandorum tam in Italia, quàm trans Alpes degentium*, ibid *Theologi multo magis poſſunt nominatim probare aliquem eſſe Hæreticum, quàm Hiſtorici ſolùm vocare*, 1.3 § 5 *p*.43. *n*.5 *præſertim ad innocentiæ & fidei defenſionem*, §.6 *p*.44 *n* 1 *ad* 9 *licetq; occultus hæreticus prodendus foret*, *p*.48. *n* 6 *modò certo conſtet, eum eſſe au-*

ctorem, quò ſcilicet ſpolietur auctoritate. ibid. Niſi exprimatur eſſe Hæreticũ, non ſatis defenditur fides contra hæreſim, 1. 3. §. 6. p. 49. n. 7. 8. Etſi tribunal Inquiſitionis ad compeſcendos Hæreticos efficacius ſit, quàm apologetica, hæc tamen non omittenda, p. 53. n. 9. neque illud ad hæreſes extinguendas ſufficit, 1. 3. §. 7. p 55. n. 1. ad 7. nec ſat eſt prohibere librũ hæreticum, ibid.

Fas eſſe, Hæreticum nominatim appellare, etiam pertinacem, etſi nec dum ſpeciatim damnatum, ſancit Gelaſius, 1. 3 §. 11 p. 73. & ſcriptis etiam prodere, ad p. 88.

Nihil eſt, quod vetet Hæretici nomen certo homini, etſi nondum damnato, ex validis indicijs imponere, 1. 3 § 12 p. 88 Si qua verò lex id vetaret, foret inualida, § 13 p 90. quia ea eſſet Eccleſiæ noxia, ibid. tum ob alias rationes, §. 14 p. 95. & § 15 p. 97. nec vllus auctor repugnat, ibid.

Hæreticus pertinax ex ſententia Doctorum reputandus etiã eſt, qui à nullo Iudice declaratus eſt, 1. 3. §. 15. p 104. n. 12.

Facultas nominandi Hæretici, ante Iudicis ſententiam, viget, etſi ille è Catholicis natus inter Catholicos etiam viuat, 1. 3. §. 16. p. 108. nec hæreſis palàm quoque damnata ſit, §. 17. p. 110.

Appellatio Hæretici grauis infamiâ afficit, 1. 5. p. 143. n. 7. Fama Hæretici manifeſti non læditur, 1. 6. p. 146. n. 2. nec læſa obeſt Apologeticis, ibid. Poteſt notus Hæreticus à priuato capi, ac fama eius ita lædi, non tamen eius corpus, p 147. n. 3. Antequàm in foro externo quis vt Hæreticus damnetur, monendus ac interrogandus eſt, n. 4. Sedes Apoſtolica ex ſolo libro hæretico declarat meritò quem eſſe Hæreticum, omiſſâ eius monitione, & interrogatione, p. 150. n 5. ad 16.

Apologetica nomen imponunt Hæretici certo homini ſine vllo Reipub incommodo, etſi id non licet in alijs delictis, 1. 8. p 158.

Hæretici occulti ſunt duplicis generis, 2. 1. p. 178. n 1.

Nota

Nota infamis Hæretici eſt, Sanctum ſuo cultum ſpoliare, ..6 p 219.n.1.
Hæreticos armis ad fidem Catholicam cogi poſſe, Scioppius olim ſuſſus, poſtea impie negauit, 2. 7. p. 236. n 9. 10. 11.
Omnes Hæretici ſuas hæreſes ex Scripturis fulciunt, 2. 17 p 341.n.1.
Hæretici ab Eccleſia puniri, atque ad fidem Catholicam compelli poſſunt; 2.19 p.366. n 1. ad p.372. n 7.
Superbia comes indiuidua Hæreticorum, 3. 1. p. 382 n...
Hæreticorum ficta ieiunia, 3.2 p.4 4. n.18.
Hæretici minimè caſti, 3.3.§. . p 419. n 6.
Hæretici maledicentiſſimi, 3.5 p.477. n.1. & §. 8. p.511. n.1. & 2
Hæretici mendaces in Deum, & in homines, 3.6. p. 515. n 1. 2. *ſuis mendaciis Ieſuitas nobilitant*, n. 9. 10. 11.
Hæretici imperiti, 3. 7. p. 527. n 1. *ſibi contradicere ſueti*, 3. 8 p. 593. n. 1. *fingunt hæreſim à ſe relinqui*, 3. 9. p. 616 n. 7. *Scioppius Hæreticus ſtolidè pollicetur pædiā confutandi Hæreticos*, 3. 9 p. 616. n. 8. 9.
Hæretici fucatâ proteſtatione *totam Eccleſiam decipiunt*, 4. 2. p. 644. n. 5. 6. 7. *quâ tamen non excuſantur*, n 8. *quando hæreſis manifeſta eſt*, n 9. *vel dogma fidei notum*, n. 10.
Hæretici bona malis miſcent, vt fallant, 4. 2. p. 567. n. 16.

Hiſtoria, Hiſtoricus, vide *Theologus*
Hiſtoricus poteſt memoria prodere crimina non omnino occulta, 1. 3. §. 5. p. 40. n. 1. 2. 3. 4. 5. *etſi hiſtoria poſſit euadere famoſus libellus*, p 40. n 2. *damnari tamen nequit eo quod alterius crimina non occulta ſcripſit*, p. 42. n. 3.

Humilitas.
Votum humilitatis à Scioppio infeliciter iactatum, 3. 3. §. 2. p. 424. n 1. ad finem.

Hypocriſis, Hypocrita, vide *Scioppius*.
Hypocrita ex ſuperbia captat gloriam, 3. 2. p. 399 n. 1. *certa hæreſis comes hypocriſis*, p 45 . n. 13. *Hypocriſis ex iactatis talentis*, p 450. n. 11.

Ieiunium.

Ficta Hæreticorum ieiunia, 3.2.*p*.414. *n*.18.

Ieſuitæ, vide *Societas* IESV.

Inſtitutum Ieſuitarum inutile dicitur à Scioppio, 2.8 *p*.150.*n* 10. *Hæretico ſpiritu p* 151 *n*.11.12 *Fruſtrà Scioppius ſe à Ieſuitis laudatum probat*, 3.4.*p*. 464.*n* 14.*ad* 20. *qui eius ſcripta non legunt*, *n*. 18. *Nullus Ieſuita tam glorioſè ſe effert, ac Scioppius, adeóq; ineptè ab eo arguuntur ſuperbiæ atque hypocriſis*, *n*. 24 *mendacÿs*, *& calumnÿs Hæreticorum non infamantur, ſed nobilitantur*: *ideoq́; ſecurè illa narrantur*, 3.6 *p* 520 *n*. 9.10.11. *quæ diluuntur*, *ad n*. 17 *Obtrectationes Scioppÿ in Ieſuitas compoſitæ refelluntur*, 3.8. *p*. 593.*n* 1 *ad p* 610.

S Ignatius.

A Scioppio fœdè dedecoratus, 2.6.*p* 219.*n* 2. ad fin m *arroditur ab eodem*, 2.8.*p*.24 *n* 8 *&* 9.

Ignorantia.

Ignorantia affectata ad hæreſim formalem minimùm requiritur, 1 1 *p*. 3. *n*.5. concomitans *ab hæreſi non liberat*, *n* 6.*p*.4. *nec doctos excuſat*, *n*.7.

Infamia, infamis.

Non obſtat, *quin prædatur Hæreticus, quum ea ſit voluntaria*, 1 3 § 4.*p*.37. *n*.10. *Infamia iuris nemo notatur*, *niſi poſt Iudicis ſententiam* 1.3 §.11. *p* 52. *n*.10 *alia facti*, *alia iuris*, *p*.83 *n* 11 *& quæ vtraque*, *n*. 12. 13. *Ad iuris infamiam ſubeundam ſententia Iudicis ſemper requiritur*, *p*.84 *n*.14 *non tollitur per damnatoriam Iudicis ſententiam*, *ſed roboratur magis*, 1.4.§.3. *p*. 132. *n* 5. *Infamia pœna atrox adeóq; nemo infamis dici poteſt*, *niſi à Iudice ſit damnatus*, *nempe infamiâ iuris*, *p* 43 *n* 8. 9. 10 *ſecus de infamiâ facti*, *quâ omnes improbi ſine defenſionis præſidio laborant*, ibid. *Infamia Hæretici*, *vel calumniatoris refutati Apologetico*, *non obſtat apologeticus*, 1.6 *p*.145. *Poteſt iniuri Scioppio etiam ab hoſte*, 2 2 *p*. 193. *n*. 7. *calumnias*, *& contumelias ſine vlla innocentis infamati notâ denarrari*, 3.5. §.7 *p* 506.*ad* 509 *Irrogatur flagitioſo à flagitÿs*,

§.10.p.619.n.1. *auctor iniuria notatur infamiâ*, n.2.3 *Itemq́ faber libelli famoſi*, n.4.

Iniuria.

Sine iniuria graui famoſus libellus eſſe nequit, 1.4.§.1 p.116 n.5.6.7. *Non eſt iniuria narrare publicum crimen*, p. 119. n. 7. *nec quum ex Iudicis ſententia vulgatum eſt*, p. 120. n 8. *ſecus ante ſententiam*, p. 121. n 9.10.11. *Exprobrans crimen, occultum quoque, ſi id Reipublicæ prodi expedit, pœna iniuriarum immunis eſt*, p.122. n 13. *affectum iniuriæ faciendæ abfuiſſe, probatur coniecturis, licèt verba iniuriam ſonent*, 1.4. § 2. p.121. n. 4. *quoties crimina ex iuſta cauſſa obijciuntur, non præſumitur iniuria*, p.126. n. 5. *quando verba ſunt iniurioſa, animus malus iniuriæ inferendæ præſumitur*, ibid. *quando tamen iuſta cauſſa adeſt, iniuria præſumptionem elidit*, ibid. *Imò quando etiam eſt iniuſta*, ibid. *Vnde Apologetica nec iniuriam continent, nec ſunt famoſi libelli*, ibid. *Qui verum crimen ex vno prauo affectu exprobrat, reus eſt iniuriarum*, 1.4 §.2. p 126. n.5. *probata iniuria facta cum cauſſa, & ſine prauo animo, diluit crimen*, 1.9. p.166. n.10. & 11. *auctor iniuriæ notatur infamiâ*, 3.10. p.620. n.2.3.

Innocentia, vide *Apologeticum*, *Defenſio*, *Infamia*.

Inquiſitor, vide *Hæreſis*, *Hæreticus*.

Etſi tribunal Inquiſitoris ad compeſcendos Hæreticos ſit efficacius, quàm Apologetica, hæc tamen non omittenda, 1 3. §. 6. p. 53. *nec illud ad hæreſes extinguendas ſufficit*, § 7. p. 55. n. 1. ad 7 *niſi liceret appellare Hæreticos ſingillatim, nemo ad eos deferendos obligaretur ad Inquiſitorem*, §.8. p.61. *Vt quis aliquem deferre ad Inquiſitorem debeat, ſcire debet eum eſſe Hæreticum*, p.63. n.5.

Iudicium de Hæreſi, & de Hæretico, vide *Hæreticus*.

Aliud publicum, aliud priuatum, 1.3. § 2. p 12. *forenſe ſpectat ad Concilium generale, ad Sedem Apoſtolicam*,

ſtolicam, & ad Summum Pontificem, 1. 3 § 3. p. 13. n. 1. non verè ad vllam Vniuerſitatem, neque ad profanos Principes, p. 14. n. 4. etſi committitur Epiſcopis, & Inquiſitoribus, p. 15. n. 5.

An iudicium priuatum de hæreſi, hæreticoq; necdum damnato nominatim Theologis liceat, nemo ex profeſſo quæſiuit, 1. 3. §. 2. p. 16 n. 1. 2.

Niſi liceret Theologis priuatum iudicium de Hæreſi Hæreticoq;, nemo obligaretur ad Hæreticos ad Inquiſitorem deferendos, 1. 3. §. 8.

Etſi iudicium de Hæreſi totum ſit Eccleſiaſticum, priuatum tamen de vtroq; Theologis licitum eſt, vt liquet ex priuata auctoritate interpretandi Scripturas, 1. 3. §. 9 p. 66. nec non ex poteſtate narrandi miracula de viris necdum conſecratis, §. 10. p 68.

Ius, vide *Infamia*, *Quæſtio*.

Latinitas, Latinus.

Latina pleraque ſunt, etiam extra nomenclatorum fines, in Præf. n 5.

Errores Latinitatis non erubeſcendi, 4. 4. n. 7.

Lex.

Legis interpretatio crimen excludens præfertur, quando ex cauſſa poteſt factum manare, 1. 4. §. 2. p. 126. n. 5.

Libellus famoſus, vide: *Crimen*.

Ex hiſtoria iniurioſa fieri poteſt, 1. 3. §. 5. p. 40. n. 2 Crimen libelli famoſi impingitur Apologeticis, 1. 4. p. 114 ſed fruſtra, ibid §. 1 p. 116 n. 3. ad 5. Etſi crimen ſcriptura probroſa probrat, tamen libellus famoſus eſt, p 117. n 4. Debet occultum crimen pandere n 4 ad 5. Nequit eſſe famoſus libellus, niſi grauem iniuriam inferat, n. 5. 6. 7. & occultum ſit crimen, quod carpit, ibid. & p. 122. n. 13. Non eſt famoſus libellus, quando crimina obiecta prodi expedit, vel probantur; nec Apologetica, quæ eadem exagitant, 1. 4. § 2 p. 124. nec quando prauus animus Auctoris non præſumitur, p. 125. n 2. nec tales ſunt Apologetica, § 2. p 124. Patres nequeunt de probro,

bro famoſi libelli excuſari, quòd neque dum leges de eo lata eſſent, §.3.*n* 3. *Libellus famoſus ex ſola verborum aſpredine nequit eſſe,* §.3. *p.* 129. *ad crimen famoſi libelli diluendum, non ſat eſt Iudicis ſententia damnatoria p.*133. *n.*5. *pœna famoſi libelli non vitatur, etſi nomen infamati non exprimatur verbis, ſi aliꝫs adiunctis ſatis indicatur,* 2. 2. *p.*190 *n.*4. *Auctor famoſi libelli notatur infamia,*3.10 *p.*619. *n.*4.

Liber.

*Non ſatis eſt librum prohibere ad hæreſim ſopiendam,*1.3 §.7.*p.*55.*n* 2 3.4. *Index librorum prohibitorum vltra Alpes minimè receptus, n.* 2. *libri prohibiti à Scioppio iterum editi,* 2.14 *p.*308.*n.*2.3.4.5.

Liberalitas.

Malè diuiſa à Scioppio, 3.7.§ 4.*p.*503 *n.*1.2. *dat enim, & accipit etiam,* ibid. *malè quoque ſeparata à parſimonia, n.* 3. *malè pariter negatur contraria auaritia,n* 4.*&* 5.

Logica.

Scioppiꝫ in Logica erra-

Lydius Lapis.

Sine fuco concinnatus. in præf. n. 4. *diuiditur,* par.1.initio. *Ex caritate compoſitus,* 4. 4. *n.*1. *ſiſtitur Romano tribunali,n.*2.

Machiauellus, vide *Scioppius, par.*2. *cap* 15

Defenſus à Scioppio, 2. 13 *p.*300 *n.*1. *Macchiaueli codex damnatus, defenditur à Scioppio,* 2. 14 *p.* 311. *n.*4.5. 6. *ſed eâ defenſione Scioppius ſe Hæreticum prodit,p* 315. *n.* 7. 8. *p.*320. *n.*13.

Maledicentia, Maledico, Maledicus, vide *Scioppiꝫ maledicentia, par.*3. *cap* 5 *pag* 477.

Hæretici maledicentiſſimi, 3.5.*p.*477.

Mendacium, Mentior, vide *Scioppiꝫ mendacia par.*3.*cap* 6

*Hæreticorum mendacia nobilitant Ieſuitas,*3.6. *pag.*520 *n.*9.10.11.

Methodus.

Methodum prudentiæ repugnare methodo artis imperitè ait Scioppius, 2. 13.*p* 306.*n.*10.

Monaſterium.

In quo ſeruatur regula,

tifice, neque transfertur, 2.4.p.205.n 4 ſed tantùm quum vacat, n.5. vel diſciplinam Religioſam corrupit, n 5.6.7.

Moneo, Monitio, Monitor.

Monitio Hæretici omiſſa non obſtat Apologeticis, 1.7.p.148. quum ea in Hæretico pertinaci noto non habeat locum, p. 149. n.2. & quia ſine hac occulti Hæretici deferendi ſunt ad Inquiſitorem, p 152. n.8. omittiturq́; à Sede Apoſtolica in libris Hæreticorum prohibendis, n. 5. ad 16. ante, quàm in foro externo damnetur, vt Hæreticus, priùs monendus, & interrogandus eſt, n 4.

Moralis Philoſophia.

Malè cum Ethica à Scioppio confunditur, 3.7.§.3. p.553 n. 7. quum hæc illius pars dumtaxat ſit, n. 8 9. eadem eſt, ac Politica, n.7.8.

Morbus.

Morbos omnes ob peccata creari, falſum, 3.7. §.5.p n 10.

Obedientia.

Tres gradus obedientiæ, 2. 9.p.255. n.2. cæca obedientia præſtantia, p.256. n. 3. Laudatur à Patribus, p. 257. n. 4. p. 259. n.5.

Officium.

Malè diſtinctum à Scioppio, 3. 7. §. 3. p. 553. n 6.

Ordo, vide *Methodus.*

Pædia.

Scioppius nomine Pædia abutitur, 3. 7.§. 6.p. 588. n 1. 2. 3.

Papa, vide *Pontifex Maximus.*

Parcimonia.

Malè diſcerpitur à liberalitate, 3.7. §. 3. p. 504. n.3.

Patres.

A probro famoſi libelli vindicari nequeunt, quòd nondum lata eſſent de eo leges, 1.4. § 3.p.130. n 3.

Pauper, Paupertas.

Scioppius paupertatem Benedictinorum diuitem præfert inopi paupertati Franciſcanorum, 2. 10. p. 264 n 1. 2. Benedictinis aſſentans, p. 264. n 3. ſed inuitis, p.267. n 4. imperitè docet hoſpitalem paupertatem perfectorum tantum eſſe, p 268. n 5 Franciſcani plura dant, quàm Benedictini, nempe cæleſtia

ſtia, *p.* 271. *n.* 8. *minùs perfecta paupertas eſt*, *retinere fundos & poſſeſſiones etiam in communi tantùm*, *p.* 274. *n.* 11. 12. *quod nefariè Scioppius negat*; *ſiquidem paupertatis imperfectioris eſt habere communes prouentus*, *p.* 277. *n.* 13. *Epiſcopi ad paupertatem Benedictinorum à Scioppio hæreticâ temeritate adacti*, 2. 11. *p.* 284. *n.* 1. *ad* 290. *Votum paupertatis infœliciter iactatum à Scioppio*, *& violatum*, 3. 3. §. 3. *p.* 430. *n.* 1. ad finem.

Peccatum.

Non omnes morbi ob peccata creantur, 3. 7. §. 5. *n.* 10.

Pertinacia, Pertinax.

Pertinacia requiritur ad hæreſim formalem, 1. 1 *p.* 3. *n.* 4. *&* 5. *& qualis*, *p.* 4. *n* 8.

Pietas, vide *Politica.*

Hæretici pietatis officijs palliati, 1. 2 *p.* 10 *n.* 3. *&* 4. 3 *p* 658.

Politica, Politicus.

Scioppius negat à Politicâ curam pietatis habendam, 2. 13 *p* 300. *n* 2. *aut quicquam dicendum de tyrannidis fœditate*, *fraude omnino hæreticâ*, *ad n.* 10. *politici improbi*, *qui flagitioſam Principis formam pro legitima proponunt*, *carpuntur*, *p* 301. *n.* 3. *Politica eadem eſt*, *ac moralis Philoſophia*, *cuius pars tantùm Ethica eſt*, 3. 7 §. 3. *p.* 553. *n.* 2. 8. *malè Scioppius negat eſſe Politicæ deterrere ab aucupanda tyrannide*, *n.* 9. *Sceleſtè ait Ariſtotelem*, *& S Thomam præcipere de praua Politica*, 3. 7. §. 5. *p.* 573. *n.* 1. 2. 3. 4 *quum hæc non ſit obiectum actionis*, *ſed tantùm conſiderationis*, ibid.

Pontifex Maximus, vide *Sedes Apoſtolica.*

Ius Pontificis in bona Eccleſiaſtica à Scioppio temeratum, 2. 4 *p.* 202. *diſpenſator eorum eſt*, *p.* 203. *n* 2. *poteſtate ampliſſimâ in ea gaudet*, *n* 3. *vbi ſeruatur regula*, *monaſteria non commendat*, *nec transfert*, *p.* 205. *n* 4. *ſed tantùm*, *quum vacant*, *p.* 206. *n* 5. *vel improbè viuunt*, *n.* 5. 6. 7. *quod temere negat Scioppius*, *n* 8. 9. *Hæreſes ortæ ex contemtu Pontificis*, 2. 5. *p.* 212. *n.* 1. *fallì Pontificem in approbanda*

Religione ſine probabilita-te Canus dixit poſſe, 2. 8. *p*.251.*n*.11.

Princeps.

Priuilegia Principum fruſtra à Scioppio iactata, 3. 4 *p*. 454. *n*. 1. ad finem.

Priuilegium.

Priuilegia Principum fruſtra à Scioppio iactata, 3. 4. *p*. 454 *n*. 1. ad finem.

Prodigalitas.

Malè diuiſa, 3. 7. §. 4. *p*.503. *n*.1.2. *dat*, *& accipit*, ibid.

Porhibeo, vide *Liber*.

Propoſitio.

Negans propoſitionem Theologicam, præſumitur ſaltem Hæreticus, 1.1.*p*.7. *n*.12.

Proteſtatio.

Auertit ſuſpicionem hæreſis, 4. 2. *p* 644. *n*. 3. *adhibita ab hæreticis, decipit totam Eccleſiam*, *n*. 5. 6. 7. *ſed tamen non prodeſt illis, neque eos excuſat*, *n* 8 *quando ſcilicet hæreſis manifeſta eſt*, *n* 9. *vel fidei dogma notum*, *n* 10.

Publicus, vide *Crimen*.

Quæſtio.

Facultas ſcribendi contra hæreticos doctis conceſſa, complectitur quæſtionem facti, *& iuris*, 1. 3. §. 4. *p*. 31. *n*. 3. ex prædicato *quæſtionis*, *conſtare*, *ad quam ſcientiam ea ſpectet*, *imperitè ait Scioppius*, 3. 7. § 3. *p*. 557. *n*.10. 11.12.

Receptio, Recipio.

Receptio voluntaria Chriſti gratiâ perfectior, quàm datio, 2. 10 *p* 277. *n*.14. *& Chriſtus ſuo exemplo docuit perfectius eſſe dare, quàm accipere* eleemoſynas ſpirituales, *& corporales*, *p*.278. *n*.15.

Religio, vide *Ieſuita*, *Societas Ieſu*.

Opinio Cani de errabundo Pontifice in approbanda Religione improbabilis, 2.8.*p*.251 *n*.11. *Solus Pontifex poteſt eam approbare, in quo errare nequit*, ibid.

Reus.

Non citatur, quando conſtat de eius crimine, 1. 7 *p*. 15. *n*. 6.

Sanctitas. Sanctus, vide *S Ignatius*.

Pontifex in conſecratione Sanctorum non errat, 2. 5. *p*. 212. *nota hæretici eſt*, *ſpoliare Sanctum*

ſtum cultu ſuo, 2.6 p.219. n. 1. proculcati Sancti à Scioppio, n 2 ad 11 & 2.7. p.228. n.1. ad finem.

Scientia.

Scioppius docet ridiculè conſtare ex prædicato *quæſtionis, ad quam ſcientiam iſta pertineat, 3.7 §.3. p 557. n* 10.11.12.

Scioppius.

Fraudulenter prouocat ad Sedem Apoſtolicam, præf. *n.3.*

Occultus lupus eſt Eccleſiam vaſtans, 2.1 p.178. n 1. Melanchthonis exemplo, p 179 n. 2. Catholici viri perſonam induit, n 3. mox autem lupinum ſuũ ingenium prodit, p. 180. n.4 ſcenamq; plurimorum ſcelerum aperit, n. 4. 5. 6. Quanti interſit Eccleſiæ, flagitia Scioppij detegi, p. 183. n.7.

Catalogus famoſorum librorum, & aliorum, quos Scioppius edidit, 2.1 p.184. n 8 9 10. nec non aliorum in Scioppium, p.186. n. 11. 12.

Scioppius hæreſis iam pridem infamatus, 2.1. p. 188. etiam ab hoſtibus infamari poteſt, p.193. n.7.

Scioppius Sedem Apoſtolicam irridet, 2.3.p 198. temerat ius Summi Pontificis in bona Eccleſiaſtica. 2.4.p.202. negat Pontificem in Sanctorum conſecratione immunem erroris, 2.5 p 212.

Scioppius S. Ignatium, & alios Soc. IESV *Sanctos dedecorat, 2. 6. p 219 nec non alios Sanctos ludibrio habet, 2. 7. p.228. Dominicanis iniurius, n. 2.3.*

Omnibus Eccleſiaſticis hiſtorijs crucem figit, 2.7. p.232. n.3 6. imperitè arguit S. Auguſtinum Dialectices imperitum, p. 234. n. 7. hæretica fraude, p. 235. n. 8 Negat Hæreticos armis ad fidem Catholicam cogi poſſe, etſi olim affirmauit, p 236. n 9 10.11. Deiparam turpat, p.240. n.12.

Carpit Societatis Ieſu inſtitutum, 2 8. p.240 n à Pontificibus maximè laudatum, p 241 n 2 3. vituperat paupertatẽ Scholaſticorum Societatis Ieſu, p 244. n 4.5 auſu hæretico, p. 245. n 6. vitio vertit pſalmodiam ab Ignatio neglectam, p 249. n.8. arrodit S Ignatium, p. 250. n. 9. Inſtitutum Ieſuitarum

rum inutile eſſe ait, n.10. hæretico ſpiritu, p. 251. n. 11. & 12.

Cæcam obedientiam exibilat, 2. 9. p. 260. n. 6.7. votum caſtitatis vulnerat, p 263. n.8 paupertatem Benedictinorum diuitem præfert inopi paupertati Franciſcanorum, 2. 10. 264 n 1.2. Benedictinis aſſentans, ſed inuitis, n. 3. p. 267. n 4 hoſpitalem paupertatem ſtultè ait perfectorum tantùm eſſe, p. 168 n.5 perperam præfert erogantes è diuitijs ſuperflua in pauperes, p. 269 n 6.7.8. dolo hæretico contra Patres, & Pontifices, n. 9. 11. 12.13.

Ineptè colligit perfectorum tantùm eſſe erogare eleemoſynas, 2.10 *p* 282. *n.* 17 *abutitur loco Pauli,* ibid.

Adigit omnes Epiſcopos ad paupertatem Benedictinorum, 2. 11 p. 284. n. 1.2. ſed hæretica temeritate, ad p. 290. malè torquet Chriſti ſcitum de auro non poſſidendo, p. 288. n.6. & 7.

Deum inuadit, negans eum poſſe obſiſtere precibus contemplantium, 2. 12. p. 299. n. 2. ſed perperam, quum poſſit illis vtique reluctari, n. 3. 4. flagitioſè numerat inter contemplantes, maximè actuoſos, p. 293. n. 4 merita contemplantiū anteponit cunctis laboribus concionatorum, curaq; animarum vacantium, p. 295. n 5. falsò D. Thomam auctorem talis opinionis nuncupat, n 6.7.8.10. Chriſtiq; & Patrum ſcito repugnat, n.8.9.

Macchiauelli patronus, 213 *p* 300. *n.* 1. *negat à Politica curam pietatis habendam, n.2 aut quicquam dicendum de tyrannidis turpitudine imperitè, & fraudulenter, ad n.* 10. *methodum prudentiæ ineptè ait repugnare methodo artis, ſecum ipſe digladians, n.10 p.306.*

Libros vetitos iterum cudit, 2. 14 p.308. n 2.3. codiciq; damnato Macchiauelli patrocinatur, p. 311. n 4.5.6. infeſtus Auctoribus Macchiauellum refellentibus, p 312 n 5. Dum Macchiauellum tuetur, ſe Hæreticum prodit, p. 315. n 7.8 p 320. n.13. aliaq; flagitia addit, p. 321. n.14.15.

In

In defenſione Macchiauelli prætexit Eccleſiæ patrocinium, 2.15 *p* 323. *n*.1. *hæretico dolo*, *n*.2.3.7. *ad* 16. *ſiquidem Eccleſiæ cenſuram culpat*, *n*.4. *in qua illa decepta non eſt*, *n*.5. *neque de facto Macchiauelli hic dubium vllum eſt*, ibid. *neque de iure doctrinæ, quin rectè damnata ſit: & tamen Scioppius Eccleſiam prodit*, *n* 6. *Macchiauellus quippe ob falſam doctrinam damnatus eſt*, *n*.7.8. *neque à Scioppio vt innocens defendi poteſt: dum autem illius vituperatores carpit, Eccleſiæ decreta perimit* *n*. 9.

Communes Catholicorum ſententias hæreticâ licentiâ oppugnat, 2.16 *p*. 335. *n*.1.2.3. *Doctores Catholicos in odium Hæreticorum adducit*, *p* 338 *n* 4. *aliam docendi rationem docere Eccleſiam ſtultè vult*, *p*.339 *n* 5 6.

Iactat ſcientiam Scripturarum, 2.17. *p*. 341. *quibus abutitur ad ſuas hæreſes muniendas auſo hæretico*, *p* 342. *n*.2. *ad* 11.

Corrumpit Catholicos Scriptores, 2.18 *p*.354 *n*.1. *iisq; ad calumnias abutitur*, *ad* 11 *p*.366.

Hæreticorum omnium patronus, negat eos, etſi pertinaces pœnis multandos, tametſi Eccleſia eos punire vtique poteſt, & ad fidem compellere, 2. 19. *p*. 366. *n*. 1. *ad p*.372 *n*.7.

Hæreſim profitetur, 2. 20 *p* 372. *n*.1 *ad p* 382.

Superbè honores, ac titulos iactat, 3.1.§ 1 *p*. 383. *n* 3 *ad p*.392 *n*.11. *tum ſui ingenij, & literarum prærogatiuas*, § 2. *p*.392. *n*.1. *ad* 99. *fruſtra gloriatur dignitate equitis, & comitis*, §.1. *p*.383. *n* 1. *ad p*.391. *n*.10.

Maximus hypocrita, 3. 2. *p*. 401. *n*.4. *ad p* 415. *Sanctimoniæ ſuæ opera narrat ex ſuperbia ad n*. 10. *quam fruſtra excuſat*, *p*. 407. *n*. 11.

Arrogat ſibi Chriſti talenta, 3. *p* 415 *n*.1.2. *iactat votum caſtitatis infauſto omine*, § 1 *p*. 417. *documenta impudicitiæ Scioppij*, *ad p*.413. *n*.12.

Iactat votum humilitatis, 3.3.§.2.*p*.423. *infeliciter*, *n*. 2. ad finem. *votum abſtinendi Eccleſiaſti*-

cis dignitatibus ridiculè vouit, n. 2 ad 9.

Iactat votum paupertatis infauſto euentu, 3. 3. §. 3. p 430 n. 1. ad finem *id enim violauit ſæpius*, p. 431. n. 3. 4. *quod fruſtra excuſat*, p. 433. n. 4 *Lucrum ſuu è libris inaniter ſperat*, p. 434. n. 5. 6. 7. 8.

Infamiæ contemptu ridiculè gloriatur, 3. 3. §. 4. p. 437. n 1. 2. 3. *mentitur ſe fidei Catholicæ gratiâ fuiſſe ab Hæreticis quæſitum ad necem & percuſſum*, n. 4. 5. 6.

Ineptè iactat ſe oblectari in lege Domini, 3. 3. §. 5. p. 442. n 3 *& quietâ vitâ potiri procul à negotijs*, p. 444 n. 4 *& ſermones extemporales de rebus diuinis à ſe cadi*, p. 445 n. 5. *multitudinem ſuorum librorum ridiculè iactat*, n 6. *fruſtra ait ſe Catholici fœderis auctorem, quum fuerit tumultus cauſſa*, n 7. *ridicule narrat expeditionem in Mahometanos à ſe curatam*, n. 8.

Scelerum omnium exercitatio, vera Scioppij talenta, 3. 3. § 5 p. 449 n. 10. *Superbus & hypocrita ex iactatis talentis*, n. 11. p. 450. *ore polluto ſacramenta frequentat*, p 452. n. 12.

Commendatitias Principum literas iactat, 3. 4. p. 454. n. 1. 2. *Circulatoria leuitate*, n. 3. *peruerſeq; id Ieſuitis exprobrat*, ibid. *Indignus his Principum priuilegijs, quos dedecorauit*, p 456. n 4. 5. 6. *adeoq; nulla illa reddidit*, n. 7 *ſeſeq; infamauit*, n. 8 *nihilq; ipſi ea proſunt*, n. 9. 10. 11. *fruſtra alia ſua virtutis teſtimonia oſtentat*, n 12. *fruſtraq; ſe à Ieſuitis laudatum docet*, n. 14. *ad* 20. *qui illius ſcripta non legunt*, n 18. *vnde tanto maior ſuperbia, & hypocriſis Scioppij emicat*, n. 20. *ad* 24. *omnia Chriſtiana Reipub. munera carpit, & reformare cupit*, n. 21. & 22. *Nemo Ieſuitarum ſe tam glorioſè effert, ac Scioppius, adeoq; immeritò ſuperbia, atque hypocriſis ab eo arguuntur*, n. 24.

Maledicit Religioſis omnibus, 3. 5. §. 1. p 478 n. 2. *nec non cunctis Sacerdotibus, Clericisq;*. §. 12. p. 489. *tum Praſulibus, Epiſcopis, & Cardinalibus*, §. 3. p 481. n 1. *ad* 7. *ſed falsò*, n. 7. *& Pontifici Maximo*,

§.4.p.488. n.1. ad 6. profanis quoque Principibus, Cæſari, & Regionibus, § 5. p.493.1 ad 502. Ingratiſſimus obtrectat Ferdinando Imperatori. p. 497. n. 6. 7. potitur palmâ maledicendi, § 6 p 502 n. 1. Maledicentia Scioppij alexipharmacum, §. 7. p. 506. Maledicentia Scioppij hæreſim redolet, § 8 p 511.

Mendacia, & calumnias nundinatur, 3.6 p 511. ad finem. ineptè mentitur omnes Cathedras à Ieſuitis occupatas, p 521. n 12. & in Concilio Tridentino Clerici reformationem impeditam, n. 33 ad finem.

Grammatices notitiam iactat, 3.7. §.1. p 528 n 1. 2. ſed imperitus oſtenditur, ad p. 535. Item Logices, 3. 7 §. 2. p 535. n. 1. malè eius vitia diuidit, p 536. n. 2. 3. 4 5. & eius inſtrumenta, n. 6. 7 malè diſpoſitionem partitur, n. 8. ſimplicem terminũ ineptè vocat quæſtionem, n. 9 ridiculè arguit monarchiam orbis ex dictando affectari, n. 1. 12.

Ignarus Rhetorices, 3. 7. § 2. p 546 n 14 ad 17. nec non Phyſices, & Metaphyſices, §. 3. p. 550. n. 1. 2. 6. tum Ethices, n 4 & 15. & §. 4. p. 562. n. 1. ad 10. officium malè diſcriminat, §. 3. p. 553. n. 6. perperam Ethicam cum morali Philoſophia confundit, n. 7. 8. 9 ridiculè docet ex attributo quæſtionis conſtare, ad quã ſcientiam ea ſpectet, n. 10. 11. 12. ſtolidè negat duo vitia vni virtuti eſſe contraria, p. 559. n 11 12. 13.

Malè auaritiam, prodigalitatem, & liberalitatem diuidit, 3. 7. §. 4 p 563. n. 1. 2. quarum ſingula dant, & accipiunt, ibid. malè etiam parcimoniam à liberalitate diſcerpit, n. 3. & malè negat auaritiam eſſe liberalitati contrariã. n 4. 5. perperamq; ait vitium in medio duarum virtutum ſpectari, n. 5. imperitè interpretatur Ariſtotelem de apædeuſiâ, n. 6. 7. 8. 9.

Imperitus Politices, 3. 7. §. 5. p 572. n. 1. ad 7 ſceleſtè ait Ariſtotelem, & S Thomam præcipere de praua Politica, quum hæc non ſit obiectum actionis, ſed tantùm contemplationis. p. 573. n. 1. 2. 3. 4 malè ridet effatum celebre de ambitione cauenda, p. 577. n. 8.

de Scriptura diuina, & rebus ſacris ineptè diſſerit, n. 9. falsò ait omnes morbos ob peccata creari, n 10. Patrem Spiritualem abſurdè agit, ibid. ſatagitq; ſaluare animas aliorum, ſuam prodigens, n. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

Peſſimè Ariſtotelem exponit, 3. 7. §. 6 p. 588. n. 1, 2, 3. nomine Pædiæ abutitur flagitiosè, ſcientiarumq; notitiam omnium ſibi malè arrogat, n 4. 5.

Ebrij inſtar ſibi contradicit, 3. 8. p. 591. n 1. ad p 610. Ieſuitis fruſtra obtrectans, ibid.

Hæreſim, etſi Catholicum ſe finxit, nunquam ferè expectorauit, 3. 9 p 610. ad 619. quia ab Hæreticis natus parentibus, n. 2. 3 4. quia rerum nouarum molitor ſemper, n 5. 6. & effrani pronuntiandi libertate præditus, n. 7. 8.

Scioppius Hæreticus præpoſterè pollicetur pædiam confutandi Hæreticos, 3. 9. p. 616 n. 8. 9.

Præ multis flagitijs infamis, 3. 10 p. 619.

Scioppius Hæreticus materialis, 4. 1. p. 623. n. 1. præſumiturq; etiam formalis, n 2. quin & conuincitur, n. 3. ad 14. monitus, obſtinatè hæreſim defendit, n. 10. 11 Inſtitutum Ieſuitarum probè gnarus hæretici erroru, carpit, n 4. 5. ignorantiam hæreſum nequit prætexere, n. 4. & ſeqq.

Nomen Hæretici iure tributum Scioppio, 4. 1. p. 635. n. 14 & 15. etiamſi foret occultus, n. 16 neque tali nomine infamatur, n. 17. nec vlla ſuſpicio animi Scioppio infenſi in Auctore Lydij eſt, n. 18. 19. 20. 21.

Fruſtra ſuas hæreſes fraudulentâ exceptione excuſat, 4. 2 p 644. n 1. 2. 4. 11. 12. 13. 14. exemplo Pelagij fruſtra ſe pallianti, n. 15. 16.

Scioppij germana effigies, 4. 3 p. 658.

Scioppius ad reſpondendum ſingulis criminationibus adigitur, 4. 4. n. 3. cui non prodeſt frequentia ſacramentorum, n 4. à quo pro candido reſponſo conuicia ambitiosè expectantur, n. 5. ſed tamen vapulabit magis, n. 6. nec diluet ex alienis erroribus ſua crimina, n. 7. 8. inuitatur

tatur ad pœnitentiam, *n.* 11.

Scriptura ſacra.

Scientia Scripturarum à Scioppio iactata, 2. 17. *p.*341. *n.*1. *Hæretici omnes ſuas hæreſes ex Scripturis fulciunt*, ibid. *Scioppius abutitur Scriptura ad calumnias*, *p.* 341. *n.* 2. ad finem.

Sedes Apoſtolica.

Irriſa à Scioppio, 2. 3. *p.* 198.

Sententia.

Compendia ſententiarum vſitata etiam Apoſtolis, præf *n.*7.

Societas IESV, vide *Ieſuita.*

Inſtitutum Societatis carpitur à Scioppio, 2. 8. *p.*240 *laudatum maximè à Pontificibus*, *p.*241. *n.* 2. 3. *paupertas eiuſdem ab eodem vituperatur*, *p.* 344. *n.* 4. 5. *auſu hæretico*, *p.* 345. *n* 6.

Stylus, vide *Verbum.*

Acer in capitones merito vſurpatur, præf. *n.6. etſi oleo caritatis oblinitur*, *n* 7.

Superbia, Superbus, vide *Scioppij ſuperbia par.* 3. *cap.* 1. *& ſeqq.*

Comes indiuidua Hæreticorum, 3. 1. *p* 381. *n.* 1. *Grammatici ſuperbiſſimi*, 3. 1. §. 2 *p* 397. *n.6. hypocrita ex ſuperbia captat gloriam*, 3. 2. *p.*399. *n.* 1. *tum ex iactatu talentis*, 3. 3. §. 5 *p* 450. *n.*10.

Talentum, vide *Scioppij talenta.*

Vera talenta Scioppij omnium ſcelerum exercitatio, 3 3. §. 5. *p.*449. *n.*10.

Teſtimonium, Teſtis.

Teſtimonia virtutis ſuæ fruſtra à Scioppio oſtentata, 3. 4. *p* 462. *n.*12. 13.

Theologus.

Multo magis poteſt appellare ſingulatim Hæreticum, quam Hiſtoricus, 1. 3. §. 5. *p.*43. *n.*5.

S. Thomas Aquinas.

A Scioppio irriſus, 2. 7. *p.*228. *n.*1. 2. 3. 4. 5. 6. *ſed vindicatur*, ibid.

Verbum.

Licèt verba ſonent iniuriam, tamen animum eius facienda abfuiſſe probatur coniecturis, 1. 4. §. 2. *n.* 4. *p.* 125. *quando verba ſunt iniurioſa, animus malus facienda iniuriæ præſumitur*, *p.*126. *n.* 5. *quando*

quando tamen adeſt iuſta cauſſa, hac iniuria præſumptionem elidit, ibid. *Imò etiam quum eſt iniuſta*, ibid *Apologetica pro ſola verborum aſpredine non ſunt famoſi libelli*, 1.4 § 3. *p.* 128 *quia verba auſtera materiata non ſunt ſatis ad conuicia formalia conſtituenda*, *n.* 2. ibid. *ad* 14.

Virtus.

Scioppius malè negat duo vitia vni virtuti eſſe contraria, 3.6. § 3. *p* 359 *n.* 11. 12. 13. *perperamq; ait vitium in medio duarum virtutum ſpectari*, §.4. *p.* 505. *n* 5.

Vitium, vide *Virtus.*

Typographi

Typographi menda ſic emendantor; ac nonnulla etiam, quæ ſunt prætermiſſa, ſupplentor.

Prior numerus paginam, poſterior plerunque paginæ verſum, nonnunquam etiam capitis numerum deſignat; tertius vero ſubinde additus, talis numeri verſum.

	Corrige.
9. vltim. nolunt	volunt.
18. 2. ſi	niſi
18. 16. libellis	libello
34. 1. particulatim	particulariter
36. vlt. ponamus	(ponamus ita contingere, quod ſanè poteſt.
47. n. 22. Atque	Atqui
51. 16. vtroque	vtroſque
53. 9. vlt. clarèſcit	clareſcit
55. 4. clanda	clauda
70. 3. conſertiſſimis	confertiſsimos
73. c. 11. 2. explicatum	explicatum B. Gelaſij
77. 1. defenſionem	definitionem
79. n. 7. 14. propoſitio	propoſitioni
97. 1. Epiſcopis	tum Epiſcopis
106. n. 15. 11. aut in	aut vi
108. c. 16. 14. vt eo	& eo
109. 15. oſtendere	obtendere
111. 1. quaſi	quando
112. 14. proſcriptum	proſcriptam
119. 18. conſenſus	conſenſui
Ibid. libellum	nec libellum
120. 4. probatæ	prolatæ
121. n. 9. 12. occultum	manet occultum
128. 5. aliud	aliquid

	Corrige.
134. 8. ijs	ijs, quæ
137. n. 14. 1. conuici, que	conuicijs &
145. 24. ſui	ſui ipſorum
147. 15. Atqui enim	At enim
148. n. 3. 15. omrino non ſit	omnino ſit
153. 9. particulatim	particulariter
157. n. 16. 1. priuatim	priuatam
158. n. 1. 15. offendicula	quæ offendicula
161. c. IX.	Cap. IX.
165. 14. adultero	adulterino
168. c. 10. 17. ijſdem	ijſdemque
169. vlt. diſtinguis	diſtinguis, vel non diſtinguis
176. 3. explicare	explicatè
178. c. 1. 2. num. 2.	cap. 2.
180. 5. Hiſaniamque	Hiſpaniamque
182. n. 6. 12. leget	legit
184. 4. Ac	At
186. 32. ibi	vbi
187. 9. Anatomia	Antanatomia
195. 10. qui in	qui te in
196. 16. euincit	euincunt
199. n. 3. 2. refero,	refero?
203. 3. cuiuſmodi	cuicuimodi
206 14. propalas	propolas
208. 23. adductus	adductum
225. 34. verbis eſt,	verbis eſt, refertur)
225. 35. prætermiſſo)	prætermiſſo.

232. 22.

	Corrige.
232.22. omneſq;	omneſq; Chriſtum
234.3. accepiſſe ?	acceſsiſſe ?
235. 19. ſuſcipit ?	ſuſcipiet ?
236. 13. hunc	nunc
238. n.10. 5. mitiratis	lenitatis
263.n.8.8.lib.o.	lib. 9.
265.n.2.9. poetare	portare
268. 28. curæ	cura
269.18.barbarè	immanitate barbarus ?
281. 9.Thoma	Thoma b.
281.10. b Fateor	c Fateor
281.12. c debere	d debere.
281.20.verſuntur	verſantur
281.36.Valentia	d Valentia.
283. 29. infirmiores	firmiores
284.n.2.12.Quod	Quid
290. n. 2.1. Ipſa tum	Ipſa tua.
294. 9. voti	voci
300. n. 2. 2. dementauit	infatuauit
301.4 *violenta*	violentia.
303. 11. imprudenter	impudenter
306.18. dementatæ	infatuatæ.
312.4.Quanquam	Quanquam enim
312.n.3. eiuſdem	eiuſmodi
320.n.13. 21. iugulatus	iugulatas
323.n.1.17. ſuperioris	ſequioris
326. n.6. 11. qui	quî
Ibid. qui	quî
327.n.8.1.dolosè	doloſe
329. 10. tanto facto	tantam facto
333.19. proluxeris	præluxeris
340. 2. commemorare do	commemorare. De

	Corrige.
340. n.6. 2. diſceptandi	diſceptanti
342. 2. peritiu	peritia
350. 3. ait	ais
353. n.11. 7. obtinendas	oblinendas
353. n. 11. 7. ipſe	iſte
356. 26. fors	forſan
36?. 1. ea	ea verò
369.4.obſignant	obſignaret ?
371. 7. te	de
378. 1. dicent	docent
378. 1. edocere	docere
378.penul.multa	multo
380.7.8. *Myſticum*	*Miſſaticum*
381. 10. interdixerit ?	interdixit ?
382.c.1.n.1.12. qui	quia
384.20.patritios	patricios
398. 21. prænuntiata	prænuntia
398.35. hæreſeos	hæreſi
401.4. 22. dementat	inflat
403.7. *menta*	mensâ
405. 9. toleras ?	tolerat ?
406. 2. ille	illi
410. 14. ſycophantiarum	ſycophantarum
416.2. 18. plagiarius	plagiarius, ac
428. 3. aut, vt	aut es, vt
434. vlt. cIↃIↃcXXXI.	cIↃIↃcXXXVI.
445. 5. 12. iſthæc	iſtæc
449.9. pen. laniones	lanij
453.7. mihi credis	mihi non credis.
470. 1. notat	enodat
475.24. pen. faſtuoſum	faſtoſum
478. n.2.14. offulas	ofellas
481. n.5. 5. propagandos	propugnandos

Corrige.	
490.1. prorex	proreta
496.20. præ-dicationet	prædicationem
497.6. obrectas	obtrectas
500.9.8. ingers	ingens
502.1.2. poſcit	poſsit
504.4. excepta	excerpta
506.19. ſed igno-miniæ	ſed in ignomi-niæ
507.2.4. de me	de te
510.15. à te	à Deo
513.7. fabula-rentur	fabularetur
522.19. Nam	Num
523.4. numeran-dum	memorandum
523.n.13.6. euer-beratum	euerberata
538.2. ciaret	caret
533.n.7.2. Ethi-cornm	Ethicam
556.n.9.2. retu-li. Hæc	retuli, decer-nis. Hæc
561.n.14.4. nec Grammatiſta	ſed Gramma-tiſta
565.5. alienando	alienandi
566.4.29. libe-ralitas	liberalitas re-ſpicit
570.13. Ia	Id
Ibid. faaiunt	faciunt

Corrige.	
571.n.10.10. ſol-lerreque	ſollerterque
571.n.10.12. ocu-lis	oculos
572.n.1.8. hu-inſce	huiuſce *Lydij*
576.n.6.8. prin-ceps	præceps
580.n.10.4. ſce-leſtiſsime	cæleſtiſsime
587.8. iurecon-ſultus	Iureconſultus autem
593.n.2.6. vel Phalaridis	vel in Phalari-dis
595.18. ſimul a tuis	ſimul ac tuis ab
599.4. ſurſum	rurſum
608.2. Apud	Ad
610.1. fallis	fallit
620.n.3.2. ho-neſta	inhoneſta
640.19.11. exe-mit?	eximit?
646.n.5. vlt. quod	quid
655.13. tuum,	tuæ
658.n.2.4. pol-lucet	peilucet
672.4. aſſoles	ſoles

ANT 174140

L74.

A39